CIMELIA
Qu 5906


V
B
3
C
5906
CIMELIA



Bibl. Jag.

C. 58

CONSTITVTIONES SYNODORVM, METROPOLITANÆ ECCLESIÆ GNESNENsis, Prouincialium, tam vetustorum quàm recentiorum, vsq; ad Annum Domini, M. D. LXX VIII.

1578

STVDIO ET OPERA

REVERENDISSIMI IN CHRISTO PAtris, Domini STANISLAI KARNKOVVSKI, DEI gratia Episcopi Wladislauien & Pomeraniæ, collectæ, & ad præscriptum sacrosancti Concilii Tridentini, & S. Sedis Apostolicæ, correctæ, & in vnum volumen redactæ.

CRACOVIÆ,
Andreas Petricouius impressit. Anno Domini, 1579.



Cim. Qu 5906

1954 D 901

Bibl. Jag.

SERENISSIMO PRINCIPI ET DOMINO, DOMINO STEPHANO, DEI GRATIA REGI POLONIAE, Magno Duci Lituaniæ, Ruſsiæ, Pruſsiæ, Maſouiæ, Samogitiæ, Liuoniæ, Principi Tranſyluaniæ, &c. Domino ſuo clementiſsimo.

STANISLAVS KARNKOVVSKI Epiſcopus Wladiſlauieñ: perpetuam exoptat fœlicitatem.

CHRISTVS IESVS DEI FILIus, Deus & ipſe, cum Patre & Spiritu Sancto vnus, genus humanum morte ſua de poteſtate Diaboli, & à ſempiterno interitu vindicatum, in vnam contracturus Rempublicam (quam Eccleſiam appellauit) relinquens mundum & ad Patrem rediens, dedit ei (Eccleſiæ inquam) moderatores: quoſdam quidem Apoſtolos, vt Diui Pauli verbis vtar, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores, ad conſummationem Sanctorum. &c. Non qui ſimul omnes tantæ, ac tam longè lateq; per totum orbem terrarum diffundendæ multitudinis curam gererent,

sed qui suis quisq; præessent cœtibus. Vnum tamen omnibus iis præfecit PETRVM, cui non solùm oues, verumetiam agnos commendauit: Per agnos, ductores & Præsides, per oues verò, cæteram hominum multitudinem significans. Cùm enim etiam ipsos ductores in toto mundo permultos esse oporteret, & ii verò homines futuri essent, à quibus nihil humani, vt ait Pòéta quidam, alienum esset, vnius authoritate illam quoq; ductorum & præsidum multitudinem gubernari, & in vnitate, concordia, & officio, sapientissimus legislator, ipsaq; adeò DEI virtus & DEI sapientia contineri voluit, à quo cæteri omnes in suo quisq; ordine dependerent. Quod quidem magis etiam necessarium futurum erat deinceps, post prima illa & puriora Sanctorum Apostolorum, euidentius & luculentius Spiritus sancti gratia & illustratione gubernatorum, tempora. Proinde etiamnum vniuersæ Ecclesiæ præsunt per loca Pastores, Doctores, Episcopi, Archiepiscopi, Primates, & Patriarchæ, in suam quisq; partem solicitudinis vocati. Iis verò omnibus vnus præest successor Petri summus Romanus Pontifex, per tot secula, quibus stetit statq; Ecclesia, quasi clauum nauis tenens, & remigibus aliisq; sociis moderans, nec quicquam frementibus & aduersantibus portis inferorum.

Nec ta-

Nec tamen is dedignatur eorum, quibus præeſt, conſiliis in tam ampla ac difficili adminiſtratione vti. Hinc ſanè extiterunt iam inde ab Apoſtolorum temporibus Concilia: quæ Græci vocant Synodos, à conuentu. Ad eas enim conuenire ſupramemorati Paſtores & Doctores, & de quibuslibet rebus difficilioribus, ad ſummam rerũ & ordinem publicum pertinentibus, in medium conſulere ſolent. Eæ verò ſunt duplices: Vniuerſales quidem, quæ vniuerſos complectuntur nominis Chriſtiani Epiſcopos, & iis ſuperiores Antiſtites. In iis de ratione fidei & religionis, & grauiſsimis quibuſq; negociis, ad vniuerſam Eccleſiam pertinentibus, tractatur & ſtatuitur, ipſo Pontifice Max: eas conuocante, & per ſeipſum vel per Legatos ſuos iis moderante. Aliæ verò ſunt particulares: Quoniam enim valde operoſum eſt, nec prorſus caret periculo, cunctos ex toto orbe terrarum Epiſcopos in vnum locum cogi, & offerunt ſeſe negocia leuiora, non ad vniuerſam Eccleſiam, ſed ad partem vel partes eius aliquas pertinentia, ad ea pertractanda ac definienda nonnulla Eccleſiaſticorum pars conuocari & conuenire ſolet. Eæ verò particulares, nimirum Synodi, & ipſæ duplices ſunt: nempe Prouinciales ac Diœceſanæ. Atq; has quilibet Epiſcopus in ſua Diœceſi, cum ſubiectis ſibi ordini-

bus Eccleſiaſticis, illas verò Archiepiſcopus, ſiue Metropolitanus, ſiue Primas, ſiue Patriarcha, cum ſuæ Prouinciæ Epiſcopis, & aliis ordinibus inſtituit & peragit. Habet enim quilibet Archiepiſcopus ex Apoſtolicis inſtitutis ſuam Prouinciam, cui præeſt, aliquot Epiſcopis conſtantem, certisq; limitibus definitam. Primas verò & Patriarcha ampliorem, Archiepiſcopos etiã complectentem. Solet tamen particularibus hiſce Synodis adhiberi Legatus ſeu Nuncius Pontificis Maximi, & ſedis Apoſtolicæ vt vocant, ſi quis eſt in Prouincia, maioris authoritatis gratia. Cùm autem ad has cuiuſq; modi Synodos cuncti Sacerdotes (Sacerdotum verò nomine complector vniuerſum ſacrum & Eccleſiaſticum ordinem) commode conuenire nequeant, & infirma ſit hominum memoria, conſcribũtur earum decreta & conſtitutiones, & in publicum eduntur, quò cùm ad abſentium tum ad poſterorum notitiam perueniant, & ab iis perpetuò pro cuiuſq; conditione & modulo obſeruentur. Tales igitur Conſtitutiones cùm eſſent non paucæ in noſtra Polonia, à ſuperiorum temporum Archiepiſcopis Gneſneñ, accedentibus etiam Leopolienſium calculis, in Prouincialibus Synodis, ad vſum, ingenium, mores, & rationes vniuerſi Regni, accommodatè conditæ & conſcriptæ, & propter

iniuri-

iniuriam temporum, aut Episcoporum fortasse negligentiam vix iam vsquam extarent, edi autem eas, quæ ante duos annos Petricouiæ conditæ sunt, operæprecium esset: desumpsi mihi pietatis ergò eum laborem, vt priores quoq; & vetustas vndiq; conquirerem, simulq; cum recentioribus edi curarem, ad præscriptum S S. generalis Tridentini Concilii, & iudicio S. Sedis Apostolicæ modificatas & castigatas. Tuæ verò Mtāti, laudatissime Rex, potissimùm opus hoc dedicare nobis visum est: qui non modò in corruptis fortissimorũ Vngarorum reliquiis solus fere integer Ecclesiæ Catholicæ & orthodoxæ genuinus filius permanes, Transyluaniamq; tuam ad gremium eiusdem Ecclesiæ reducere etiamnum satagis: verumetiam ad hoc Regnum, non tam nostra electione & humanis consiliis, quàm diuina prouidentia salutariter his terris atq; populis prospiciente, euocatus, cùm Rempub: sapienter, magna animi moderatione & fœliciter administras, tum religionis eiusdem & Ecclesiæ vindicem te profiteris, & quoad fieri commodè potest re ipsa præstas. Quod cùm facere studes, has tibi Constitutiones, quoad per alias occupationes Regias licet, notas esse conuenit, quò earum executionem pro virili parte tua prouehas, Clerumq; huius Regni, & sociarum eius Prouinciarum

rum omnem, vnà cum templis & Eccleſiis, ſub vmbra alarum tuarum (vt ſacræ ſcripturæ verbis vtar) protegas, & ab hæreticorum & impotentium aliorum hominum iniuriis, vi, doliſq; tuearis. Quodquidem vel inprimis ad officium Regis pertinet, Dei namq; miniſtri ſunt Reges, Eccleſiæq; eius nutricii: non tam vt ipſi de religione quicquam ſtatuant, ſed vt conſtitutorum ab iis, quorum id munus eſt, executionem præſtent. Quo diligenter curando, fit diuina ope, vt cæteræ eorum actiones publicæ & priuatæ proſperentur, neglecto verò vt in præceps ruãt. Quod equidem plurimis exemplis è ſacra ſcriptura, & è Chriſtianorum atq; adeò Ethnicorum quoq; Regnorum hiſtoriis petitis comprobare, ſi opus eſſet, & ſi pateretur præſens negociorum Maieſtatis tuæ ſtatus, poſſem. Cæterum, finem præfationis faciens, opus hoc & obſequium meum addictiſsimum Maieſtati tuæ Regiæ reuerenter etiam atq; etiam commendo.

Datum VVladiſlauiæ Calendis Iunii.
Anno Domini, 1579.

Literæ

LITERAE PONTIFICIS MAX: AD SERENISSIMVM POLONIAE REGEM.

CHariſsimo in Chriſto filio noſtro STEPHANO Poloniæ Regi illuſtri.

GREGORIVS PAPA XIII.

CHARISSIME IN CHRISTO FILI noſter: Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Reddidit nobis literas Mtãtis tuæ dilectus filius Iacobus Canonicus Poſnanieñ: cumq; his Acta Synodi Prouincialis. Incredibiliter lætati ſumus: ſic enim cognouimus fuiſſe ſanctiſsimo iureiurando admiſſa Decreta & Canones SS. Concilii Tridentini. Conſideraũimus etiam diligentiſsimè cætera eiuſdem Synodi Acta, vidimusq; omnia fuiſſe piè ſapienterq; decreta. Eſt igitur quod vniuersè gratulemur iſti Regno: his enim duobus quaſi fundamentis, fidei nimirum ſinceritate, & Eccleſiaſticę diſciplinę integritate, nititur Regnorum omniũ & Rerumpub. ſalus: quibus ſublatis, nullæ planè ſunt humani ingenii & cõſilii vires. Gratulamur etiã Mtãti tuæ: habes enim in literis Epiſcoporum, & Cleri vniuerſi, eidem Iacobo ad nos datis, præclarum teſtimoniũ pietatis, ſtudii, diligentiæ, in tam præſtanti tamq; Deo accepto negocio conficiendo. Quod igitur reſtat, Deo primũ gratias agamus, tum nitamur omni ſtudio, vt tam ſalutaria Decreta inuiolatè ſeruentur. Quod nos quidem curabimus quantũ poterimus: tuum quoq; erit quicquid poteris auxilii atq; opis conferre: ac meminiſſe præclarę illius Auguſtini ſententiæ: Fœlices Principes eſſe dicimus, ſi ſuam poteſtatem ad Dei cultũ maximè dilatandũ Mtãti eius famulam faciunt. Poſſe te plurimũ omnes intelligunt, velle dubitat nemo: optima igitur omnia expectanda ſunt. Poſtulationibus Cleri, quantùm quidem in nobis erit, ſatisfa-

)()(ciemus,

ciemus, intelligetq; Mtãs tua commendationem tuam plurimùm apud nos valuisse. Cætera ex Nuncio nostro cognoscet, eiq; fidem tribuet. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxix Decembris. M. D. LXX viij. Pontificatus nostri, anno sexto.

EXECVTORES HORVM STATVTORVM A S. SEDE APOSTOLICA DELEGATI.

Dilecto filio nostro & Apostolicæ Sedis in Regno Poloniæ Nuncio, ac Venerabilibus fratribus, Archiepiscopo Gnesneñ, & Episcopo Cracouieñ, nunc & pro tempore existentibus, & eorum cuilibet.

GREGORIVS PAPA XIII.

DILECTE FILI, ET VENERABILES fratres: Salutem & Apostolicam benedictionem. Cùm anno superiore Synodus Prouincialis Gnesneñ, adiuuante Domino, celebrata fuerit, cuius Decreta ad nos missa legimus, & in congregatione Cardinalium S S. Concilii Tridentini interpretum videri iussimus: quæ quidem ab eis diligenter considerata, nonnullisq; in locis aptata, postea Nuncio nostro in Regno Poloniæ remissa fuerunt: Et dilectus filius Iacobus Brzeznicius Canonicus Posnanieñ ab eadem Synodo, & à toto ipsius Regni Poloniæ Clero Internuncius ad nos missus, nobis humiliter supplicari fecit, vt exequutores Decretorum eiusdem Synodi, ne tam pius & salutaris labor depereat, constituere dignaremur. Nos petitionem hanc æquam & honestam esse censentes, huiusmodi supplicatiõibus inclinati, vos & vestrum quemlibet executores Decretorum Synodi Prouincialis huiusmodi, authoritate Apostolica, tenore præsentium, facimus, con-

mus, constituimus, & deputamus: Mandantes vobis, & vestrum cuilibet in virtute sanctæ obedientiæ, vt vos, vel duo, aut vnus vestrum, vbi, quando, & quoties opus fuerit, vel eritis requisiti, Decreta prædicta ab omnibus, ad quos spectat & spectare poterit quomodolibet in futurum, authoritate nostra firmiter & inuiolabiliter obseruari curetis, & faciatis. Contradictores quoslibet & rebelles, ac parere recusantes, per pœnas vobis benè visas & etiam pecuniarias, arbitrio vestro declarandas & applicandas, ac demum per sententias & censuras Ecclesiasticas, aliaq; opportuna iuris & facti remedia, quacunq; appellatione remota, compescendo, legitimisq; super his habendis, seruatis processibus, sententias, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggrauañ, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstañ constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, & quibusuis statutis & consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, Priuilegiis quoq;, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium forsan quomodolibet concessis & confirmatis. Quibus omnibus, eorũ tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat, ad effectum præsentium specialiter & expressè derogamus, contrariis quibuscunq;, seu si aliquibus communiter vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per literas Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die viii. Aprilis. Anno Domini, M. D. LXX VIII. Pontificatus nostri, Anno Sexto.

AD CLERVM DE CONSTITUTIONIBUS Synodalibus Paræneſis.

LImoſos primùm riuos purgare laborant
Agricolæ, fonti dein ſociare ſuo.
Cùm paulùm ſe fortè videt deerraſſe viator,
Ad caput, vnde abiit, ſi ſapit, vſq; redit.
Et nos in vita, vitam ducimus inertem?
Cœleſtis nec nos ſeria cura ſubit?
Semper erit mundi nequam prudentia maior?
Et lucis nati, tam tenebroſa petent?
Ergo age, tempus adeſt nos iam conſurgere tandem,
Et certa mundo dicere mente, Vale.
Hactenus in limo multorum vita iacebat,
Ac legum fontes muſcus habebat iners.
Erratum longè à patribus, patriæq; decore,
Moribus antiquis nullus eratq; locus.
En redeunt fontes, riuos recreare parati,
Ecce caput veteris præcipuæq; viæ.
Leges, vitæ oculi: mundi lux maxima, leges:
Mens operum: ſanctæ regula duxq; viæ.
His res dignata eſt ſapiens vigilantia Patrum,
Ne noſtra, vt cœpit, vita relapſa ruat.
Accendêre faces, noctis ne lubricus error
Occupet, in barathrum ſemineces q; trahat.
Præſtitit hanc operam CARNCOVIVS inclitus heros,
Et ſumptum, in populo quo volitare queant.
Magnanimus Præſul, cui publica commoda tantùm
Sunt curæ: & ſancti vita ſalusq; gregis.
Illius æternum tanto pro munere nomen
Viuet: mercedem percipietq; Dei.
At nos iam grati digno amplectamur amore
Tam ſanctas leges, quæ bona cuncta ferunt.
Iudicium Patrum, nati fratresq; ſequamur,
Sit labor hic, & opus, ſcandere celſa Poli.

INDEX

INDEX PRÆCIPVO-rum Capitum, in Conſtitutionibus Synodalibus contentorum.

Liber Primus.

De ſumma Trinitate fol: 1.
De Conſtitutionibus 1.
De Conſuetudine 2.
De Electione 3.
De electione Archidiaconorum 10.
Bulla Apoſtolica ſuper electione Archidiaconorum perpetua 11.
De Abbatum electione 13.
De Renunciatione 14.
De ſupplenda negligentia Prælatorum ibidem.
De tempore Ordinandorum 16.
De ætate & qualitate ad Ordines promouendorum 16.
De filiis Presbyterorum 17.
De Clericis peregrinis ibidem.
De officio Archidiaconi 18.
De officio Vicarij 19.
De officio Ordinarii & Metropolitani 20.
Bulla Apoſtolica Legationis natę 22.
Pœna ad Synodũ non venientiũ 31.
Hoſpitalia diligenter ,puidcantur 33.
Epiſcoporum officium 34.
De officio Decani Ruralis 36.
De officio Capituli 36.
De Maioritate & obedientia 37.
De Procuratoribus 38.
Quod metus cauſa 38.
De alienatione, mutandi iudicii cauſa facta 38.

Liber Secundus.

De Iudiciis 39.
De Foro competenti fol: 40.
Cauſæ ad forum & ad iudicium Eccleſiaſticum pertinentes 42.
De Dolo & Contumelia 43.
De Feriis 44.
De ſequeſtratione fructuum 45.
De Iureiurando 45.
De fide Inſtrumentorum 47.
De Appellationibus 47.

Liber Tertius.

De vita & honeſtate Clericorum 49.
Statutorũ librũ quilibet habeat 52.
De cohabitatione Clericorum & Mulierum 54.
De Clericis non reſidentibus 55.
De Inſtitutionibus 56.
Ad beneficia Eccleſiaſtica, qui & quales inſtituendi 58.
Bulla Apoſtolica, de non recipiendis plebeis ad Eccleſias Cathedrales vltra numerum quatuor 58.
De Sede vacante 61.
Ordinatio, quomodo Sede vacante procedendum ſit ad electionem Administratoris 61.
De iis, qui rapiunt bona beneficiati poſt mortem relicta 67.
De rebus Eccleſiæ non alienandis 68.
De Emptione & Venditione 69.
De Locato & Conducto 70.
De rerum permutatione 71.
De Pignoribus ibidem.
De Teſtamentis & vltimis voluntatibus 71.

)()(iij De Anno

INDEX.

De Anno gratiæ fol: 73.
De ſucceſsionibus ab inteſtato 74.
De Sepulturis ibidem.
De Parœciis 76.
De Decimis 76.
Bulla Apoſtolica de Noualibus 81.
Bulla Exequutorialis ſuper Noualibus 83.
De ſtatu Monachorum & Canonicorum regularium 86.
De Capellis Monachorum 90.
De Iurepatronatus 90.
De Cenſibus & Exactionibus 91.
Taxa Proceſſuum Iuris Conſiſtorii Spiritualis 92.
De modo ſoluendæ Cõtributionis 95
De Suffraganeis 95.
De conſecratione Eccleſiæ vel Abbatis 95.
De celebratione Miſſarum & officiorum Diuinorum 96.
Decretum Concilii Conſtantienſis de communione ſub vna ſpecie 96.
De Baptiſmo 100.
De cuſtodia Euchariſtiæ 101.
De obſeruatione Ieiuniorum 101.
De Eccleſiis ædificandis 102.
De Immunitate Eccleſiarum 104.
Ne Clerici & Monachi ſecularibus negociis ſe immiſceant 107.

Liber Quartus.

De Simonia 108.
De reformatione Academiæ Cracouienſis 110.
De Scholis, Magiſtris & Scholaribus. 110.
De Iudæis 113.
De Hæreticis 115.
Bulla Apoſtolica contra errores Martini Lutheri & ſequacium 117
Edictum Sigiſmundi Regis contra Hæreticos 126.
Diſputationes de negocio religionis vitandæ 128.
De confeſsione fidei facienda 128.
Bona Eccleſiaſtica hæreſi infectis non committantur 129.
De recedentibus ab vnione & obedientia ſuperiorum 131.
De Apoſtatis ad Eccleſias regendas non admittendis 131.
De Adulteris 131.
De Raptoribus, Incendiariis & Furtis 132.
De Raptu Virginum & Mulierũ 133.
De Abigeis & Paſcuis ſterilibus 133.
De Vſuris & Vſurariorum pœnis 134.
De Sortilegiis 136.
De Crimine falſi ibidem,
De ijs qui tolerant Cenſuras Eccleſiaſticas 137.
De Priuilegiis & Priuilegiatorum exceſsibus 137.
Bulla Apoſtolica Prouincialis 138.
De Iniuriis 142.
De Pœnis 143.
De Pœnitentiis & Remiſsionib. 145.
Medicorum corporis officium 145.
Abuſuum, per fratres Religioſos induci ſolitorum, correctio 146.
De Pœnitentiariis per Epiſcopos inſtituendis 147.
De remittẽdis ad Pœnitẽtiarios 147.
De Indulgentiarum conceſsione 148.
De eligendo Confeſsore idoneo 148.
De Diſpenſationibus moderandis 149
De ſententia excõmunicationis 149.

Forma

Forma literarum significatoriarum Dñi Archiepiscopi ad Capitaneos, contra nobiles Censuras Ecclesiastícas contumaciter sustinentes 151.
De verborum significatione 157.
De regulis Iuris 157.
De libertate Clericorum contra iniuriantes 158.
Doctrina de Sacramento Matrimonij ex Decretis sacri Concilij Tridentini 158.

Liber Quintus.

Complectens Acta & Constitutiones Synodi Prouincialis Gnesnensis Prouinciæ. Anno Dñi, M. D. LXX vij. Die xix. Mensis Maij, Petricouiæ habitæ & celebratæ.
Professio fidei 165.
De vnitate eiusdem fidei tuenda 166.
Canones & Decreta sacrosancti Concilii Tridentini recepta, & debitæ exequutioni demandari iussa 167.
Capita certa Concilii Tridentini ex parte huius Prouinciæ moderatione indigent 167.
Statuta Prouincialia antiqua & recẽtiora, in pristino suo robore conseruentur, & in vnum volumen redigantur. 168.
Supplicationes cum Litanijs & Processionibus, certis temporibus peragantur 168.
Synodi Prouinciales & Diœcesanæ, ac etiam visitationes, suis temporibus peragantur 168.
Reuereñ D. Ordinarii, Vicarios & Officiales, & Cancellarios, viros doctos, & in Iure versatos ac Theologos habeant 168.
Iurisdictio Spiritualis suscitetur, & delinquentes cõercentur 169.
Crapula & ebrietas vitanda 169.
Clerici habitum Clericalem & tonsuram deferant 169.
In pœnis infligendis ordo à SS. Concilio Trid: pscriptus obseruet 169.
Subditi Ecclesiæ non grauandi, Oeconomi deputandi, Arces à Præfectis quibus tradendæ 169.
Iura, Priuilegia & immunitates Ecclesiasticæ ab Episcopis defendẽdę 170
Archiepiscopi & Episcopi Comitiis Regni, & Conuentibus particularibus interesse debent 170.
Episcopatus Pomesanien & Sambien in pristinum statũ restituatur 170.
Electio Abbatum, Prępositorum regularium tam virorum quàm monialium, iuxta Canones Conc: Trid. & Statuta prouincialia obseruet 170
Monasteria tam virorum quàm mulierum reformanda 171.
Bona & possessiones Monasteriorum alienata recuperanda 171.
Regulares extra sua Monasteria ab administratione Sacramẽtorum & prædicatione verbi Dei abstineant 171.
Regulares vagantes cõercendi, & ad Monasteria sua remittendi 171.
Decimæ ex bonis Spiritualium ad ẽs pertinent omnino dandæ 172.
Agendorum liber nuper editus in omnibus Ecclesiis habeatur 172.
Missalia, Breuiaria &c. ad instar Romanorũ Missaliũ & Breuiariorum ordinanda & reformanda 172.
Post mortem quorumcunq; Spiritualium bona Ecclesiastica non diripienda 172.

Suppellex sacra ad Missæ sacrificium pertinens, mũdissimè seruetur 172
Confessarij seu Pœnitentiarij, circa Ecclesias Cathedrales & Collegiatas sint docti & discreti 173.
Hæreticorum libri in Scholis non legantur 173.
Bibliothecæ reuideantur 173
Examinatores deputandi ex præscripto Concilij 173.
Bulla Cœnæ Domini sæpiùs promulganda Ibidem.
Bulla S. D. N. Gregorij Papæ xiij. lecta die Cœnæ Domini, Anno, M. D. LXXVIII. 174
De clandestinis Matrimonijs 180.
Sacerdotib. Matrimõia prohibita 180
Seminaria apud Cathedrales Ecclesias instituantur 181.
Academiæ Cracouien stipendium soluent Episcopi 181.
De Doctoribus Bullatis, & ordinariè in Vniuersitatibus promouẽdis 182
Bulla S. D. N. D. Pij. Diuina prouidentia Papæ quarti, super ordinatione & promotione Doctorum, & aliorum cuiuscunq; artis & facultatis professorum, de cætero obseruanda 182.
Iudices ad cognoscendas causas Commissariales Sedis Apostolicæ per Diœceses deputati 186.
In Episcoparu VVladislauien alienatores bonorum Ecclesiæ ad ea recuperanda, ad contributionemq; soluendam compellendi 187.
Nuncij ad S. Sedem Apostolicam & S. Regiam Maiestatẽ mittẽdi 187.
Constitutiones Synodales quando publicandæ 187.
Breue Apostolicum Constitutiões Synodales confirmans 187.
Statuta Prouincialia debitæ executioni demandanda 188.
Reductio Literarum & Constitutionum Pij Papæ v. pro Mendicantibus, &c. 189.
Literæ Nuncij Apostolici ad Abbates & Præpositos ordinis Cistercien in eadẽ Cõgregatione productæ 191.

FINIS.

Celestinus Papa 3.

D. 38. Cap: Nulli.

Nulli Sacerdotum liceat Canones ignorare, nec quicquam facere, quod Patrum possit regulis obuiare. Quæ enim à nobis res dignè seruabitur, si Decretalium norma constitutorum pro aliorum libitu, licentia permissa populis, frangatur?

CONSTI-

CONSTITVTIONVM SYNODALIVM PROVINCIAE GNESNENSIS LIBER PRIMVS.

DE SVMMA TRINITATE, ET FIDE CATHOLICA. Ex antiquis Nicolai Archiepiscopi Statutis.



NPRIMIS statuimus, quòd in fide sanctæ Trinitatis, & Incarnationis, Sacerdotes populum, tam maiorem quàm minorem, debeant instruere diligenter.

De TRinitate autem ad minus docere tenentur expressè: quòd Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, tres personæ, & vnus Deus: Et vna persona, non est alia.

Et cùm fides non subiaceat rationi, non est quærendum, nec per laicos disputandum de his, quæ ad fidem pertinent, quomodo, vel quare: sed simpliciter credendum in articulis fidei, Diuinitatem & Humanitatem Domini nostri Iesu Christi concernentibus, quod credit, tenet, & docet sancta Romana Ecclesia mater nostra. Et quòd omnes Presbyteri, &

ri, & signanter curati, articulos fidei principales sciant, & doceant explicitè & distinctè, prout in Symbolo Apostolorum continentur.

DE CONSTITVTIONIBVS.

Ex antiquis Nicolai Archiepiscopi.

STatuimus, vt præsens libellus nostrarum Constitutionum Prouincialium, in singulis Ecclesiis Cathedralibus sub sigillo nostro, ac deinde in aliis Ecclesiis Collegiatis, infra tempus sex mensium, à publicatione præsentium computando: sub sigillo Ordinariorum, sine excusatione qualibet, habeatur conscriptus, in choro vel alio loco competenti iaceat, sic, vt possit patere cuilibet, legere seu videre volenti, accessus. Quicunq; autem Constitutiones nostras præsentes de locis prædictis auferre vel asportare, seu aliquid in eis delere, addere, radere, vel mutare præsumpserint propria temeritate, & de hoc constare poterit, vltrà diuinam indignationem, quam incurrent, tanquam falsarij per locorum Diœcesanos puniantur.

Ex nouis Ioannis de Lasko. De Constitutionibus & Consuetudine simul. In Synodo Petricouiensi prima.

IN primis statuimus, vt Statuta Prouincialia, dudum per nostros prædecessores, vigore certarum literarum Apostolicarum edita, & consuetudines bonæ & rationabiles, ab omnibus teneantur & obseruentur, viuendo secundum ea. Hoc adijcientes, vt Bullam Cœnæ Domini sæpè, præcipuè verò feria quinta magna: Et Iura Statutaq;, quæ mandantur nuncianda populo, in suis Ecclesiis, quorum interest, sæpiùs publicent, & quid in eis continetur declarent.

In Sy-

In Synodo Lancicieñ ſecunda. Eiuſdem.

STatuimus, vt Ordinarij eorumq; officiales, & cæteri Eccleſiaſtici iudices, in iudicijs & cauſis Eccleſiaſticis, Statuta Diœceſana primùm, deinde Prouincialia noua & vetera, poſtea Canones ſacroſanctos, vbi textus expreſsi reperiri poſſunt, & vltimò gloſſarum & doctorũ Deciſiones communes, in iudiciis & cauſarũ proceſsibus, obſeruare teneantur. Cõtrafacientes, pœna ad arbitriũ ſuperioris puniendi.

In Synodo Lancicienſi prima.

VT conſuetudo madidandi homines promiſcui ſexus, in celebritate Paſchali, qua Diabolus multas animas mortalium lucrifacere ſolet, propter ſubmerſiones, aliaq́ue ſcandala, vel ob id euenientia, penitùs aboleatur: decreuit Synodus, vt domini ordinarij locorum, quiſq; in Diœceſi ſua, mandet Concionatoribus, vt in concionibus hortentur plebem, ne iſta faciat. A Regia verò Mtãte petendum erit, vt aliqua pœna conſtituatur contra tales.

DE CONSVETVDINE.

Ex antiquis Nicolai Archiepiſcopi.

ECcleſia Gneſnenſis ex antiqua, & rationabili conſuetudine, obtinuiſſe dinoſcitur, quòd cauſas, ad eam per appellationem deuolutas, ſubditis Suffraganeorum ſuorum committere valeat, & compellere, iuriſdictionem huiuſmodi ſuſcipere detrectantes, quæ ex his cauſis noſcitur introducta. Primò vt vitetur circuitus, cùm per Diœceſim Metropolitanus eos ad id poſsit compellere. Secundò, vt propter locorum diſtantiam, parcatur partium laboribus & expenſis, quia ſi non reciperentur delegationes huiuſmodi, cogerentur partes cum diſpendio, apud Sedem Metropolitanam litigare. Huius ſacri approbatione Concilij, ſtatuimus, antiquam conſuetudinem declarantes, vt Sedes

Gnesnensis, causas huiusmodi subditis Suffraganeorum suorum valeat delegare, & animaduertere in rebelles.

Idem.

HVic Statuto adijcimus, & obseruatum de consuetudine declaramus, ex causis præmissis, idem in Citationibus & aliis Processibus, causarum huiusmodi, apud Sedem ipsam in antea ventilandarum, ac omnia decernimus, & præcipimus obseruanda.

Idem.

CONsuetudines, quæ grauamen Ecclesiis inducere dignoscuntur, inualidas decernimus: locorum Ordinariis, vt in omnem euentũ eis resistant, firmiter iniungentes.

Idem.

ILLam autem consuetudinem, in qua ille, qui in foro publico, *vel alibi coram* multis aliquod *perpetrauerit* delictum, & tamen admittitur ad iurandum contra publicam veritatem, quia delictum illud non fecit, penitùs reprobamus. Sed testes idonei admittantur potiùs contra ipsum, per quos possit affirmata veritas legitimè comprobari.

Matthias Dreuicius, Petricouiæ, Anno Domini, 1530.

QVoniam non modò frustra, sed etiam inutile, ac planè ridiculum esset, leges condere salutares, si eædem nullam accipiant exequutionem. Proinde auctoritate præsentis Prouincialis Concilij, omnibus dominis Locisordinarijs, eorumq; vicariis, ac officialibus iniungimus, eosq; in Domino obsecramus, vt eadem præsentia, necnon anteriora omnia, singula Statuta Prouinciæ nostræ, diligentiùs vigilantiùsq;, quàm vnquam antea, obseruent, obseruariq; faciant, ab eisq; ne lato quidem digito, vt dicitur, discedant:

ſcedant: efficiant quoq; , vt quod ab omni Clero , auctoritate Synodali ſancitum eſt, id ad omnium & diſciplinam & vtilitatem perueniat.

DE ELECTIONE.

ex antiquis. Eiuſdem. *Nicolai Archieppi*

CVM in Eccleſiis Prælatorum ſeu Canonicorum, electio, vel bonorum alienatio, ſeu obligatio, aut alia ardua negocia Eccleſiæ imminent facienda , ad talia abſentes Canonici ſunt vocandi. Alioquin ipſis inſtantibus per ſuperiorem caſſabitur, quòd in eorum abſentia per præſentes fuerit attentatum, niſi conſuetudo habeat eos ad talia non vocari, vel abſentes ſint extra Prouinciam conſtituti.

Excommunicamus omnes, in quacunq; dignitate, perſonatu, vel officio conſtitutos , necnon ſeculares & regulares Canonicos & Monachos , qui in electionibus , aut alijs ſuarum Eccleſiarum, ſeu Monaſteriorum negociis proſequendis , conſpirationes , coniurationes , ſeu alias colligationes illicitas quaſcunq; fecerint , eis diſtrictiùs iniungentes , vt ipſi vtilitatem, & profectum Eccleſiarum & Monaſteriorum ſuorum, ſolum Deum habentes præ oculis, recta conſcientia, & mente libera ſatagant procurare.

ITEM. Statuimus, quòd practica & forma gentilis electionis infraſcripta , in omnibus & per omnia obſeruetur , quam authoritate huius ſacri Concilij innouamus.

Sciendum eſt , quòd volentibus Eccleſias vacantes ordinare, altero de tribus modis, ipſis vacantibus prouidetur. Aut enim ordinatur vacans Eccleſia per prouiſionem , aut per electionem , aut per poſtulationem ſolennem. Prouiſio pertinet ad ſuperiorem , in qua non eſt neceſſaria forma Concilij. Electio autem & poſtulatio ad inferiores, in quibus forma Concilij generalis , neceſſariò eſt ſeruanda.

Forma autem Concilij triplex eſt, ſcilicet: Forma ſcru-

tinij, compromissi, & inspirationis: vel quasi secundum alteram istarum, quicunq; vult eligere, vel solenniter postulare, in Ecclesiis Cathedralibus, Regularibus & Collegiatis, debet de necessitate procedere, secundum vnam ex formis prædictis. Per formam autem Scrutinij proceditur hoc modo. *Ecclesia enim Pastoris regimine destituta, Capitulum siue Canonici præsentes, statuent terminum ad Electionem celebrandam, de quo fiat publicum instrumentum, in quo narrabitur: Quòd die tali, decedente vel translato, vel defuncto tali Prælato, talis Ecclesiæ, eiusq; corpore Ecclesiasticæ tradito sepulturæ. Capitulum siue Canonici, qui tunc præsentes erant, conuenientes, talem terminum, cum continuatione dierum sequentium, ad electionem celebrandam vnanimiter statuerunt: qui terminus erit competens, quòd infra illum absentes, qui vocandi sunt, citati commodè venire possunt, consideratis locorum distantiis, & personarum & temporis qualitate, non tamen nimis longum. Quia in electione mora est periculosa: & si vocandus scitur vbi personaliter resideat, personaliter est vocandus. Si verò nesciatur, vocetur in loco vbi morari consueuit, per edictũ publicũ. Vocatio autem fiet sub hac forma.

B. Præpositus & Capitulum Strigonieñ Ecclesiæ, N. tali Canonico Strigonieñ. Coloniæ morãti, Salutẽ in Dño. &c. Discretioni vestre significamus, quòd bonæ memoriæ C. quondam Archiepiscopus noster, die tali fuit viam vniuersæ carnis ingressus, & corpus eius cum reuerentia debita Ecclesiasticæ traditum sepulturæ. Ne igitur Ecclesia nostra, propter diuturnam vacationem, grauem patiatur in spiritualibus & temporalibus læsionem, diem talem, cum continuatione dierum sequentium, ad tractandum de electione futuri Pontificis, & ad electionem celebrandam duximus statuendum. Quocirca vos requirimus, & peremptoriè citamus, quatenus die ipsa nobiscum conuenire curetis.

Alioquin

Alioquin nos extunc ad eam procedere curabimus, vestrî absentia non obstante. Quodsi fortè iusto impedimento detenti venire nequiueritis, & velitis alicui de Canonicis committere vices vestras, tunc ad nos vestras speciales literas, & idoneum nuncium transmittatis, qui iuxta statutum Concilij generalis, de ipso impedimento faciet plenam fidem. Datum. &c.

Hæ autem literæ erunt apertæ, & de præsentatione ipsarum fiat publicum instrumentum, ne possit maliciosè negari citatio, prout aliqui iam fecerunt.

Debent autem conuenire in Ecclesia, vel in Capitulo si possunt, vel in alio loco idoneo, si ibi commodè conuenire non possunt: Sed vbi ex causa solitus locus mutatur, & locus & causa in citatione inserantur.

Omnibus autem in loco statuto simul conuenientibus, diligenter deliberent, an per viam Scrutinij, aut per viam Compromissi procedere velint. Si ergo viam eligant Scrutinij, de electione huiusmodi fiat publicum instrumentum, in quo contineatur, qualiter diligenti deliberatione habita, placuit omnibus & singulis, & concorditer omnes consenserunt per viã Scrutinij procedere. Quo facto sic pcedent.

Eligantur ex ipso Collegio, & non aliunde, tres fide digni, vel plures vel pauciores: licèt sit meliùs, quòd tres tantum iuxta Concilium generale. De qua etiam electione fiat publicum instrumentum, quibus detur potestas per idem publicum instrumentum, vel scripturam authenticam, examinandi vota sua & aliorum, nullo obmisso, secretò & sigillatim in scriptis ea redigendi, & redacta mox in communi publicandi, vt sciatur, qui in quem consenserunt, & meriti ad meritum, & zeli ad zelum, & numeri ad numerum collationem faciendi, & collatione per eos habita diligenti, electionem faciendi, & eum eligendi, in quem inuenerint omnes, vel maiorem, vel saniorem partem Capituli consen-

sisse,

ſiſſe, ita quòd vnus ſcrutatorum, de conſenſu & voluntate aliorum duorum vice ſua, & collegarum, & aliorum omnium, qui in eius conſenſerint electionem, pronunciet in ſcriptis, & ſolenniter celebret, & alia faciet, prout compromittentibus placuerit. Huic autem inſtrumento, ſuper poteſtate tradita, confecto, omnes ſe ſic ſubſcribant. Ego talis, prædictis interfui & conſenſi, & prædictam poteſtatem eis contuli. Et poſtea ſigilla omnium & etiam Capituli apponantur. Hoc facto iſti tres trahent ſe ad partem, & primò ſcrutabuntur voces eorum, ita quòd duo ſcrutentur tertiũ. Poſt hoc ſeriatim & ſingulariter vocabunt quemlibet de Capitulo ſolum per ſe. Et primò illum, qui habet in electione primam vocem de conſuetudine. Et dicent ei ſecretò, exemplo Danielis: Frater, in electione præſenti, habeas Deum præ oculis, cuius nunc cauſa tractatur. Non te decipiat odium, fauor, vel amor, non pecunia, quæ humanos ſolent peruertere ſenſus. Non lucro tuo proſpicias, ſed vtilitati communi. Ideò adiuramus te per Deum viuum, & in virtute Spiritus ſancti, & ſub periculo animæ tuæ, quòd conſentias in eum, & eum nomines, quem ex voto credis vtiliorem & meliorem Eccleſiæ, & per quem iura Eccleſiæ poſſunt meliùs defenſari. Et tunc ille dicat. Ego credo P. meliorem & vtiliorem, & in eum conſentio, & eum nomino eligendũ in Epiſcopum & Paſtorem. Et tam interrogatio & adiuratio, quàm reſponſio redigantur in ſcriptis: & hæc per tabellionem Clericum: vel ſi non poſsit haberi tabellio, duo ex eis hoc ſcribant.

Completo Scrutinio ipſi Scrutatores, mox, id eſt nullo actu contrario intermedio, redibunt ad Capitulum, & ipſi vel vnus eorum, de aliorum mandato, vota ſingulorum in communi publicabunt, & præſente Capitulo dicent. Nos examinauimus vota veſtra & ſingulorum ſecretò & ſigillatim, placet vobis quòd ea publicemus? Et illi dicent:

Placet.

Placet. Et sic publicabunt, id est publicè legent, vt quod secretò actum est, ab omnibus sciatur. Publicatione autem facta, collatio numeri ad numerum, zeli ad zelum, & meriti ad meritum, fiet per ipsos Scrutatores sic. Si vota Canonicorum diuisa fuerint in plures, surgent in medio Capituli, & publicatis votis, incipient à capite, & legent sic. B. & C. consenserunt in P. Item ex alia parte legent, D. E. & F. consenserunt in M. & sic publicabunt, dicentes. Nos inuenimus maiorem numerum consensisse in P. Nam cùm sint in vniuerso quadraginta Canonici, vigintiquinq; consenserunt in ipsum P. & quindecim in M. Item inuenimus meliorem zelum ex parte eligentium P. quàm ex parte eligentium M. Nam illi elegerunt bonum & vtilem virum: istis autem caro & sanguis reuelauit suum consanguineum eligendum. Item inuenimus P. maioris esse meriti, quia literatior, prouidentior, honestior, sanctior, melior, & potentior ad lura Ecclesiastica conseruanda, quàm M. *Vbi* autem vnus solus est in Scrutinio nominatus, non habet locum collatio numeri ad numerum, vel meriti ad meritum, vel zeli ad zelum. Fiat tamen tunc collatio talis, per eum qui maior est, vel per Scrutatores, vtrum scilicet nominatus sit de legitimo matrimonio natus, competentis scientiæ, sufficientis ætatis, & in sacris Ordinibus constitutus. Et si ista concurrant, procedatur ad electionem, & duo ex Scrutatoribus, quibus data est à Capitulo potestas eligendi, tribuant potestatem tertio electionem pronunciandi, & publicandi nomine suo, & omnium consentientium, quia vnus debet eligere. Et in continenti electio & pronunciatio fiet, primò in Capitulo in hac forma.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen. Anno, Mense, & die talibus. Ego talis, vnus de Scrutatoribus, à tali nostro Capitulo nominatus & electus, ad faciendum scrutinium, & electionem futuri Pontificis, secundum

formam ſuperiùs prætaxatam, ipſa ſeruata in omnibus de voluntate, conſenſu, & mandato collegarum meorum, & ex poteſtate mihi & ipſis tradita: inuocata Spiritus ſancti gratia, ad honorem Dei, & glorioſiſſimæ matris eius, & talis Sancti noſtri Patroni, & omnium Sanctorum. P. in quem collatio facta eſt, reperimus omnes, vel maiorem & ſaniorem partem noſtri Capituli, in Scrutinio conſenſiſſe, in noſtrum & Eccleſiæ noſtræ Epiſcopum eligo & Paſtorem, eandemq; electionem in his ſcriptis pronuncio. Poſt hoc pulſentur Campanæ, & populus congregetur, & populo congregato, per alterum ex Electoribus, ad hoc per Capitulum deputatum, publicetur electio in communi, id eſt coram Clero & populo, & cantetur, Te Deum laudamus, ſolenniter. &c. Et Electus, ſi præſens eſt, deportetur ante altare, & introniſetur.

Forma autem publicationis huiuſmodi erit. Recitetur totus proceſſus, ſicut iam in forma pronunciationis dictum eſt, & vltimò ſic adijciet. *Quam electionem vobis denuncio*, & in præſentia omnium dico ſolenniter publicando. Igitur celebrata & publicata electione, Decretum electionis fiat ſic.

Sanctiſsimo ac beatiſsimo Patri & Dño noſtro, Dño G. Diuina prouidentia ſacroſanctæ Romanæ, ac vniuerſalis Eccleſiæ ſummo Pontifici, P. Præpoſitus & Capitulum Eccleſiæ Strigonien. eius humiles, fideles, & deuoti filii, pedum oſcula beatorum. Sacris Canonibus nouimus eſſe cautum, quòd vltrà tres menſes vacare non debeant Eccleſiæ Cathedrales, ne propter defectum Paſtoris, Dominicum gregem lupus rapax inuadat, ac viduata Eccleſia, in ſuis facultatibus, graue diſpendium patiatur. Eapropter bonæ memoriæ B. Archiepiſcopo noſtro, Anno, Menſe, & die talibus, ſicut Deo placuit, viam vniuerſæ carnis ingreſſo, ipſius corpore, vt moris eſt, cum reuerentia Eccleſiaſticæ tradito ſepulturæ: nos tales, qui tunc præſentes eramus, conuenientes in vnum;

ad ele-

ad electionem futuri Pontificis nostri canonicè celebrandam, talem terminum, cum continuatione dierum sequentium, duximus statuendum. Citatis igitur in terminum & tunc præsentibus omnibus, qui electioni celebrandæ debuerunt, voluerunt & potuerunt commodè interesse, in Ecclesiam nos recepimus, de electione futuri Pontificis tractaturi. Sanè post diuersos tractatus inter nos habitos & nominatos, diuersarũ personarum, & simplices discussiones & inquisitiones multiplices, tandem placuit nobis & vniuersis & singulis per viam Scrutinij, nostræ Ecclesiæ prouidere. Et eligentes tres, scilicet B. C. & D. de nostro Collegio fide dignos, dedimus eis plenariam potestatem, vt secretè & sigillatim vota cunctorũ, primò tamen sua & postea nostra, diligenter inquirerent, & ea in scriptis redigerent, & in scriptis redacta, mox in communi eadem publicarent, & tam numeri ad numerum & zeli ad zelum, quàm meriti ad meritum, per eos collatione habita diligenti, illum eligerent, in quem inuenirent omnes, vel maiorem & saniorem partem nostri Collegij, consensisse, ita quòd vnus de consensu & voluntate, aliorum duorum Scrutatorum, vice sua, & collegarum, & aliorum omnium, electionem eandem pronunciaret in scriptis & solenniter celebraret. Qui secedentes in partem, primò vota sua, ita duo scrutabantur tertium. Secundò tres simul vota omnium aliorum, sicut nobis postea retulerunt secretè & sigillatim, diligenter inquisiuerunt, & in scriptis redacta, mox in communi publicauerunt, & in nostra per eosdem præsentia, secundum formam eis datam, tam numeri ad numerum, & zeli ad zelum, quàm meriti ad meritum, collatione habita diligenti, talis, vnus ex Scrutatoribus antedictis, de voluntate & consensu, & mandato aliorum, talem, in quem repertum fuit omnes, vel maiorem partem & saniorem nostri Collegij, seu Capituli in Scrutinio consensisse, vice sua, & collegarum omnium aliorum, in his consentientium, inuocata Spiritus sancti gratia, in

tia, in noſtrum & Eccleſiç noſtræ elegit Epiſcopum & Paſtorem, virum vtiq; plenæ & maturæ ætatis, vt potè, qui triceſimum annum ſuæ ætatis exegit, de legitimo matrimonio procreatum, & in ſacris Ordinibus conſtitutum, vita & moribus, & literarum ſcientia commendatum, & in ſpiritualibus & temporalibus circumſpectum, & electionem pronunciauit in ſcriptis & publicauit, hoc modo.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen. Anno, Menſe, & die talibus. Ego talis, vnus de Scrutatoribus à dicto noſtro Capitulo nominatus & electus, ad faciendum Scrutinium de electione futuri Pontificis, ſecundum formam ſuperiùs prætaxatam, ipſa ſeruata in omnibus, de voluntate & conſenſu, & mandato collegarum meorum, & omnium in his conſentientium, ex poteſtate mihi & ipſis tradita, inuocata Spiritus ſancti gratia, ad honorem Dei, & gloriоſiſsimæ virginis matris eius, & talis Sancti, in cuius honore Eccleſia noſtra eſt conſecrata. D. P. *in quem* collatione facta reperimus omnes, vel maiorem & ſaniorem partem Capituli noſtri, ſeu Collegij, quorum ſubſcriptiones inferiùs continentur, in Scrutinio conſenſiſſe, in noſtrum & Eccleſiæ noſtræ Epiſcopum & Paſtorem eligo, eandemq; electionem in ſcriptis pronuncio. Dictam verò electionem, ſic canonicè & ſolenniter celebratam & publicatam, in communi omnes recepimus & approbauimus. Te Deum laudamus, more ſolito, cum cordis iubilo, decantando. Idem verò Electus, ſibi tali die electione huiuſmodi præſentata, licèt ex humilitate ſe inſufficientem & indignum aſſerens, ſe multipliciter excuſaret: nobis tamen vehementer inſtantibus, timens diuinis diſpoſitionibus contraire, inuocato diuinæ pietatis auxilio, tali die dicta electioni conſenſit, non tam timidè, quàm deuotè electionem ipſam, onusq; impoſitum, vt prodeſſe valeat, ſuſcipiens & acceptans. Veſtræ igitur beatitudini duximus

vnani-

vnanimiter ſupplicandum, vt electionem prædictam, ſic canonicè & ſolenniter celebratam, dignemini confirmare, & electo noſtro conſecrationis munus fauorabiliter impartiri: Quatenus nobis, velut paſtor idoneus, & toti Prouinciæ præeſſe valeat vtiliter, & prodeſſe: nosq; & alii ſibi commiſsi, ſub eius ſacro regimine, poſsimus coram Deo ſalubriter militare. Ad huiuſmodi autem confirmationem à veſtra Sanctitate petendam, talem & talem noſtros Canonicos & cò electores, inſtructores, & procuratores ordinauimus & conſtituimus, & propter hoc eos ad veſtræ Sanctitatis pedes duximus deſtinandos, dantes eis plenam, & liberam poteſtatem petendi confirmationem, & ſi neceſſe fuerit prouiſionem & iurandi in animas noſtras, ſi viſum fuerit expedire, promittentes nos ratum & gratum, & firmum perpetuò habituros, quicquid per eos in prædictis, vel in aliquo prædictorum extiterit procuratum. Vt autem omnium noſtrum vota in prædictis omnibus & ſingulis in hac electione & petitione concordaſſe noſcatis, Sanctitati veſtræ hoc Canonicum decretum mittimus, roboratum propriis manibus, & ſubſcriptum. Ego. N. Præpoſitus Strigonien Eccleſiæ, ſupradictis omnibus & ſingulis conſenſi, & conſentio, & manu propria ſigno & ſubſcribo. Ego talis, vice talis, ſcribere neſcientis, de mandato ſuo ſubſcribo. Notarius autem in fine dicet. Acta ſunt hæc, Anno, Menſe, die & loco talibus &c.

Per viam autem Compromiſsi proceditur modo infraſcripto. Canonici vacantis Eccleſiæ, ſtatuant terminum, ad electionem celebrandam, interim vocatis omnibus abſentibus, & in termino conuenientibus, qui debent, volunt & poſſunt, commodè intereſſe, maior de Capitulo, vel alius cui Capitulum hoc committit, quærat à ſingulis, ſi placet eis per viam procedere Compromiſsi. Singulorũ autem conſenſu requiſito, & habito, tractetur de perſona cui committatur. Deinde ſingulorum votis, ſuper hoc requiſitis, & in vnam

perſonam cui committatur conuenientibus, vnus de mandato Capituli dicet. Ego vice Capituli & mandato, committo ſeu do A. ſi eſt vnus, vel A. B. C. ſi in plures compromittant, poteſtatem prouidendi noſtræ Eccleſiæ de Paſtore. Illi in quos compromittetur, ſi plures ſunt, quia poſſunt eſſe duo, tres, quinq;, vel ſeptem, trahant ſe ad partem, & ſimul deliberent, poteſtate recepta, & conferant de perſona eligenda, & ſi concordauerint, recedant ad Capitulum, & forma eis à Capitulo tradita in omnibus obſeruata, vnus eorum electionem pronunciet & publicet in hac forma.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen. Anno, menſe, & die talibus. &c. Ego talis, de voluntate & conſenſu collegarum meorum, in quos vnanimiter compromiſſum fuit à Capitulo noſtro, & in quos poteſtatem prouidendi Eccleſiæ de paſtore tranſtulerunt: vice mea & ipſorum omnium aliorum in electione ius habentium, & hîc præſentium, & ex poteſtate & authoritate, ſupradictis, mihi & aliis meis collegis conceſſis, inuocata Spiritus ſancti gratia, in quem nos A. B. C. compromiſimus, ſupradicti ſimul conuenimus, in noſtrum & Eccleſiæ noſtræ Epiſcopum eligo & Paſtorem. Et de ipſo prouideo dictæ Eccleſiæ in Paſtorem, & ipſam electionem & prouiſionem in ſcriptis & ſolenniter publico in communi.

Hæc forma ſeruanda eſt, quando Compromiſſarij ſunt de Collegio, prout dicit Concilium. Si verò erunt extra Collegium, tunc ſufficit dicere. Ego talis, vnus de Compromiſſariis ſupradictis, de voluntate & conſenſu ipſorum, vice totius Capituli B. in quem omnes conuenimus, eligo, ſiue prouideo in talis Eccleſiæ Epiſcopum, & Paſtorem. Et hoc quãdo totum Capitulum concordat: Nam vno contradicente, non poteſt per viam Compromiſsi procedi. Poſtmodùm verò coram Clero & populo publicet electionem, ſiue prouiſionem: & poſtea fiat Decretum ipſius electionis ſiue prouiſionis hoc modo.

Sanctiſ.

Sanctiſsimo & beatiſsimo Patri & Dño ſuo, Dño G. Diuina prouidentia ſacroſanctæ Romanæ, ac vniuerſalis Eccleſiæ ſummo Pontifici, P. Præpoſitus & Capitulum Strigonien. eius humiles filij deuoti, pedum oſcula beatorum. Cùm propter vacationem diuturnam Eccleſiæ, Paſtoris ſolatio deſtitutæ, in ſpiritualibus & temporalibus diſpendia patiantur, conditores Canonum deliberatione prouida ſtatuerunt, vt vltra tres menſes vacare non debeant Eccleſiæ Cathedrales. Defuncto igitur bonæ memoriæ N. Archiepiſcopo noſtro, Anno, menſe, die, talibus, ſicut Deo placuit, ipſiusq; corpore, cum reuerentia tradito Eccleſiaſticæ ſepulturæ: Nos tales Canonici Strigonien Eccleſiæ, qui tunc præſentes eramus, conuenientes in vnum, pro electione futuri Pontificis celebranda, talem terminum cum continuatione dierum ſequentium duximus ſtatuendum. Citatis igitur in terminum, & tunc præſentibus omnibus, qui electioni celebrandæ debuerunt, voluerunt, & potuerunt cõmodè intereſſe, in Capitulum nos recipimus, de electione futuri Pontificis tractaturi, & poſt diuerſos tractatus inter nos habitos, tandem placuit omnibus & ſingulis, per viam Cõpromiſsi, noſtrę Eccleſię viduatæ prouidere: Conſiderantes, in vnum difficulter multitudinem conuenire, & ſæpè in paucis ſpiritum ſanioris conſilij reſidere, dedimus plenam & liberam omnes & ſinguli vnanimiter poteſtatem A. B. C. de noſtro Collegio, vt ijdem vel maior pars ipſorum, vice ſua & noſtra, per electionem Canonicam, vel poſtulationem concordem, Eccleſiæ noſtræ ſupradictæ vacanti, Deum & bonum ſtatum ipſius Eccleſiæ habentes præ oculis, de perſona idonea prouiderent: omnem poteſtatem & vicem noſtram eis ſuper hoc committentes, ita quòd vnus ipſorum, de conſenſu aliorum Compromiſſariorum vel maioris partis ipſorum, vice ſua & collegarum & noſtra, illum, in quem omnes ipſi, vel maior pars ipſorum conueniret, eligerent, & electionem in præſentia noſtra ſolen-

niter

niter publicarent. Qui ſecedentes in partem, & Spiritus ſancti gratiam inuocantes, deuotè, poſt tractatus varios & diuerſos, de diuerſis perſonis inter ſe habitis, vt nobis poſtmodum retulerunt: tandem in Magiſtrum P. Strigonien Prępoſitum in Sacerdotali ordine conſtitutum, ijdem vnanimiter conuenerunt, virum vtiq; plenæ & maturæ ætatis, vt potè, qui triceſimum annum ætatis ſuæ exegit, & de legittimo matrimonio procreatum, vita & moribus, & literarum ſcientia meritò commendandum, in Spiritualibus & temporalibus plurimùm circumſpectum, quem talis, ſecundum formam in Compromiſſo appoſitam, in hunc modum elegit.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen. Anno, Menſe, & die talibus. Ego talis vnus de Compromiſſarijs ſupradictis, de voluntate & conſenſu collegarum meorum, iuxta formam Compromiſsi mihi & eis traditam, vice mea & prædictorum meorum collegarum, ac omnium de Capitulo ex poteſtate mihi, & prædictis collegis, ab vniuerſis & ſingulis, de ipſo Capitulo tradita, & inuocata Spiritus Sancti gratia, ad honorem Dei & glorioſiſsimæ virginis matris eius, & talis Sancti, noſtri Patroni, & omnium Sanctorum, Magiſtrum P. Strigonien Præpoſitum, in quem nos Compromiſſarij ſupradicti vnanimiter conuenimus, in noſtrum & Eccleſiæ noſtræ eligo Epiſcopum & Paſtorem, & de ipſo prouideo dictæ Eccleſiæ in paſtorem, eandem electionem, ſeu prouiſionem, in his ſcriptis pronuncio, & publico in communi: dictam quoq; electionem ſic canonicè ſolenniter celebratam, & in communi publicatam, omnes vnanimiter recepimus & approbauimus, more ſolito, pulſatis Campanis, cum cordis iubilo, Te Deum laudamus, ſolenniter decantãdo. Conſequenter autem conueniente populo ad pulſationem Campanarum, R. de mandato noſtro, dictam Electionem ipſi populo publicauit. Idem verò Electus, ſibi die tali, electione huiuſmodi præſentata, licèt ſe multipliciter excuſaret, tamen

nobis

nobis diligenter instantibus, inuocato diuinæ pietatis auxilio, die tali, dictæ electioni consensit. Sanctitati igitur vestræ duximus vnanimiter supplicandum, vt electionem supradictam sic canonicè celebratam dignemini confirmare, & Electo nostro prædicto, munus consecrationis misericorditer impartiri, quatenus authore Deo, nobis & tali Prouinciæ, velut pastor idoneus, valeat præesse vtiliter & prodesse. Nosq; & alij sibi commissi sub sacro regimine, possimus coram Deo salubriter militare. Ad huiusmodi autem confirmationem, nomine nostro à vestra Sanctitate petendam, D. & B. de nostro Capitulo, nostros procuratores & etiam instructores, ordinauimus & constituimus, & propter hoc eos ad vestræ Sanctitatis pedes duximus destinandos, dantes eis plenam & liberam potestatem petendi confirmationem, consecrationem, & si necesse fuerit, dispensationem & prouisionem, & iurandi in animas nostras, si visum fuerit expedire. Promittentes nos ratum, gratũ, & firmum perpetuò habituros, quicquid per eos in præmissis aut aliquo præmissorum fuerit procuratum. Vt autem omnium nostrûm vota in prædictis omnibus & singulis concordasse noueritis, & in hanc electionem & petitionem venire, hoc Canonicum decretum Sanctitati vestræ mittimus, roboratum proprijs manibus & subscriptum, & ad maiorem cautelam sigillo nostri Capituli, & etiam proprijs sigillatum. Ego talis, Archidiaconus Strigonien, prædictis omnibus & singulis consensi, consentio, & propria manu subscribo.

Per Inspirationem fit electio hoc modo. Si, dum Canonici primùm intrant Capitulum pro electione celebranda, nullo speciali tractatu præcedente, quasi diuina reuelatione & inspiratione, omnes, nullo contradicente, consenserint in aliquem repentè, & simul eum eligant, & veniant dicentes vna voce: eligo P. eligo P. Talis electio dicitur facta per inspirationem, ex qua omnes Canonici vno ore, & vno spiritu

eligunt. Non est vis, siue dicant eligo, siue eligimus: quia vna est censenda electio propter vnanimes voluntates. Et tũc formabitur sic Decretum.

Sanctissimo Patri & Domino, dño suo, dño G. Diuina prouidentia sacrosanctæ Romanæ ac vniuersalis Ecclesiæ summo Pontifici. P. Præpositus, & Capitulum Strigonien Ecclesiæ, eius humiles filij & deuoti, pedum oscula beatorum. Ne, præ defectu pastoris, gregem Dominicũ lupus rapax inuadat, aut in spiritualibus vel temporalibus Ecclesia viduata graue dispendium patiatur: conditores Canonum deliberatione prouida statuerunt, vt vltra tres menses vacare non debeant Ecclesiæ Cathedrales. Ea propter bonæ memoriæ R. Archiepiscopo nostro, Anno, Mense, & die talibus, sicut Deo placuit, viam vniuersæ carnis ingresso, ipsius corpore, vt moris est, cum reuerentia Ecclesiasticæ tradito sepulturæ, nos Canonici Strigonien Ecclesiæ, qui tunc præsentes eramus, conuenientes in vnum, ad electionem futuri Pontificis nostri canonicè celebrandam, talem terminum cum continuatione dierum sequentiũ, duximus statuendum. Citatis igitur in terminum & tunc præsentibus omnibus, qui debuerunt, voluerunt, & potuerunt commodè interesse, in Ecclesiam nos recepimus, de electione futuri Pontificis tractaturi: & nobis in vnum locum & propositum congregatis, vnusquisq; Diuina inspiratione repentè, nulla nominatione, nulloq; alio tractatu præcedente, in P. virum vtiq; plenæ & perfectæ ætatis, vt potè, qui tricesimum suæ ætatis annum exegit, de legitimo matrimonio natum, vita & moribus, & literarum scientia meritò commendandum, consensu vnanimi & vna voce simul, ac vnanimiter omnes & singuli, in Episcopum elegimus & pastorem. Et pulsatis campanis, Te Deum laudamus, solenniter decantauimus. Consequenter autem conueniente populo. &c. vt suprà forma proxima est publicatum. Datum &c.

Cùm per

Cùm per mutuum consensum eligentium, & electi, quasi fœdus spiritualis Matrimonij contrahatur, decet quòd in electionibus Pontificalium, & quarumlibet Ecclesiarum secularium & regularium dignitatum, arbitrium liberum electoribus conseruetur, vt secundum Deum & rectam conscientiam vacanti Ecclesiæ valeant de pastore idoneo prouidere. Sed quia nonnullorum detestanda cupiditas, culmen dignitatum ambiens, Pontificalibus, aut alijs dignitatibus Ecclesiasticis, per mortem, aut alio modo vacantibus, contra electores huiusmodi secularem concitant potestatem, per quam plerunq; à dictis electoribus, per impressionem laicalem, aut minas, vel alium abusum, à sanctis Canonibus reprobatum, eligi, imò verius intrudi se procurant. Talium igitur temerarijs ausibus viam præcludere cupientes, præsentis approbatione Concilij, Iuri communi, & nostrorum prædecessorum vestigijs inhærentes, statuimus & sancimus, quòd si deinceps aliqua Pontificali, aut alia Sede vel dignitate Ecclesiastica vacante, quispiam directè, vel indirectè, publicè vel occultè, contra electores huiusmodi secularem potestatem concitauerit, aut minas vel impressiones ordinauerit, seu comminatorias epistolas de se eligendo, ad dictos electores scribi procurauerit, aut aliquot impedimentum in bonis vacantis dignitatis præstiterit, siue ipsa bona in toto vel in parte occupauerit, vel occupari subordinauerit, tanquam ambitiosus & publici Iuris turbator excommunicationis sententiam ipso facto incurrat. Et nihilominus si in electionem per huiusmodi impressionum minas, vel alium secularis potestatis abusum forsitan de se factam contra Canonicam libertatem consentire præsumpserit, & electionis commodo careat, & ineligibilis sit, & beneficijs Ecclesiasticis, si qua obtinet, per superiorem sit priuandus, nec absq; dispensatione Sedis Apostolicæ deinceps ad aliquam valeat eligi dignitatem. Qui verò electionem huiusmodi, quam ipso iure irritam esse censemus, præ-

sumpserint celebrare, nisi eos talis metus, aut violenta impressio, quæ possunt cadere in constantes viros, excusset, ab officijs, & beneficijs quibuscunq; penitus suspendantur per triennium, & eligendi tunc potestate sint priuati. Adijcientes, quòd si quis electus ante aut post confirmationem electionis de ipso factæ, priusquàm literas suæ confirmationis extraxerit, administrationem bonorum Ecclesiæ, ad quam electus fuerit, quouis quæsito colore se intromiserit, extunc omne ius, si quod sibi per electionem & confirmationem competit, ipso facto amittat. Nisi talis electus fuerit, cui de iuris permissione aut priuilegio hoc competat, aut per superiorem ad hoc facultatem habentem, Ecclesia, ad quam electus fuerat, sibi sit commendata.

Archiepiscopus & Episcopi, ad Archidiaconatũ vacantem, proponere debent Capitulo duos qualificatos, ex quibus eligat digniorem.

Ex nouis Ioannis de Lasko.

QVia Archidiaconorum officium consistit in releuandis Episcopis, in his quæ ipsi per se facere deberent, maximaq; solertia, doctrina, vitæ & morum honestas, virtus deniq; & probitas in eis requiritur, vt non immeritò à sacris Canonibus oculi Episcoporum appellentur: Decreuit hæc sacra Synodus, vt amodò, iuxta dispositionem Bullæ à sede Apostolica concessæ, occurrentibus Archidiaconatuum vacationibus, tam in Metropolitanis, quàm Cathedralibus & Collegiatis Ecclesiis, Archiepiscopi & Episcopi proponant duos viros doctos, & ad hoc idoneos, ac iuxta Bullam prædictam qualificatos, ex quibus alterum digniorem cum suis Capitulis ad eosdem Archidiaconatus eligant, ipsosq; ad eos instituant: Nisi tales Archidiaconatus essent, ad quos laici ex aliquo Priuilegio ius habeant, quorũ ius saluum esse debet.

Ex eis-

Ex eisdem in Synodo Petricouien. Eiusdem.

ITEM circa Ecclesias Collegiatas aliquæ Præbendæ deputentur, ad quas non, nisi Iurisperiti & Magistri in Theologia, per ordinarios eligantur. Tenor autem Bullæ Apostolicæ, de qua supra fit mentio, sequitur & est talis.

Bulla Apostolica super electione Archidiaconorum perpetua, continens & alias non minùs vtiles, quàm necessarias Constitutiones.

Anno, 1513.

LEO Episcopus, seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Etsi ex debito pastoralis officij, tenemur circa indemnitatem & decorem cunctarũ orbis Ecclesiarum prouidere, ac illa statuere, per quæ Ecclesiæ ipsæ viris doctrina præditis illustrentur, animarumq; cura non negligatur, ac diuinus cultus augeatur, & quæ ad benè viuendum prouidè facta noscuntur, confirmare & approbare. In Ecclesiis verò Regni Poloniæ ad id eò fortiùs astringi videmur, quò Ecclesiæ dicti Regni tanquam arces solidæ, cum schismaticis, hæreticis, ac perfidis Turcis, & aliis Catholicæ fidei hostibus, continuè pugnare noscuntur. Sanè cùm venerabilis frater Ioannes de Lasko Archiepiscopus Gnesnensis, vir præclarus, & Primas dicti Regni, per charissimum in Christo filium nostrum Sigismundum, Poloniæ Regem illustrem, pro obedientia præstanda ad nos & sanctam Synodum Lateranen, Orator destinatus, tam dicti Regis, quàm suo & aliorum Prælatorum dicti Regni nominibus exposuerit, nonnulla in Ecclesiis dicti Regni statuenda & ordinanda, quæ non solùm ad propagationem virorum doctrina præditorum, sed etiam ad diuini cultus augmentum, & animarum curam, & normam benè viuendi, cum magna ipsarum Ecclesiarum, tam in spiritualibus quàm in temporalibus, conseruatione, tendere dino-

ſcuntur. Quare præfatus Ioannes Archiepiſcopus Gneſnenſis, dictis nominibus nobis humiliter ſupplicauit, vt dicti Regni Eccleſiarum neceſsitatibus & decori in præmiſsis de benignitate Apoſtolica prouidere dignaremur. Nos igitur qui in præmiſsis non ſolùm partes officij noſtri libenter impartimur, ſed illas ſummis deſideramus affectibus exequi, & adimplere exoptamus, prædictis neceſsitatibus ſatisfacere volentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati. Quod de cætero perpetuis futuris temporibus, in qualibet Collegiata Eccleſia, Gneſnenſis Diœceſis duo Canonicatus, & duæ Præbendæ, quas ipſe aut pro tempore exiſtens Archiepiſcopus Gneſnenſis etiam exnunc duxerit ad id deſignandas, dum vacabunt, tam etiam hac prima vice, quàm perpetuò, niſi duobus viris peritis conferri poſsint, vnus videlicet Canonicatus, & altera Præbenda, perito in Iure: alter verò Canonicatus & altera Præbenda perito in Theologia: & qui ſaltem in aliqua Vniuerſitate *inſigni per quinq; annos* ſtuduerint, de quo patentes literas dictæ Vniuerſitatis, vel diuerſarum, vbi in diuerſis ſtuduerint, exhibere: quiq; etiam publicè legere, & alios inſtruere teneantur, iuxta ordinationem, per eundem Archiepiſcopum faciendam. Quodq; Archidiaconi omnes quarumcunq; Gneſneñ, Cracouieñ, VVladiſlauieñ, Poſnanieñ, ac Plocenſis, Eccleſiarũ & Diœceſum, quibus cura animarum, ſeu fortè Iuriſdictionis imminet, non niſi per electionem ipſius Archiepiſcopi & Epiſcoporum, ac ſuorum Capitulorum, reſpectiuè, vnuſquiſq; ad ſuos Archidiaconatus prædictos, dum pro tempore vacabunt, aſſumi valeant, & ad eos Doctores, ac licentiati in Iure, aut Theologia, tantùm eligi & aſſumi poſsint, qui ſimiliter in aliqua Vniuerſitate, ad Doctoratus ſiue Licentiæ gradus promoti fuerint. Ac quod in abſentia obtinentium dictos Archidiaconatus & Canonicatus, ac Præbendas, quando vltra medium annum eos abeſſe contigerit, ſeu ſicut ipſe Archiepiſcopus in Synodo generali ab-

rali absentiæ eorum tempus & terminum designauerit, fructus illius anni & aliorum, vbi similiter non residerint, minimè percipere valeant: sed illi in vtilitatem residentium conuertantur. Necnon, quòd vnus Canonicatus, & vna alia Præbenda Ecclesiæ Gnesnensis, quos idem Archiepiscopus ad id similiter designauerit, non nisi Vicario aut Officiali Gnesnen conferri possint, & de illis prouideri valeat, auctoritate Apostolica perpetuò statuimus & ordinauimus. Et insuper ordinamus, vnam Præbendam Ecclesiæ Gnesnensis prædictæ, etiam similiter de Suffraganeo per eundem Archiepiscopum eligendam: necnon Rectoriam Parochialis Ecclesiæ Plebaniæ nuncupatæ in Znina eiusdem Gnesnensis Diœcesis, cùm primùm vacauerit, exnunc eiusdem authoritate & tenore, supprimimus & extinguimus, liceatq; extunc Suffraganeo Gnesnensi illorũ fructus, etiam quotidianas distributiones, eidem Suffraganeo, ratione eiusdem residentiæ debendos, propria authoritate, prout alij Canonici & Prælati eiusdem Ecclesiæ residentes seu præsentes, ex Statuto & consuetudine eiusdem Ecclesiæ Gnesnen, percipere consueuerunt & leuare, ac iuxta ordinationem per eundem Archiepiscopum fiendam, in Capitulo dictæ Ecclesiæ Gnesnen, necnon in Ecclesia Gnesnensi, etiam in Ecclesia circa diuina, & in omnibus aliis locis & actibus, etiam Capitularibus, vnà cum Capitulo dictę Ecclesiæ Gnesnen interesse, ac etiam vocem habere, ac dictæ Ecclesiæ Parochiali per vicarium ad nutum dicti Suffraganei ammouibilem deseruire. Quodq; Archidiaconatus, Canonicatus, & Præbendæ prædictæ, vigore gratiarum expectatiuarũ, necnon de illis alicui quauis authoritate prouidere nõ possit. Ac etiam quòd de fructibus & Canonicatuũ, Præbendarum, ac dignitatum, personatuum & officiorum Collegiatarum Ecclesiarum, totius Regni & dominiorum prædictorum, eorum qui non resident in huiusmodi beneficijs, seu in diuinis non deseruierint, aut in futurum non residebunt, seu non deseruient,

ſeruient, etiamſi ex indulto Apoſtolico, aut aliâs quouis modo, ex conſuetudine ſeu ſtatuto de iure non tenerentur, poſsit liberè in Synodo Prouinciali certam partem prouentuum beneficiorum illorum deſignare, illamq; in vtilitatem ſeruientium Eccleſiæ aut reſidentiũ, put ei meliùs videbitur, erogare. Et vt ad quædam beneficia, quæ non niſi Lectoribus, Doctoribus, Magiſtris ſeu Baccalaureis Scholæ Cracouieñ per Vniuerſitatem Cracouieñ concedi conſueuerunt, idoneiores aſſumantur, quod de cætero conceſsiones, ſeu quæuis aliæ diſpoſitiones, etiam authoritate Apoſtolica dictorum beneficiorum non valeant, niſi ad id ſaltem doctorum medietatis, & aliorum legentium dictæ Scholæ expreſſus accedat aſſenſus. Necnõ vt importuni motus & ambitioſi exquirentium fictas lites reprimantur, quòd derogationes regularum de annali poſſeſſore, ac alterius, quòd nulla commiſsio cauſæ valeat, niſi literis expeditis in quibuſuis gratiis, ſeu commiſsionibus cauſarum beneficiorum prædictorum dicti Regni & dominiorum. Etiam in gratiis ſi neutri ſimul, ſi alteri, vel perinde valere, etiam motu & ſcientia ac poteſtate ſimilibus, ac derogationes Iuriſpatronatus laicorum, quouis modo vacantium, etiam apud ſedem Apoſtolicam, præterquàm per obitum, nullo modo valeant, nec de cætero alicui ſuffragentur, etiam ſtatuimus & ordinamus. Et vt nonnulla Statuta & ordinationes dicti Regni, & Eccleſiarum etiam Cathedralium & Metropolitanæ eius eò firmiùs perſiſtant, quo fuerint noſtro munimine confirmata, Statutum ſeu conſuetudinem Eccleſiarũ prædictarum, quibus cauetur, quòd illi, qui recipiuntur in Canonicos, ſeu ad aliquam dignitatem, vel ad aliud quoduis beneficium in aliqua prædictarum Eccleſiarum, ſoluere teneantur iucundum ingreſſum, commutantes in vtilitatem & honorem dictarum Eccleſiarum reſpectiuè. Ac aliud Prouinciale Statutum, quo cauetur, quòd notarij inueſtiturarum de beneficiis Eccleſiaſtis non poſsint pro eorum mercede recipere

Iucundus ingreſſus

vltra du-

vltra duos florenos auri Vngaricalis, quod incipit. Cùm ex eo etiam Prouincialia, in quibus circa imperitiam notariorum & diuersorum, qui pro notariis se gerunt & non sunt, de signis & protoculis eorum, & deponendo eos in Metrica, & de eorum examine, antequàm officia exerceant, & multis aliis licitis & honestis prouideatur. Necnon de Pontificalibus & aliis sacris exercendis, iuxta ritum Romanæ Ecclesiæ. Nec non quæcunq; alia Statuta Prouincialia nuncupata, & facta in Prouinciali ac principali Synodo Gnesneñ, dum modo aliâs legitima & honesta sint: Necnon, quia idem venerabilis frater noster Ioannes Archiepiscopus Gnesnensis considerãs, quòd tam Sede vacante Ecclesiç Gnesneñ, quàm non vacante, negligentia Prælatorum qui sæpè bona & possessiones dictæ Ecclesiæ visitare non curant, multa sæpè occupantur & dissipantur, volens opportunè prouidere, quoddam officium Oeconomi seu visitatoris possessionum & bonorum dictæ Ecclesiæ Gnesneñ erexit, ac desuper quasdam ordinationes, Statuta & applicationes vtiles & proficuas dictæ Ecclesiæ fecit & ordinauit, tam omnia & singula præmissa Statuta, consuetudines & ordinationes, quàm etiam erectionem dicti Oeconomi, cum suis ordinationibus, & applicationibus, vt præmittitur factum, tenore præsentium confirmamus & approbamus, illaq; perpetuò & inuiolabiliter obseruari volumus, supplentes omnes & singulos defectus, tam Iuris, quàm facti, si qui interuenissent in eisdem, non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac Statutis, Consuetudinibus, Priuilegiis & indultis Regni & dominiorum dicti Regis, & Ecclesiarum prædictarum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel alia quauis firmitate roboratis. Etiamsi de illis eorumq; totis tenoribus, seu alia quauis speciali forma, specialis mentio foret habenda: Decernentes Statutis, ordinationibus, voluntati & confirmationi, nostris præmissis, & eorum singulis, derogari non posse, nec derogatum

censeri. Ac quoties forsan in aliquo derogari, vel contra prę-missa, seu aliquod præmissorum indulgeri per nos aut Sedem prædictam contigerit, toties eo ipso præmissa omnia & singula iterum Statuta & ordinata ac decreta irrita censeantur. Necnon quicquid secùs à quoquam quauis authoritate contra præmissa, seu aliquod præmissorum, contigerit attemptari, irritum fore & inane decernimus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostri Statuti, ordinationis, suppressionis, extinctionis, confirmationis, voluntatis, suppletionis, approbationis & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datũ Santæseuerę Portuensis Diœcesis, Anno incarnationis Dñicæ, 1513. xviij. Calend. Decemb. Pontificatus nostri, Anno primo.

ABBATVM ELECTIO.

Petri Gamrati, Petricouiæ Anno 1542.

ADmoniti diligenter per Clerum ꝛmi Dñi, Dominus Archiepiscopus & Episcopi, promiserunt se deinceps in Comitiis publicis, in noua Statuta, libertatem Ecclesiasticam tollentia, absq; consensu Synodi Prouincialis non consensuros, prout prædecessores eorum aliquando faciebant: maximè verò in Statutum nouum, contra liberam Canonicamq; electionem Abbatum in Monasteriis (vt scilicet soli Nobiles Monachi Abbatiis præficerentur) factum. Quod quidem Statutum nouum, vt potè regulas, & modum viuendi omnium ordinum & religionum eneruans, est ipso iure nullum, & statum Monachalem obligans minimè, conditoresq; eius. Necnon illi consentientes, à sacris Canonibus & Statutis Prouincialibus sunt excommunicati ipso facto, & licèt hoc ipsum Statutum abrogatione non indigeat, cùm sit ipso iure nullum ex defectu.

ex defectu potestatis & iurisditionis, nihilominùs nostri Domini, Archiepiscopus & Episcopi, in Regni Comitiis futuris, vt illud Statutum, in quantũ aliquod sit, penitùs abrogetur. Decreuit etiam sacra Synodus, ne de cætero seculares, & alii in Abbates eligantur, præterquàm Monachi probati & professi, secundum singulorum ordinum regulares sanctiones, & antiquam consuetudinem.

Ex Synodo Louicienſi, Aloiſii Lipomani Epiſcopi Veronenſis, & Sedis Apoſtolicæ Nuncii: ac Nicolai Dziergovvski Archiepiſcopi Gneſneñ. Anno Dñi, j556. xi. Decembris.

AD Abbatias & Præposituras regulares, ad quas execrabilis quorundam secularium Clericorum ambitio irrumpere, timore Dei abiecto, non veretur, decreuit sacra Synodus, vt non nisi regulares & professi, iuxta dispositionem iuris communis, deinceps liberè, cessante quouis suorum Commissariorum vel aliarum quarumcunq; personarum metu aut coactione, eligantur, & per ordinarios taliter electi, & non alij benedicantur. Locorum autem ordinarij in ipsos Abbates & Præpositos diligenter, prout de iure, superintendant, vt scilicet regulariter & sine scandalo viuant, & suis exemplariter Monasteriis præsint, habitumq; & tonsuram, præsertim Abbates, sui ordinis deferre nõ erubescant, vestes fericeas non deferant. Fratres sui ordinis studere volentes, in studiis generalibus seruent, & in Monasteriis certum numerum Scholarium, atq; Magistros qui eos ac nouitios ordinis doceant, iuxta dispositionem Statutorum Prouincialium, dudũ super hoc editorum, teneant & habeant. Capellas etiam suorum Monasteriorum, maximè Parochiales Ecclesias, seu Præposituras, pensionibus indebitis & sibi reseruatis, non onerent, easq; vectigales sibi quoquo modo non faciant, nec illis onera aliqua

in earum præsentatione sub depositionis pœna imponere præsumant, si notam labis Simoniacæ euitare cupiunt, quandoquidem sine aliqua diminutione illas conferre oporteat. De quo Rmi dñi locorum ordinarii diligenter in suis Diœcesibus pro officio suo inquirant.

DE RENVNCIATIONE.

NVllus Ecclesiam vel beneficium Ecclesiasticum dimittere, vel permutare, vel recipere præsumat, sine superioris sui authoritate, quod sub pœna suspensionis firmiter inhibemus. Cùm autem beneficio suo aliquis in manibus sui superioris renunciare voluerit, superior ipse de renunciationis causa, an sit rationabilis vel iusta, & per consequens admittenda, an verò Simoniaca, seu per vim & metum extorta, & sic non admittenda, inquisitionem faciet diligentem: & tunc à tali iuramentũ, quòd in huiusmodi renunciatione nulla fraus, dolus, seu pactio Simoniaca interuenit, exigatur.

De supplenda negligentia Prælatorum. Ex antiquis.

CONtingit nonnunquam, sicut experientia rerum magistra didicimus, aliquos nostræ Metropolis Episcopos, se à suis Ecclesiis extra vel intra Prouinciam, in locis remotis vel abstractis, ex causis quibuscunq; absentari: qui loco sui in Spiritualibus constituunt vicarios, qui quidem sæpè talia impedimenta, propter quæ non potuerunt, patiuntur aliquando etiam ipsi vicarij, dimittentes commissum sibi officium & regimen totius Diœcesis, diuertunt se ad alia nullo loco sui dimisso, vel aliquando in suorum Episcoporum absentia moriuntur: vnde grauia animarum & rerum Ecclesiæ emergunt pericula & errores. Nos igitur paterna prouisione, huius sacri Concilii approbatione, his casibus succurrere cupientes, statuimus.

statuimus, vt si quem talium vicariorum Episcopalium Canonico impedimento (propter quod administrare non posset) prohibitum, seu desertorem officij, aut mortuum (vt præmittitur) in sui Episcopi absentia fieri contigerit, extunc Capitulum huius Ecclesiæ, vel maior vel sanior pars eiusdem, facta protestatione de huiusmodi defectibus, succedat in onere, & de alio idoneo & vtili de gremio eiusdem Ecclesiæ, vicario in Spiritualibus seu officiali, omnem potestatem sibi de iure competentem habente, prout ipsi expedire videbitur, pro uidendi habeat facultatem. Qui huius sacræ Synodi authoritate, spiritualia simul & temporalia, hoc modo vel consimili desertatæ Ecclesiæ & Diœcesis sciat, valeat, & possit, prudenter & fideliter, cũ consilio & consensu sui Capituli gubernare, pariter & tueri, tanto tempore, quousq; Episcopus ipsorũ ad locum vnde exiuit reuertatur, vel alius ab eo surrogetur. Omnia tamen emolumenta, exinde tempore medio prouenientia, Episcopo redeunti restituere tenebuntur, & de ipsis sibi facere rationem. Nihilominùs Capitulum huiusmodi siue maior pars ipsius de absentia Episcopi, & de impedimentis & defectibus, tam Episcopi, quàm sui vicarii tenebuntur, quamprimùm commodè poterint per literas suas vel nuncios Metropolitanum, qui pro tempore fuerit, vel si maluerint Romanum Pontificem consulere; qui circa præmissa & alia, si quæ fuerint supplenda, in huiusmodi negligentia, vel absentia Episcopi, habebit consulere & facere, secundum quod personis & rebus videbitur expedire, & ex præmissis omnibus nolumus iuri & iurisditioni Episcopali, casibus cessantibus, in aliquo derogare.

Ioannis Prerembii Archiepiscopi. Varssouiæ Anno Dñi, 1561. Die 4. Martii.

CVM ad conseruandam disciplinam Ecclesiasticam magnoperè sit necessarium, vt omnes, qui in hac militanti

Ecclesia cæteris præsunt, officiis suis diligenter incumbant. Propterea sacra Synodus inhærendo prioribus decretis Synodalibus, R.mos dños locorum ordinarios, ad exequutionem Statutorum Prouincialium veterum & nouorum faciendam, extunc monet & hortatur, Capitulisq; Metropolitanarum & Cathedralium Ecclesiarum seriò iniungit, vt deinceps toties quoties opus fuerit eosdem R.mos dños Archiepiscopos & Episcopos suos, si quos viderint in hoc esse remissos & negligentes, officij eorum admoneant. Qui si huiusmodi admonitionem minimè curauerint, secundò & tertiò idem facere nõ negligant, & hoc vbi copiam sui circa sponsam suam Episcopi exhibuerint: Alioqui absentes per literas vel nuncios suos iterum atq; iterum diligenter admoneant. Qui si adhuc in negligentia eiusmodi temerè perstiterint, extunc sic negligentem R.mo domino Archiepiscopo per suas literas fraternè admonendum deferant: qui si etiam R.mi domini Archiepiscopi admonitionem (quod absit) contempserit, extunc deinceps dominus ipse Archiepiscopus ad exactionem pœnæ in Synodo Lancicien laudatæ contra sic officii sui negligentes, vigore præsentis Constitutionis Synodalis, iure mediante, ex officio suo procedat, communicato tamen in hoc duorum vel vnius, si commodè illi videbitur, suæ Prouinciæ Episcoporũ seniorum consilio. Quodsi verò R.mus dominus Archiepiscopus etiam simili vitio negligentiæ, in Diœcesi vel Prouincia suis laborare à Capitulo suo notaretur, idem facient in admonendo eo officii sui duo seniores huius Prouinciæ Episcopi. Vbi verò aliquis dñorum Episcoporum censuras & pœnas iuris, à domino Archiepiscopo eo nomine promulgatas, animo (quod absit) indurato sustinendo contempserit: aut etiam dominus Archiepiscopus modo præmisso admonitus in officio exequendo remissus fuerit, extunc talis per Capitula maiorum Ecclesiarum Sedi Apostolicæ deferatur. Capitula verò, si etiam in præmissis aliquam admiserint negligentiam, similibus

milibus pœnis à R^mo domino Archiepiſcopo vigore præſentis decreti Synodalis afficiantur. Quarum quidem pœnarum medietas fabricis ſuarum Cathedralium Eccleſiarum, altera verò Vniuerſitati ſtudii Cracouieñ applicetur.

De tempore Ordinandorum. Ex antiquis.

CVM Clericorum ordinatio, vel beneficiorum prouiſio, imminebit facienda, Prælati ex officii ſui debito, diligenter inquirant, an promouendus ad Sacros ordines vel ad curatum beneficium, ſit grauis in moribus, ætatis legitimæ & ſcientiæ competentis: & vtrum ſit de thoro legitimo natus, & quod non ſit aliqua hæreſi infectus, & vtrum habeat perpetuum beneficium Eccleſiaſticum, vel ſufficiens patrimonium, aut ſufficientem prouiſionem, volens ad Sacros ordines promoueri: & ſi eſt de alia Dicœceſi, vtrum habeat commendatitias literas ſuperioris. Quem autem criminoſum & defectuoſum inuenerint in præmiſſis, aut aliquo præmiſſorum, hunc omnino repellant. Præcipimus inſuper, quòd Epiſcopi excommunicationis ſententiam proferant in illos, qui furtiuè ad receptionem ordinum acceſſerint, priuſquàm ordinationem inchoent Clericorum.

Præterea ſtatuimus, quòd ordinarii locorum, ad examen Clericorum ordinandorum, ponant viros doctos, idoneos & peritos, in eo ipſorum examinatorum conſcientias onerantes, vt ſine acceptione perſonarum ex quacunq; cauſa indoctos, & alios immeritos non admittant.

Statuimus, quòd nullus ad Sacros ordines aliquatenus admittatur, niſi recenter confeſſus fuerit omnia delicta ſua idoneo Sacerdoti, per loci Dicœceſanum ad hoc deputato, cui etiam in caſibus reſeruatis, vigore præſentis Statuti, concedimus facultatem abſoluendi & diſpenſandi, cùm pauci ſint, qui delicta ſua vel ſequelas intelligunt delictorum, quodq; per diſcretum

ſcretum confeſſorem valeat inſtrui ordinandus, an ſibi expediat ordinari, vel ob irregularitatis alicuius vitium ei ſit potiùs abſtinendum.

De ætate & qualitate ad Ordines promouendorum, & de literis dimiſſoriis. In Synodo Petricouienſi prima, & Lancicienſi prima & ſecunda.

QVoniam in Synodo Petricouienſi ſtatutum erat, vt nullus ad aliquos ordines, etiam minores recipiendos, admitteretur, niſi per literas teſtimoniales Decani ruralis, & vnius aut duorum Plebanorum vicinorum eiuſdem Decanatus, vbi degit, de vita & moribus, & conuerſationibus bonis, & honeſtis doceret. Quod Statutum, neceſsitate & vtilitate ſuadente, corrigere in melius & emendare cupientes, ſtatuimus vt Acoliti omnino deinceps non ordinentur, niſi tunc, cùm ad ſacros Ordines ſtatim promoueri, vel eis beneficia Eccleſiaſtica conferri deberent. Ordinandi verò ad ſacros Ordines non alii admittantur, niſi in Metropolitana, Cathedrali, vel Collegiata Eccleſia, ſtent per vnum annum integrum, cantui & officiis diuinis diligentiùs incumbendo, de quo literas teſtimoniales ab Officiali loci ad Ordinarium afferre debent: adñcientes, quòd literæ dimiſſoriæ paſsim per Ordinarios, & abſqꝫ legitimo examine non concedantur.

De eodem. In Synodo Petricouieñ prima.

STatuimus præterea, quòd ad Eccleſias, quibus cura imminet animarum, iuxta iurium diſpoſitionem, non inſtituantur, niſi ætate legitima conſtituti, & in morum grauitate, literarumꝫ ſcientia imbuti, de quo per Ordinarios inquiratur mediante examine, prout circa Ordinandos ad aliquos ordines

ordines cautum est fieri. Circa quod examen, nulla penitus munera exigantur, aut etiam ab vltro portantibus recipiantur, prohibemus. Accipientes autem, duplum danti restituent, & pœnam Synodalem ordinario soluent. In quo conscientiæ eorum sint oneratæ.

Ex Statutis Dreuicii, Anno Domini, 1532. Petricouiæ editis.

FAcilitate factum est, quòd multi Clerici, nec literati, neq; bonis moribus imbuti, ordinari se à Suffraganeis Cathedralium Ecclesiarum procurant, indulto seu dimissoria ab Ordinariis quomodolibet & aliquando per importunas intercessiones obtenta, in maximum scãdalum status Ecclesiastici. Synodus itaq; sancta, pro euitandis periculis & scandalis maioribus, statuit, eam licentiam ordinandi restringendo, vt non nisi sacerdotio aptos, & diligenter examinatos, testimoniũq; bonum suæ conuersationis habentes, & qui circa Cathedrales Ecclesias, vel Collegiatas, iuxta dispositionem veterum Prouinciæ Statutorum, annum integrum morantes in scholis expleuerint, & à Magistris Scholarum suæ conuersationis, necnon certum titulum, vel sufficiens patrimonium, seu prouisionem sufficientem habuerint, ordinentur. Cæterùm quænam prouisio sufficiens sit, aut existimari debeat, Synodus Diœcesana vel Prouincialis decernere debet. Suffraganei autem si labem Simoniacam euitare cupiunt, nihil præterquàm Statuto Prouinciali est permissum, pro ordinatione ab ordinatis exigant.

De eodem. Ex Nicolai Dziergovvski Lancicienſibus Statutis. 1547.

NON potest tolerari sine magno status Ecclesiastici dedecore, quòd passim docti & indocti, probi & reprobi, ad

Ordines sacros maiores & minores, ac sine discrimine promouentur, multiq; iam Sacris initiati, munia eorum ordini conuenientia, obire præ ignorantia non valent: atq; per hoc statui Clericali contemptum & secularibus graue scandalum pariunt: idq; contigit examinatorum ad id deputatorum conniuentia & negligentia, vel quauis potiùs supina indulgentia. Sacra itaq; Synodus, hanc periculosam indulgentiam & negligentiam præcludere volens, statuit & decreuit, vt deinceps Archidiaconis, ad quos de iure & consuetudine ordinandorum examen pertinet, vel ab eis deputatis, adiungat quilibet Lociordinarius Officialem suum, & Ecclesiæ suæ Pœnitentiarium, & Magistrum scholæ, ac vnum ex Vicariis Cathedralium Ecclesiarum, qui tales ad Ordines aspirantes, diligenter & fideliter de vita anteacta, moribus & scientia, ætate, & natalibus, examinare sint astricti, in quo eorũ cõscientiæ onerentur. Et nullum, qui in locis hæresi infectis studuerit, susc ipere, neq; ad prouisionem seu ad certũ titulũ, vel sufficiens patrimonium, de cætero admittere audeant. Domini quoq; Suffraganei nõ alios, quàm eo pacto examinatos, ordinare præsumant.

De filiis Presbyterorum. Ex antiquis.

CVM illegitimè natis, dispensant Episcopi in minoribus Ordinibus & beneficio sine cura, dummodò tale sit, in quo aliâs dispensare possint: in aliis dispensatio Papæ requiratur. Si verò dispensatum fuerit cum aliquo, quòd nõ obstante illo defectu possit ad curatum beneficium promoueri, prætextu illius dispensationis, non poterit duo beneficia simul obtinere.

De Clericis peregrinis. Ex antiquis.

NVLlus Clericus curatus Prouinciæ nostræ, in quouis ordine constitutus, peregrinari extra suã Diœcesim præsumat, absq; Diœcesani sui licentia speciali, vel sui Vicarii generalis, qua petita & obtenta, idoneum Presbyterum loco sui relinquat,

quat, quem Diœcesanus approbet, & interim sibi committat curam animarum. Quodsi quis vltra sex menses se à suo beneficio absentare præsumpserit, curam animarum habente, à beneficio Ecclesiæ vel Ecclesiarum, in qua vel in quibus beneficiatus existit, per lapsum sex mensium sit suspensus: aliâs ter monitus si vago modo, vel cessante legitima causa, ad Ecclesiam suam non redierit, ipso facto eadem sit priuatus.

DE OFFICIO ARCHIDIACONI. Ex antiquis.

ITem statuimus, quòd Archidiaconi suos Archidiaconatus de triennio in triennium visitent per se, vel per alios idoneos, fideliter, & non perfunctoriè, in quo ipsorum conscientias oneramus. Et dum officium visitationis exercent, ab omnibus Presbyteris subiectis audire Canonem teneantur, & eos, si id quod legunt intelligant, examinare in officio Missæ toto ordine, in verbis, gestis, atq; signis. Non solum iure Canonico, sed etiam Constitutionibus & Statutis prohibitum fore noscitur, sed pœnis grauibus Archidiaconis & aliis iurisdictionem habentibus, de consuetudine, vel de iure, ac eorundem vices gerentium, ne à subditis seu Ecclesiarum rectoribus, ipsis non visitatis, procurationes & expensas in pecunia audeant extorquere, quia tum his non obstantibus suę cupiditatis laxantes habenas, in his culpabiles & remissi manifestè noscuntur. Ordinamus & statuimus, vt de cætero ipsi Archidiaconi, & alii iurisditionem habentes, vel eorum vices gerentes, videlicet Decani rurales, à locis non visitatis, & præsertim pro concubinis tenendis, publicè in statu damnabili, in suarum animarum periculum, non audeant à rectoribus Ecclesiarum, vel aliis Presbyteris pecunias exigere. Alioquin contra facientes virtute Statuti præsentis excommunicationis sententiam incurrere volumus ipso facto. Et nihilominùs, si quos processus in præmissis promulgauerint, decernimus irritos & inanes.

+ singulis annis

Ioannis de Lasko. Ex nouis, videlicet Petricouieñ prima, & Lancicienſi ſecunda.

DEcernimus, quòd Archidiaconi, & illi quibus onus viſitandi imminet, de triennio in triennium viſitent, & ſi contra iuris & Statutorum diſpoſitionem, rectores & alios Presbyteros aggrauãdo, in ſuo officio excederent, vltra procurationem aliquid extorquerent, negligentesq; eſſent, per Diœceſanos etiam ex officio extorta reſtituere compellantur, & pœna viginti ducatorum puniantur. In quo ſi Ordinarius inuentus fuerit negligens, pœna viginti marcarum pro fabrica Eccleſiæ Cathedralis, vel Metropolitanæ, vbi hæc negligentia euenerit, conuertenda per Archiepiſcopum: & Archiepiſcopus per Synodum Prouincialem puniendus. Vt autem huius rei inquiſitio meliori exequutioni demandetur, ſtatuimus, vt Ordinarii in qualibet Sede Archipresbyteratus, ſeu in Decanatu rurali, eligant duos teſtes Synodales, ad nutum Ordinarii remouibiles, videlicet, Archipresbyterum ſeu Decanum ruralem, & vnum Plebanum ei vicinum, qui eſſet inter alios vita & moribus commendatus, qui Archidiaconorum viſitantium veſtigia inquirerent, eorumq; errata, neglecta, & extorta, Ordinario & ad Synodum Diœceſanam deferent, à quibus Ordinarii iuramentum in Canonibus expreſſum recipiant, eosq; in quantum in eorum officiis viderentur negligentes canonicè puniant. Si autem Decanus ruralis ad præmiſſa minùs videbitur ſufficiens, poterit Ordinarius in eodem Decanatu, alium Plebanum, magis idoneum ad præmiſſa ordinare.

Latalicii & Gamrati.

COgant etiam R^mi Dñi Archiepiſcopi & Epiſcopi authoritate huius Synodi & iuris communis, vt Archidiaconi per ſe (niſi legitima cauſa excuſentur) in quo caſu per Doctores;

ctores aut Magistros artium, in sacris ordinibus constitutos, probatæ virtutis, & de consensu Ordinariorum suorum diligenter visitent Parochias suas, statutis à iure temporibus: quorum visitationes soli Ordinarii per se vel delagatos exequantur, quiq; Archidiaconi, ad residentiam circa Ecclesias suas, iuxta Bullę Leonis x. dispositionem, compellantur. Alioquin pœna in Bulla expressa puniantur. Qui verò Archidiaconatus electiuos sine electione legitima occuparunt, illos ad sex menses resignare, & Capitula Ecclesiarum illarum, alios eligibiles, ad ipsos lapsis sex mensibus, eligere teneantur. Qui autem Archidiaconatus legitimè assequutos, tamen non promoti in Doctores contra dictæ Bullæ tenorem obtinent, hinc ad vnius anni cum dimidio decursum, se promoueri in Doctores curent, sub priuatione eorundem Archidiaconatuum suorum. Vbi autem Ordinarii vel Capitula in præmissis exequendis remissiores fuerint aut negligentes, R^mus Dñs Archiepiscopus, velut Primas, illorum negligentiam supplere, & præmissis oportunè prouidere, ac de huiusmodi Archidiaconatibus disponere debebit.

Ioannis Przerembski. Varsouiæ. 1561.

ET quoniam Archidiaconorum officium adeò est in Ecclesia Dei necessarium, vt rectè à Patribus Archidiaconi oculi Episcoporum vocentur, veterem constitutionem Synodalem super electione Archidiaconorum declarando, decreuit sancta Synodus, vt eorum electio, iuxta Statuta Prouincialia, & dispositionem Bullæ Leonis decimi, per omnia obseruetur, neq; vlla colluſio, in nominandis duobus Doctoribus, per R^mos Dños Ordinarios committatur: sed vterq; æquè qualilificatus & idoneus, ab eisdem, iuxta præscriptum Statutorum, liberæ electioni Capitulorum proponatur.

DE OFFICIO VICARII.

Ex antiquis.

ET ne fortè contingat, ſtulto labore, ſicut dictum fuit Moyſi, vos conſumi, ſi ſoli velitis omnia negocia veſtrarum Diœceſum ſupportare, vel ne videamini iuſtitiæ neglectores, ſi per vos ipſos vel per alium non curatis ſubditis veſtris iuſtitiam exhibere. Mandamus vt quilibet veſtrum, Officialem ſuum in ciuitate ſua iuxta Cathedralem Eccleſiam conſtituat & relinquat, cauſis rationalibus dũtaxat exceptis, virum vtiq; literatum, prouidum & diſcretum, cui vices ſuas committat plenariè in cauſis audiendis, & cenſura Eccleſiaſtica exercenda, vos autem in his, quæ ad Dominum pertinent ſpecialiter intendatis, & maiora ad nos cum opus fuerit referantur. Et habeat quilibet Officialis ſigillum curiæ domini ſui pro Citationibus, & aliis actis coram ipſo habitis ſigillandis. Et ad iſtum accedant pauperes & oppreſsi, & ſuis decimis ſpoliati, necnon alii totius Diœceſis, qui habent cauſas ad forum Eccleſiaſticum pertinentes. Et ipſe ſe exhibeat ſapientibus & inſipientibus iuſtitiæ debitorem. Quodſi infra menſem Epiſcopus negligens fuerit: extunc Metropolitanus negligentiam approbatione huius Concilii ſupplebit in hoc caſu, cùm à multis in dubium ſolet reuocari, an rector Parochialis Eccleſiæ, vigore poteſtatis ſibi in ſua inſtitutione commiſſæ, circa curam & regimen animarum, vicario ſuo, vel ſocio, quem ſibi in coadiutorem recepit, ſimilem authoritatem abſoluendi Parochianos ſuos, in caſibus eidem conceſsis, concedere poſsit, abſq; Ordinarii loci licentia ſpeciali. Nos attendentes, quòd plerunq; ex huius ambiguitatis dubio multa incommoda animabus proueniunt, ad huiuſmodi dubium declarandum, quod omnibus & ſingulis Eccleſiarum Parochialium rectoribus ſecularibus vel Conuentualibus, liceat ex vi ipſorum inſtitutionis, ad Eccleſias Parochiales canonicè

factæ vicariis suis, & sociis suis notis, & viris approbatis, & non vagis, nec peregrinis, sed de quorum constat ordinibus, Plebanis præsentibus, vel infra breue tempus se absentantibus pro eodem receptis, similem & non maiorem authoritatem circa absolutiones confitentium concedere, hoc sacro Cõcilio approbante, plenam in Dño concedimus facultatem.

DE OFFICIO ORDINARII, & Metropolitani, & Legati nati. Ex antiquis.

STatuimus, quòd deinceps futuris temporibus, quilibet Archiepiscopus Gnesneñ, qui pro tempore fuerit, de triennio in triennium Prouincialem teneatur Synodum, per se vel alium conuocare: ipse quoq; & quiuis Episcopus præfatæ Gnesnensis Prouinciæ, in antea quolibet anno, semel in sua propria Diœcesi, Diœcesanam teneatur similiter per se, vel per alium Synodum congregare, eo anno excepto, quo Prouincialis Synodus celebratur.

Suas quoq; Diœceses præfati Archiepiscopus & Episcopi visitare procurent, subditorum excessus corrigant, mores reforment, statuant, ordinent, & videant quæ animarum saluti crediderint profutura.

Quodsi quoq; (quod absit) præfati Archiepiscopus & Episcopi (antedictas Synodos, vt præmittitur absq; causa rationabili, quam in Prouinciali Synodo tunc proximè secutura teneantnr exponere) contempserint, neglexerint, aut distulerint conuocare, Archiepiscopus pro neglecta Prouinciali centum, pro Diœcesana verò obmissa, ipse & quiuis Episcopus negligens quinquaginta Marcas grossorum Pragensium numeri Polonici & consueti, sine contradictione seu difficultate qualibet, pro fabrica Metropolitanæ vel Cathedralis Ecclesiæ, persoluere teneatur. Quas pœnas, si Archiepiscopus centum Marcas elapso triennio, ipse verò, vel quicũq; alius Episcopus quinquaginta Marcas anno elapso soluere

(vt præ-

(vt præfertur) non curauerit infra menſem, extunc Archiepiſcopus Epiſcopum comprouincialem negligentem, præmiſſa monitione, cenſura Eccleſiaſtica compellat ad ſoluendum. Metropolitanus verò per Synodum Prouincialem, auctoritate præſentis Concilii, ſimiliter compellatur.

Item ſtatuendo ordinamus, hoc ſacro Cõcilio approbante, vt per omnia tollantur dubia, quòd de cætero Epiſcopi, & Capitula Eccleſiarum Cathedralium, necnon Abbates Metropolitanæ Prouinciæ, ad Synodum Prouincialem vocari, & eorum Nuncii admitti debent. Et ſi aliqui taliter impediti fuerint, quòd ad Synodum venire non poſſent, legitimam excuſationem cum pleno mandato, ad acceptandum & recipiendum ea, quæ in Synodo ſancita fuerint, mittant. In qua Synodo in eundo & redeundo honeſtè ambulent, & honeſta acquirant hoſpitia, & in eis circumſpectè ſe habeant & modeſtè, ne mores & geſtus in vita Clericorum, populo fiant in ſcandalum & contemptum.

Statuimus etiam & præcipimus obſeruari, quòd in Synodis Prouincialibus & Diœceſanis Miſſa debet publicè decantari, & in eadem Epiſcopi & Abbates, & alii qui de iure vel priuilegio infulis vtuntur ſeu mitris, mitrati: Præpoſiti verò, Canonici, & inferiores Prælati, cum ſuperpiliciis, dalmuciis & paruis mitris, & Cappis ſeu pluuialibus: Rectores verò Eccleſiarum, & ſimplices Sacerdotes, cum ſuperpiliciis & ſtolis tantùm Synodum intrent, & in ea deuotè, & cum reuerentia vſq; ad finem, niſi caſus neceſsitatis emerſerit, perſeuerent. Religioſis nullam Prælaturam vel adminiſtrationem habentibus, perpetuò permittimus, in habitu ſuo cum ſtolis in Synodis poſſe ſtare: etiamſi adminiſtrationem habeant, prouiſo quòd inferiores Prælati, quibus per priuilegium conceditur vſus mitræ, ſi ſunt exempti, in Prouincialibus & Epiſcopalibus Conciliis vti poſſunt aurifrigiatis, id eſt, aureis filis conſutis, non habentibus laminas auri vel argenti, aut gemmas.

gemmas. Si verò non sunt exempti, albis & planis vtantur. In aliis verò locis vtentur, vt indulta permittunt.

Omnibus insuper vtriusq; sexus hominibus, qui Missę prædictæ intererunt, quadraginta dies indulgentiarum, de iniunctis eis pœnitentiis, misericorditer relaxamus.

Sacerdos quilibet plebem suam doceat diligenter, vt cùm in celebratione Missarum leuatur hostia salutaris, quilibet deuotè flectat genua sua, vel saltem se reuerenter inclinet. Idem facient cùm eam portat Presbyter ad infirmum, quam in decenti habitu, superpositò mundo velamine, ferat manifestè ac honorificè, ante pectus cum omni reuerentia & timore, cum nola parua & lumine, nisi locorum repugnet distantia, vel temporis qualitas præcedentis. Et vt ad faciendam tam venerabili Sacramento debitam reuerentiam & honorem hominum fidelium deuotio incitetur, omnibus Christifidelibus, qui in eleuatione & delatione corporis Christi, genua flectent, vel saltem deuotè sese inclinauerint, & vnum Pater noster cum salutatione Angelica dixerint, aut ipsum venerabile Sacramentum ad infirmos concomitati fuerint, de omnipotentis Dei clementia quadraginta dies indulgentiarum, de iniunctis pœnitentiis, misericorditer relaxamus.

Antiquum Statutum Gnesneñ Prouinciæ renouantes præcipimus, vt Episcopi summis festiuitatibus Missas celebrent, & verbum Dei populo per se, vel alios ad hoc idoneos, proponant, nisi magna necessitate fuerint impediti.

Item statuimus, vt omnes Còepiscopi nostri in omnibus Diœcesibus Prouinciæ nostræ, ad quas eos deuenire contingat, populum benedicant, Ecclesiarum rectoribus, & eorum prædicatoribus, vt Parochianos suos in sermonibus & exhortationibus suis informent, & ad benedictiones Episcoporum se humilient, genua flectant, vel saltem capita reuerenter inclinent, firmiter iniungentes.

Adhæc statuimus, vt singuli Episcoporum suos carceres

habeant circa Ecclesiam Cathedralem, in quibus falsarii incorrigibiles, & Apostatæ, vel alii qui hoc meruerunt, recludantur.

In Synodo Lancicienſi ſecunda. Ex nouis Ioannis de Lasko.

VT Domini Archiepiſcopi ſuas, & Prouinciales Dicœceſes, Epiſcopi verò Dicœceſes eorum, iuxta diſpoſitionem ſacrorum Canonum, viſitent per ſe, vel per alium, & primò Curias ſuas emendantes & corrigentes, quæ videbuntur emendanda. Prædicatores verbi Diuini, & confeſſores idoneos, ac viros in iure peritos in eorum Curiis ſeruent & foue ant, in partem ſollicitudinis, & regimen curæ paſtoralis.

Archiepiſcopus, Synodum Prouincialem celebraturus, Epiſcopos & Capitula aui- ſet. In prima eadem & ſecunda.

COnſideratis locorum & temporum incommoditatibus, in quibus ab antiquo conſueuerunt Synodi inſtitui. Decreuit & conſtituit ſacra Synodus, vt R^mus Dñs Archiepiſcopus Gneſnenſis, communicato conſilio cum aliis R^mis Dñis Cò epiſcopis ſibi vicinioribus, Synodos Prouinciales non alibi, quàm in Petricouia, Lancicia, vel Lovicz, inſtituat, per ſuas q; literas priuatas, Ordinarios & Capitula, de loco Synodi auiſatos faciat, & iuxta vota maioris partis Epiſcoporum & Capitulorum, locum Synodi, in altero ex tribus prædictis locis inſtituat. Nec in alio tempore anni, quàm in principio Autumni, vel in Hyeme, hoc eſt in aliquo conuenienti tempore, inter feſtum diui Bartholomæi & quinquageſimam: niſi aliud euidens & ineuitabilis neceſsitas, aliquo alio loco & tempore, conſtituendam ſuaderet. Quoties verò ſua celſitudo Synodos inſtituet, totiens cauſam præcipuam, propter quam eam in-

eam instituit, in literis clausis ad Dños Episcopos & Capitula exprimere teneatur, vt super ea deliberare, & demum parati ad Synodos venire valeant. Non negamus tamen, quòd etiam vltra causam propositam, & alia in Synodo tractari possunt negocia maiora & minora, & maximè ad morum reformationem pertinentia, prout necessitas & vtilitas Ecclesiæ, Reipub. vel singulariũ personarum, exposcere videbuntur.

Archiepiscopus fungatur officio Legationis. In eadem prima.

PLacuit etiam Synodo, vt R^mus Dñs Archiepiscopus Gnesnensis, Legatus natus & Primas, vtatur officio Legationis in Prouincia, secundum Bullam ad hoc celsitudini suæ concessam, & in præfata Synodo publicatam. Causas tamen extra Diœceses partium rearum non committat, nisi quando actor probaret perhorrescentiam, aut sibi imminere mortis periculum, tunc in proximiori Diœcesi partis reæ committere possit. Liberum tamen erit Dñationi suæ, trahere ad se partes reas, de quacunq; Diœcesi Prouinciæ suæ, quando voluerit aliquam causam audire per se. Et quia hæc Legatio data est ad instar Legationis R^mi Dñi Episcopi Cantuarien̄ in Anglia, cuius facultas adhuc hîc ignoratur: placuit Synodo, vt hac sua secundum illam vtatur, postquàm de illius facultatibus certior efficietur. Placuit etiam vt hæc Legatio, in facultatibus amplioribus, vltra ius commune augeatur per summum Pontificem, quatenus id impetrari possit, saltem vt percussores Clericorum, qualicunq; percussione, etiam post declarationem, authoritate ipsius Legationis absolui possint, Episcopis exceptis. Tenor verò Bullæ prædictæ sequitur, & est talis.

Bulla Apostolica Legationis natæ. 1515.

LEO Episcopus, seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Pro excellenti præeminentia Sedis Apostolicæ, in qua post beatum Petrum Apostolorum principem, quamuis imparibus meritis, pari tamen authoritate constituti sumus, in agro irriguo militantes, Ecclesiæ nouas Legationes plantare, & instituere, Pontifici dignum arbitramur per nouas plantationes, præsertim in locis Christifidelium, infidelibus vicinis, ac in parte schysmata sustinentibus, non solùm populorum deuotio, verumetiam hæc ipsa noua nominis & fidei Domini nostri Iesu Christi plantatio, schysmatumq; eradicatio, vt augeatur commodiusq; succedat, & animarum salus subsequatur, ac Prouinciæ & Regna illustrentur. Idq; nos eò libentiùs agimus in locis prædictis, in quibus tum ex variis inter mortales occasionibus, tamen inprimis interitus schysmatum ratione necessitatis, plerumq; subesse conspicitur, & ad hoc Catholicorum Regum vota tendere noscuntur, vt assistentia & authoritate Legati noui, & alma mater Ecclesia propagationis plantationis nouæ, & genus humanum, propositum felicitatis æternæ præmium felicius valeat adipisci. Attendentes igitur, quòd in toto Regno Poloniæ, vna Metropolitana Gnesneñ videlicet principalis Ecclesia existit, cui omnes aliæ Ecclesię dicti Regni Metropolitico iure, ac etiam Metropolitana Leopolienſis in terris Russiæ, ad Regnum ipsum pertinentibus sit, Primatiali iure sunt subiectæ. Et quodsi venerabilis frater noster Ioannes de Lasko modernus, & pro tempore existens Archiepiscopus Gnesnenſis, suæ Archiepiscopali Prouinciæ & Ecclesiis, sibi Metropolitico ac prædicto Primatiali iure subiectis, non solùm Metropolitico ac Primatiali, sed etiam Legationis iure præesset, & ratione dignitatis eiusdem Primatialis, huiusmodi Legationis officium haberet, ex hoc profecto salubriori & diligentiori exercitio, Metropoliticæ Primatialisq; iurisdictionis, & commoditati Ecclesiarum, quæ sibi Metropolitico & Prima-

Primatiali iure subiciuntur, ac illis nunc & pro tempore præsidentium Prælatorum, necnon Cleri & populi, Ciuitatum & Diœcesum earundem, quæ in eorum oportunitatibus, ad eundem Archiepiscopum & Legatum ratione eorum, quæ vigore Legationis huiusmodi exercere poterit, faciliùs & commodiùs recurrere possent, & eiusdem Ecclesiæ Gnesnensis, & præfati Regni, cuius Reges & incolæ Apostolicæ Sedi, deuoti & fideles semper esse consueuerunt, deuotioni ac venustati plurimùm consuleretur. Considerantesq; in Regno Angliæ, olim & in Germania, Archiepiscopos aliquot, Legatos natos, per prædecessores nostros erectos fuisse: Eorundem prædecessorum vestigiis inhærentes, & ad magnam instantiam, quam super hoc fecit, & facit charissimus in Christo filius noster, Sigismundus dicti Regni Poloniæ Rex illustris, debitum habendo respectum, ad Dei laudem & honorem, ac fidei Catholicæ exaltationem, prædictum Ioannem de Lasko, modernum, ad nos & sacrum Lateranense Concilium, pro dicto Rege, Oratorem destinatum, & pro tempore existentem Archiepiscopum Gnesnensem, Legatum natum, cum omnibus honoribus & oneribus consuetis, ita quod de cætero suo Archiepiscopali, & prædictæ Leopolien Prouinciis, & Ecclesiis sibi Metropolitico & Primatiali iure subiectis, non solùm Metropolitico & Primatiali, sed etiam Legationis iure præsit. Et ratione dignitatis suæ Primatialis & Legationis officium, in ipsis Prouinciis habeat, authoritate Apostolica, & ex certa scientia nostra facimus, & constituimus, & etiam ordinamus: sibi nihilominus concedentes, vt omnibus & singulis, priuilegiis, libertatibus, præeminentiis, exemptionibus, immunitatibus, honoribus & gratiis, vti & gaudere. Ac quod omnia & singula facere, & exercere, ac mandare, ordinare & exequi, quæ ad Legatos natos, & huiusmodi Legationis officium habentes, quomodolibet pertinent, & qua alii Legati nati, præsertim verò Legatus Cantuariensis, qui in Prouinciis suis, de

iure, priuilegio & consuetudine, mandare, facere, & exequi possint, liberè & licitè valeat. Mandantes per præsentes vniuersis & singulis Suffraganeis, Leopolienſiq; terrarum Russiæ Archiepiscopo, & aliis in dictis Prouinciis existentibus, quatenus eidem Archiepiscopo, & Legato nato, pro tempore existenti, in his quæ sibi ratione officii Legationis, sic vt præfertur competunt, pareant & intendant, non obstantibus Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac literis & Priuilegiis quibusuis concessis, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum exprimerentur, præsentibus pro expræssis habentes, quibus quo ad præmissa, specialiter & expresse derogamus, cæterisq; contrariis quibuscunq;. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrę creationis, constitutionis, ordinationis, concessionis, mandati & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum. Anno Dñi 1515. v Idus Iulii. Pontificatus nostri, Anno tertio.

Archiepiscopus & Episcopi, inquisitores hæreticæ prauitatis instituant. Ioannis Laski Lanciciæ, Anno Dominini, 1527.

ITem: Decreuit eadem Synodus prioribus Statutis inniteudo, & eadem innouando, vt Dñi Archiepiscopi & Episcopi, præsertim verò VVratislauien & Cuiauien, in suis Diœcesibus seruent inquisitores & visitatores hæreticæ prauitatis, qui per singulas Diœceses visitent & inquirant diligenter de suspectis & notoriis in secta Luterana, quos Dñis Ordinariis deferant puniendos. Qui visitatores seu inquisitores, vnus ad minus esse debet in qualibet Diœcesi Presbyter secularis vel regularis, prout Dñis Archiepiscopis & Episcopis meliùs & vtiliùs, ac commodiùs videbitur facien. Sed

quoniam

quoniam visitatio & inquisitio, quantumuis diligentissima, ad extirpationem eiusdem sectæ parum prodesset, nisi adhiberetur fidele pabulum verbi Dei per viros verè Catholicos, valentes verbo, opere & exemplo, quorum sana doctrina scirent homines reprobare malum & eligere bonum: Ideo decreuit hæc sacra Synodus, prioribus Statutis inhærendo, vt Dñi Archiepiscopi & Episcopi, præsertim verò VVratislauien & Cuiauien in Curiis, Ecclesiis, Metropolitanis, Cathedralibus & Collegiatis, & illis potissimùm vbi secta Luterana adhuc pullulare videtur, seruent Theologos doctos, verbi Diuini Concionatores, qui Euangelium Christi, & sacram paginam, per solidam scripturam, verum & approbatum intellectum, Christifidelibus tradant, & interpretentur: omittentes in cõcionibus quæstiones scholasticas, & exempla somniata, quæ corda fidelium distrahere potiùs, quàm ædificare, videntur.

Libri cuilibet Parocho necessariò habendi. Eiusdem. ex Eadem.

ITem. Quia rectores Ecclesiarum Parochialium, tenentur de iure prædicare populo verbum Dei, quod absq; sana Sacræ scripturæ intelligentia ad effectum deducere nõ possunt, vnde quia valdè periculosè existunt minæ Euangelicæ, quibus dicitur: Si cœcus cœco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt. Statuit hæc sacra Synodus, antiquos Canones innouando: Quòd Dñi Archiepiscopi & Episcopi, eorumq; in Spiritualibus Vicarii, mandent per Processus generales, omnibus & singulis Ecclesiarum Parochialium Rectoribus, eorumq; Vicariis, & aliis verbi Diuini Concionatoribus tam secularibus quàm regularibus, vt post nouum & vetus Testamentum, opera beatorum Cypriani, Athanasii, Gregorii Nazianzeni, Basilii, Chrysostomi, Hilarii, Augustini, Ambrosii, Hieronymi, Gregorii, & Leonis, qui ea habere possunt:

Alioquin

Alioquin Homilias per anni circulum, Dominicis diebus, & festis aptas, Sacramentorum libros, Lectionarium, Antiphonarium, Baptisterium, Computum, Canones pœnitentiales, Psalterium cum interpretatione D. Hieronymi, Rationale Diuinorum officiorum, Statuta Prouincialia noua & vetera habeant, & interpretentur: Ne ex diuersis & variis concionandi formulis, scholasticisq; disputationibus, quæ hucvsq; præ manibus habentur, & seipsos in solido Sacræ scripturæ intellectu confundant, & auditoribus verbi Dei erroris confusionisq; occasionem præbeant.

Eiusdem. ex eadem.

ITem, Decreuit Synodus, vt Rmi Dñi Archiepiscopi & Episcopi Sac Regiam Mtãtem per se, vel nuncios Synodales deprecentur, vt eius Mtãs in Curia Regali Prædicatorem doctum seruare dignaretur, qui singulis diebus Dominicis & festis coram eius Mtãte prædicet, præsertim cùm alibi quàm Cracouiæ moram agere Mtãtem suam contigerit. Et quòd deinceps in Conuentionibus generalibus, consultationes publicas Senatorum, & Nunciorum Terrestrium, ipsis diebus Dominicis & festis, ante prandia eius Mtãs fieri prohibeat, cùm ea res in scandalum plurimorum vergat. Verùm mandet sua Mtãs, vt Senatores & Nuncii Terrestres, Diuina officia diebus prædictis & Concionem audiant reuerenter & deuotè. Alioquin quilibet ex Dñis Archiepiscopis & Episcopis, eiusmodi Prædicatorem ordinare teneatur, in cuius Diœcesi Conuentio generalis indicetur, aut Regia Mtãs ibidem constitueretur.

Ex eadem. Eiusdem.

ITem. Quia vita & mores Clericorum, plùs interiore quàm exteriore reformatione egent, & Pastor animarum, instar boni medici, interiora primùm hominis curare tenetur, quibus per-

bus perfectè sanatis, morbi exteriores per se non facilè coalescunt. Ideò requirit hæc Synodus in Spiritu sancto congregata, vt Dñi Archiepiscopi & Episcopi, visitent primùm Ecclesias omnes, Metropolitanas, Cathedrales, Collegiatasq; per se, & alias inferiores Ecclesias per Archidiaconos, iuxta modum & formam sacrorum Canonum, Statutorumq; Prouincialium. Et vt iudicium & iustitia incipiat à domo Domini, reforment primò seipsos, curiasq; suas. Deinde gradatim Clerum Diœcesis suæ vniuersum: ambitionem, auariciam, cupiditatem, Ecclesiasticæ substantiæ abusum, & malam dispensationem patrimonii Christi, curæq; animarum negligentiam, & his similia in eis corrigant. In Prælatos quoq; & Canonicos, & Presbyteros, horas Canonicas, & cætera officia Diuina, rarò aut nunquam peragentes, animaduertant.

Innouat etiam hæc sacra Synodus, & pro innouato habere decreuit, Decretalem Ordinarii, de Off: Ordinarii libro sexto, volens vt quilibet Dñorum Archiepiscoporum & Episcoporum, Clericos sibi subiectos plures dignitates vel Ecclesias, quibus animarum cura imminet obtineñ, seu personatum, aut dignitatem cum alio beneficio cui cura simul annexa est, obtinere non permittant, nisi de dispensatione Apostolica quis teneretur. Alioquin si dispensatio sufficiens producetur, exhibens nequaquam in beneficiis huiusmodi molestetur. Prouideant tamen Ordinarii, ne cura animarum in eisdem beneficiis, propter non residentiam eorum negligatur, iuxta formam ac tenorem eiusdem Decretalis.

Synodus Prouincialis Lanciciæ non celebretur. Eiusdem ex eadem.

REuerendissimi Dñi Episcopi, Nuncii Capitulorum, & Abbates, petierunt primum Dominum Primatem, vt sua celsitudo deinceps Synodum Prouincialem Lancicię non indiceret,

diceret, propter loci incommoditatem, & inopiam rerum. Sed Petricouiæ, vel in Lovicz, vbi hospitiorũ & victualium habetur abundantia. Ad quod Rmus Dominus Archiepiscopus Primas se sponte & liberè summisit.

Dreuicii Petricouiæ, 1532.

VIgilantia pastorum grex omnis integer conseruatur. Sacra igitur Synodus sacris Canonibus & institutionibus inhærendo, admonitos esse voluit Rmos Dños Archiepiscopum & Episcopos huius Prouinciæ, vt Diœceses suas, non modò per Archidiaconos, sed etiam per seipsos frequentiùs visitent, ac errores populi & Cleri, sine personarum acceptione, discreta correctione emendent, domibus & curiis suis ante omnia priùs emendatis. Ne trabs oculum obumbrans festucam oculum habentem prætereat: hoc enim modo sacrę religionis integritati sufficienter prouidebitur. Cleri vita, & morum honestas, disciplina congruenti adhibita, conseruabitur, & à populo omne scandalum, quo sanctæ religioni detraheretur, & in animarum piarum discrimen tenderet, ope Dei faciliùs prouidebitur. Tunc & libri Apocrifi vel Hæretici faciliùs explodi possint, & vt explodantur, nec inuehi permittantur, imò veriùs vt neq; legantur alicubi, & legi prohibeantur, Synodus Rmis Dñis Ordinariis, curam hanc vt prouideant maturè ingerit, maximè si fieri potest, vt seueritati, quæ in Regno Hispaniæ sanctissimè aduersus prævaricantes, vel suspectos in religione obseruatur, inhæreatur.

Eiusdem ex eadem.

PRælatorum officium & Abbatum debitum esse, magna ratione sacra Synodus censens & existimans, suasit omnium sententia, vt in Republica Ecclesiastica viros eruditos, maximè in Sacra pagina & Canonibus versatos habeant: vt Primores

mores & Prælati, pauperes ſtudere volentes in ſtudiis foueant, vel ex pietate expenſis iuuent. Abbates verò pro debito officio ſuo Monachos aptos ad ſtudia in Gymnaſiis ſtudere faciant, vt ſanctæ religioni, & ſtatui Eccleſiaſtico, nunquam deſint operarii, & protectores præſtantiſsimi.

Bibliothecæ viſitentur, & libri venales reuideantur. Petri Gamrati Petricouiæ 1542.

DEcreuit etiam hęcſacroſancta Synodus, vt in ſingulis Diœceſibus, ad minus ſemel in anno, per Dños Lociordinarios, aut eorum delegatos, Bibliothecæ ac libri venales in eis contenti viſitentur, & diligentiùs reuideantur: quodſi qui libri ſuſpecti aut Hæretici in eis reperientur, cremari debent, & Bibliopola puniri pœna arbitraria, per locorum ordinarios imponenda, aliâs iuxta Statuta Regni, & Conſtitutiones Regiæ Mtãtis, atq; edicta iamdudum ſuper hæc facta, quorum exemplum eſt in Statutis nouis Laski de Hæreticis inſertum: & ſimile nouiſsimum hîc placuit inſeri.

Sigiſmundus Auguſtus Dei gratia Rex Polo. &c.

Vniuerſis & ſingulis, Palatinis, Caſtellanis, Capitaneis, arcium, & aliorum locorum noſtrorum Tenutariis, eorumq; viceſgerentium, Vicecapitaneis, & Burgrabiis, Proconſulibus & Conſulibus, & aliis Magiſtratibus vrbium & oppidorum Regni noſtri, ad quos hę noſtrę literę præſentes peruenerint. Significamus & mandamus earum tenore. Quòd cùm antiquitus Bibliopolæ omnes, & Impreſſores, ſint & eſſe debeant ſub poteſtate & iuriſditione Reuerendorum & Reuendorum dñorum Archiepiſcoporum & Epiſcoporum, eorumq; Ordinariorum officialium, ne & F. veſtræ eos à poteſtate & iuriſditione Eccleſiaſtica in iis quæ ad impreſsionem, inuentionem, & venditionem librorum pertinent eximere & vindicare audeant: Imò verò F. veſtræ Epiſcopis, eorumq; Officialibus, quotiens o-

pus fuerit, fauorem & auxilium contra eos præbeant, ad perquireñ & auferendos Hæreticos, si quos ii impreſſerint, importauerint, vel vendere & habere comperti fuerint, cùm nõ modò edicto diui parentis noſtri, verumetiam omnium Chriſtianorum Principum atq; populorum legibus & conſtitutionibus olim cautum ſit, ne eiuſmodi libri Hæretici, vel de Hæreſi ſuſpecti vſquam edantur, vel vllo modo euulgentur. Ne quis igitur aliter faciat, pro officio ſuo & gratia noſtra. Si quis autem huic mandato, ſiue edicto noſtro non obtemperauerit, condignas pœnas à nobis expectabit. Datum Vilnæ, prima die menſis Martii. Anno Domini, M. D. L VI. Regni verò noſtri XXVII.

Ad mandatũ S. R. M. proprium.

Eiuſdem ex eiſdem.

IMpreſſores autem librorum, nouos libros, neq; alia quæcunq; etiam minima exemplaria, imprimere non audeant, niſi primũm reuideantur per Lociordinarios, vel eorum delegatos, ſub pœna grauiori arbitraria, etiam per Ordinarios imponenda.

Ex eiſdem Eiuſdem.

PRomiſit etiam Rmus Dñs Archiepiſcopus Gneſneñ, iuriſditione Legationis natæ, in Commiſsionibus & Citationibus decerneñ vti, put cõmunia iura diſponunt, ne quod datum eſt in ſuffragiũ, vergere poſsit in oppreſsionem multorũ.

ITEM, vt reformatio aliqua commodiùs fieri valeat, decreuit ſancta Synodus, vt Dñi Locorumordinarii in curiis & officiis ſuis ſeruent viros doctos, Deum timentes, & præſertim in officiis Cancellariæ vnum ex Prælatis, vel Canonicis Eccleſiarum ſuarum Cathedralium, qui vice illorum alioquin negociis publicis occupatorum, & extirpationibus Hæreſum & exequutionibus decretorum Synodalium ſuperintendant.

Cæterum

Cæterum vt quoq; Rmi Dñi Archiepiscopi & Episcopi specimen & exemplum boni odoris, virtutumq;, & bonæ famæ Clero sibi subiecto de se præbeant, lectiones ex sacra scriptura in mensa sua, post solennem orationem, benedicite, adhibeant, cantilenas profanas & seculares non admittant, familiaresq; Ecclesiasticos & seculares in curiis suis reforment diligenter, ne cæteris offendiculo existant. Ad quod eorum celsitudines consenserunt.

Idem eiusdem.

CVM non liceat alicui, nisi vocato de speciali consensu Rmi Dñi Archiepiscopi, Episcoporum & Rectorum Parochialium, ac illorum quorum interest ad prædicandum verbum Dei accedere, pleriq; tamen his turbulentis temporibus ad concionandum sese temerè ingerunt, & quod deterius est, suggesta noua sibi erigunt extra Parochias in locis, vbi ante nunquam extiterunt. Decreuit hæc sancta Synodus, vt de cætero tales ab huiusmodi Concionibus arceantur, & non nisi vocati per habeñ potestatem, iuxta doctrinã Pauli, accedant. Suggesta verò, ad quos ea res pertinet, fieri non patiantur, & facta demoliantur.

Eiusdem Petricouiæ 1544.

DEcreuit etiam hæc Synodus, vt Rmi Domini Archiepiscopus & Episcopi circa suas Ecclesias resideant, excepta causa Ecclesiæ & Reipub. aut saltim illas frequentiùs visitent, atq; Cleri sui vitam & mores deprauatos, tum etiam gregis dominici sibi commissi, corrigere studeant, eundemq; ab iniuriis & oppressionibus secularium tueantur, qui absente Prælato maiora audent, & deteriora quotidie moliuntur.

Eiusdem.

DEcreuit similiter, vt Rmi Dñi Synodis Prouincialibus intersint, absentes verò pœna Statuti percellantur, &

Statutum dudum contra absentes exequatur, & signanter cõ tra Episcopos Varmieñ & Culmeñ. Et vltra hęc, ædificia curiarum & castrorum suorum, & prædiorum sarta tecta seruent, & manu teneant, & quantum fieri potest, meliorem in eis conditionem faciant: cuius rei reuisionem sacra Synodus personis Capitularibus committet.

Eiusdem.

ET quòd illi, qui in studio Vittembergensi, vel Montis Regii, aut aliis partibus Germaniæ de Hæresi suspectis, cõmorantur, beneficiis Ecclesiasticis omnibus, nisi à die præsentis Constitutionis infra sex menses redierint, puniantur, & ad alia obtinenda, ac etiam ad suscipieñ sacros ordines reddantur inabiles autoritate præsentis Synodi.

Eiusdem.

ET cùm pleriq; Sacerdotes, siue illi sint Parochi, eo paupertatis deuenerunt, quòd iniurati per Nobiles, & potissimùm in raptu decimarum, & aliorum bonorum Ecclesiasticorum, vel propter defectum, vel propter perhorrescentiam, iure cum iniuriatoribus experiri non possunt. Constituit sancta Synodus, vt R^mi Dñi Archiepiscopus & Episcopi teneantur, & debent diligentiùs tales vnà cum eorum Ecclesiis tueri. Et quod ad delationem Clerici iniurati ex illorum officio per instigatorem procedatur: prouiso tamen, vt si qui (cum possunt iniurias persequi suas) illas tamen dissimulant, & pro illis non agunt, tales pœna ordinaria per Ordinarios puniantur.

Eiusdem.

CVrare debent R^mi Dñi Archiepiscopus & Episcopi, vt eorum tribunalia, & officialium suorum in dignitate debita & reuerentia retineant. Turbatores iudiciorum, & cum armis seu strepitu armorum venientes in iudicium, mulctis

ordinariis

ordinariis & aliis pœnis debitis percellant, efficiantq; in Comitiis Regni proximis, vt contra tales (vltra pœnas sacrorũ Canonum & Constitutiones Synodales) aliæ securitatis pœnæ instar Iudiciorum terrestrium, & alias arbitrio Dñorum Ordinariorum, iuxta qualitatem & conditionem personarũ & delicti statuantur: vtq; tam iudicibus quàm personis ad iudicia, etiam ad Synodos venientibus & redeuntibus de securitate debita prouideant.

Nicolaus Dzierzgovvski, Lanciciæ 1547.

CAEterum sacra Synodus considerans, quòd vbi maius periculum metuitur, ibi vigilantiùs est intendendum. Cùm itaq; pabulum verbi Dei populo Christiano sit perneccessarium, expedit vt hoc idem verbum Dei per viros idoneos, probos, & in moribus ac doctrina non deprauatos administretur. Propterea innitendo iuri communi, & vetustis Statutis Prouincialibus decreuit, vt singuli Ordinarii in suis Cathedralibus & Collegiatis Ecclesiis viros doctos, & non suspectos, verbi Dei prædicatores prouideant, nec aliquem sine eorum speciali licentia Cathedram Concionis conscendere permittant. Ad Parochiales quoq; non nisi ritè de ætate, moribus & scientia, priùs examinatos instituant, ac similiter Parochos, ad seruandum idoneos Concionatores, vbi ipsi ad prædicandum non sufficerent, in Parochiis suis astringant. Vbi autem aliquis Ordinariorum in præmissis negligens fuerit, pœna centum Marcarum mulctetur per R^mum Dominum Archiepiscopum, & ab ipso irremissibiliter exigeñ.

Idem Petricouiæ 1551.

TAmetsi nihil dubitat sacra Synodus infrascripta, per Reuerendiss. Dños Archiepiscopos & Episcopos, semper fuisse inuiolabiliter obseruata, ad maiorem tamen cautelam decreuit,

decreuit, vt ipsi Rmi Domini Archiepiscopi & Episcopi, cæteriq; beneficiati homines cuiuscunq; status, præeminentiæ, & conditionis existant, Hæreticos siue de Hæresi suspectos, vel excommunicatos, suis in curiis nõ teneant, neq; tolerent, quinimo illos à familiaritate sua & colloquiis arceant, & ipsi à librorum Hæreticorum lectura abstineant. Sed neq; disputationes de fide, aut fidei articulis (qui in dubium per Hæreticos vocantur) præsertim verò cum secularibus hominibus, circa mensas suas fieri permittant. Pro vacillantibus autem & ignaris in fide, viros doctos Catholicos, & in sacris literis versatos, sub pœna quingentorum aureorum Vngaricalium per Synodum exigenda, suis in curiis foueant, qui eiusmodi ex sacra scriptura ignaros & dubitantes docere possint & valeant. Inter prandendum autem non iocos turpes aut scurrilia, seu leuia, quæ infirmos scandalisare possent, sed seria, quæ ad ædificationem fuerint, de diuinis tractent, & libros sacræ scripturæ ad mensam potiùs more maiorum suorum legi, ac benedictiones & gratiarum actiones fieri faciant. Et præter hoc seruitores suos pro exemplo aliorum in Ecclesiis primũ, deinde vbiq; locorum honestè & reuerenter sese gerere præcipiant: præsertim autem ne in templis ad diuinissimum Eucharistiæ Sacramentum terga sua vertant, vel parum decenter sese erga illud gerant.

Rocheta soli Episcopi deferant.
Ex eisdem Eiusdem.

CAEterum ille abusus vehementer non probatur, quòd Episcopi qui de iure & consuetudine Rokietos, ad denotandam vitæ suæ innocentiam, deferre debent, non semper tamen deferunt. Religiosi autem in Episcopos promoti, quibus iura prohibent deferre Rokietos, relicto suarum regularũ habitu, contra dispositionem Canonum eos deferunt. Quare decreuit

re decreuit sancta Synodus, vt deinceps Episcopi seculares, iuxta sacrorum Canonum dispositiones, & laudabilem consuetudinem Rokietati incedant: Religiosi verò Episcopi, vt sunt Episcoporum Suffraganei: & Abbates ab vsu Rokietarum ac sericarum, præsertim variatorum, seu figuratorum vestimentorum, sub pœna centum marcarum, deinceps omnino abstineant.

Eiusdem, ex eisdem.

SOlent nonnulli Domini Episcopi, & cæteri Prælati seculares & regulares, eorumq; Capitanei, Ecclesiasticorũ bonorum præfecti, potestate in subditos Ecclesiæ sibi concessa interdum abuti, eos iniustis operibus & angariis, consuetisq; euectionibus, & spoliationibus intolerabilibus aggrauando, & dum miseri illi questum ad exponeñ suas iniurias & grauamina ad Capitula veniunt, eos propterea (afflictis afflictionem addentes) incarcerant, verberant, pœnisq; variis (paternæ pietatis obliti) affligunt. Proinde sancta Synodus Dños Episcopos, & Prælatos prædictos, monet & hortatur, vt ab hoc omnino desistant, ac suos factores & Capitaneos talia facere prohibeant, meminerintq; patres eorum esse & vocari debere, in Apostolorum locis constitutos, non tyrannos: quibus magis conuenit pietas, quàm tyrannis, ita vt sint iuxta doctrinam Apostolicam, non vt dominantes in eis, sed forma gregis facti. Non permittant etiam grauari, & iniuriis affici, in decimisq; illibertari, & quouismodo damnificari suũ Clerum, à Procuratoribus & factoribus suis, bonorum suorum Episcopalium, contra quos frequenter quærelæ ad Capitula perferuntur, quin potiùs eos tueri mandent ab aliis.

Et quia Respub. Ecclesiastica Prouincię Gnesneñ, per decretum Comitiorum Regni importunè à secularibus extortũ, in suis iuribus, priuilegiis, & libertatibus est plurimũ labefactata, non alia forsan de causa, quàm quòd R^mi Dñi Archiepi-

scopi, & Episcopi, in Senatu loca prima tenentes, pro tuenda libertate Ecclesiarum, iuribusq; earum, minimè se opponere consueuerunt, debiti & officii sui, atq; iurisiurandi obliti. Igitur hortatur etiam sacra Synodus R^mos Dños Archiepiscopos, & Episcopos, vt pro officio suo iura & immunitates Ecclesiarum, & Monasteriorum attentiùs, & magis cordatè atq; strenuè quàm antea de cætero custodiant, non patianturq; decreta, siue statuta, iuribus suis & Ecclesiarum, ac Monasteriorum contraria & noxia constitui: memores prædecessorum suorum, in quorum loca suffecti sunt, qui etiam vitæ suæ discrimina potiùs pro Ecclesiæ libertate subire non dubitarunt, quàm aliquid contra Ecclesiam fieri permittere. Vbi verò intentum suum tenere aliter nõ possint, dilationem ad consultandũ desuper cum Capitulis fauore & gratia Principis obtinere curent & obtineant.

Episcopi Studiosos literarum suis sumptibus alant. Eiusdem Dzierzgouii Petricouiæ Anno Domini, 1554.

ITEM. Quia ex defectu personarum idonearum Ecclesiæ Dei in hac Prouincia multùm laborate dignoscitur, ita quòd plerunq; Locorumordinarii non habent quibus munus prædicandi, & confessiones audiendi rectè committi possint. Igitur, decreto Synodali mediante, curabunt R^mi Dñi Episcopi studiosos, quos nouerint ingenio præstare, in studiis generalibus suis sumptibus fouere, vt tandem inde seminaria habere possint, vnde Ecclesiis suis viros eiusmodi depromant idoneos. Et propterea decreuit Synodus, vt Dñi Episcopi in singulis Ecclesiis Collegiatis suis duos, vnum in Theologia & alterum in Iurisprudentia, Doctores & viros peritos instituant, pro illisq; duas Præbendas perpetuò assignent; ad hoc, vt circa Ecclesias illas continuè resideant, & munus prædi-

candi

candi obire, confessionesq; in casibus sedi ordinariæ reseruatis audire possint & valeant.

Item, Domini Episcopi, & cæteri ad quos pertinet Ecclesias suas in oneribus, puta fabrica, vino, cæra, & aliis id genus necessariis, similiter & ministros Ecclesiarum salariis competentibus, pro veteri consuetudine, prouidere non negligant, ne inde aliquæ in cultu Diuino (quod absit) negligentiæ cum scandalo secularium, & offensa Mtãtis Diuinæ, admittantur.

Episcopus vnus semper in curia Regis maneat. Eiusdem ex eisdem.

ITem, vt vnus ad minus Episcopus, si plures non poterint, in curia Mtãtis Regiæ maneat, qui suam Mtãtem ad pietatem & obseruantiã iusticiæ inducat & dirigat, libertatemq; Ecclesiarũ & negocia, ac iurisditionem Ecclesiasticã custodiat.

Item, etiam prouideant diligenter Ecclesias Parochiales, quæ Pastoribus orbatæ sunt, quarũ fructus & fundi per seculares occupantur, & vsibus profanis applicantur, vt libertati suæ restituantur, idq; fiat autoritate Regia interposita.

Episcopi quomodo se gerere debeant. Eiusdem ex eisdem.

QVia verò difficile esset disciplinam Canonicam in reformandis moribus, & corrigendis excessibus, ad alios extendere, iuraq; communia & Statuta Prouincialia debitæ exequutioni mandare, nisi priùs per eos qui iurisditioni præsunt, & quæ semel legitimè ordinata sunt, in exequutionem deducantur. Proinde innitendo Constitutionibus Synodalibus sacra Synodus, ℞mos Dños Archiepiscopos & Episcopos diligenter hortatur, vt se & curias suas ante omnia hinc ad sex menses in toto reforment, domibusq; suis benè & irreprehensibiliter præsint: nemini dantes vllam offensionem, ita vt

exemplo vitæ suæ viam ad virtutes cæteris præstare possint: ocio non torpeant: ludum omnem à iure prohibitum, ac ebrietatem & crapulam omnino fugiant: quin potiùs lectioni sacrarum literarum intendant: viros doctos & exemplares, tam in sacris literis quàm vtroq; iure peritos (quorum consilio Ecclesiam Dei rectè gubernare possent) secũ teneant: in collatione Sacerdotiorum delectum idonearum personarum habeant: non ea pueris & minus idoneis personis, tam in Cathedralibus & Collegiatis, quàm aliis Ecclesiis, conferant: Sed viris doctis & exemplaribus, eisq; diligenter iuxta dispositionem iuris communis & Statutorum Prouincialium examinatis conferant. Alioquin Capitula tales ad Ecclesias non admittant, nisi eos qui in aliqua Vniuersitate insigni, Catholica & nõ suspecta, bonis literis operam dederint, & testimoniũ cõuersationis & studiorũ suorũ ab Vniuersitate ipsa ostenderint.

Præterea Domini Episcopi Hæreticos seu de hæresi suspectos, & alios scandalosos & criminosos, omnino à consuetudine sua, etiamsi sint consanguinei, remoueant. Et in summa familiam suam disciplinatam, & exemplarem Deumq; timentem seruent, Ecclesias suas Metropolitanas, Cathedrales & Collegiatas frequenter visitent, seu circa eas resideant, ac in eis Prædicatores doctos, literatos & exemplares instituant: vitam & mores deprauatos Cleri sui, & gregis sibi commissi (de quo in extremo iudicio districtam sunt reddituri rationem) corrigant, arguant, & increpent: hæresibus sese sana doctrina viriliter opponant, & illas explodere è suis Diœcesibus pro virili studeant: Alter alterum in hoc mutuò iuuent, labori & sumptui non parceñ.

A locatione præterea &, vt vocant, arendatione bonorum mensarum suarum, per quas subditi Ecclesiarum pleriq; opprimuntur, & bona ipsa desertantur, abstineant. Quinimo Clerum suum & subditos ipsos ab oppressionibus secularium defendant, & ipsi eos non grauent, sed pauperes & egenos

exemplo

exemplo prædeceſſorum ſuorum ſupportent, gaudeantq; ſe non præeſſe hominibus, ſed prodeſſe: Patrimonio Chriſti (quod vltra ſuum moderatum victum, in vſus pauperum & Eccleſiarum neceſsitates expendi debent) non abutantur, meminerintq; ſe eſſe illius diſpenſatores, non proprietarios vſufructuarios, non dominos: vt ſcilicet de illo modeſtè viuant, & non luxurientur: diſpenſent, non ſibi coaceruent: pauperes ſtudere volentes in ſtudiis generalibus foueant, vel eos expietate expenſis iuuent. Gloria enim Epiſcopi eſt (vt dicit Hieronymus) pauperum operibus prouidere: ignominia autem Sacerdotis, eſt propriis ſtudere diuitiis.

Prædicatores diligenter examinandi. Nicolaus Dzierzgovvski Louicii, Anno 1556. in præſentia Domini Aloiſii, Pontificis Max. Legati.

CVM per licentiam Pſeudoprædicatorum, poteſtatem ſibi prædicandi in Eccleſia Dei de facto vſurpantium, innumerę penè hęreſes in dies magis ac magis in Prouinciam hanc inuehuntur. Itaq; innitendo prioribus Conſtitutionibus Synodalibus, ſacra Synodus ſtatuit, ne deinceps per Parochos, & eos ad quos pertinet, quiſquam ad prædicandum verbum Dei paſsim admittatur, niſi priùs admiſſus fuerit per Lociordinarium, aut eius in Spiritualibus Vicarium, ſeu Officialem generalem, præmiſſo illius examine legitimo, & præſtito per eum in manibus illius medio corporali iuramento, confeſsione ſuæ fidei iuxta diſpoſitionem Conſtitutionis nouiſsimæ Petricouien, vel niſi ita fuerit perſpecta illius fidei & doctrinæ integritas, quod omni ſuſpicione omnino careat.

Domini quoq; locorum Ordinarii habeant Vicarios & Officiales ſuos huiuſmodi viros idoneos, & Iuriſperitos, eoſdemq; probatæ vitæ, qui ſcirent & poſſent vices eorum dignè

implere, non quærentes quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi, quorum tribunalia ita benè prouideant, ne habeant necessitatem, quæstum aliunde sibi quærere.

Pœna ad Synodum non venientium. Eiusdem ex Constitutionibus Petricouien. Anno 1557.

CAEterum quia ex intermissione celebrationis Synodorum Prouincialium, & Diœcesanarum, earumq; à nr̃is Dñis Episcopis huius Prouinciæ rara seu negligenti admodum frequentatione, magnum Ecclesiæ Dei, & statui Ecclesiastico prouenit detrimentum. Paucos enim admodum videre licet, quos præsens ingens Ecclesię & religiõnis Catholicæ periclitantis casus, atq; adeò cultus diuini zelus permoueret, quiq; sponte sua & alacribus animis accurrere vellent ad restinguendum commune hoc hæresis incendium, restauranda mq; vnitatem Ecclesiæ, hoc infelici seculo dispersam: quiq; de fide & pietate, de religione, & ipso cultu diuino retinendo & conseruando, de moribus reformandis, & disciplina Christiana reuocanda, ac deniq; de cæteris rebus omnibus ad benè christianeq; viuendum necessariis consulerent & tractarent, vt et salus ipsius Ecclesiæ restitui, terror autem hostibus eius incuti, & fides Catholica stabiliri firmariq; possit.

Videns itaq; sacra Synodus quorsum hac negligentia ordo Ecclesiasticus recidat & labescat, quantumq; mali secum in Ecclesiam Dei inuexerit: nunc tandem expergefacta, & quasi longo quodam postliminio ad se reuersa, vsum sacrorum Canonum, veterumq; Constitutionum Synodalium, contra negligẽ venire ad Synodos esse reassumendum, pœnasq; contra tales augendas, decernendum communi omnium sententia duxit. Constituitq; & decreuit, vt si de cætero Domini Episcopi ad Synodum vocati, quotiescunq; posthac Synodus Pro-

dus Prouincialis indicetur, cessante legali impedimento, aliquis venire contempserit, pœna dupli, hoc est Domini Episcopi ducentarum marcarum pecuniarum, gross. Pragen. Cæteri verò, qui de iure & consuetudine ipsis Synodis interesse tenentur vocati non venerint, pœna dupli in Constitutionibus prioribus descripta, per Rmum dominum Archiepiscopum pro tempore existen exigen vltra alias pœnas iuris mulctentur, fabricæ Ecclesiæ Metropolitanæ applican. Si autem contigerit aliquem (vt præmittitur) impediri legitimè corporis scilicet aduersa valetudine, & ea quidem, quæ meritò excusare quem posset, vel aliquo alio, non tamen leui impedimento, in eiusmodi quouis casu poterit abesse à Synodo, ita tamen vt ad illa mittat, mittereq; sub prædicta pœna debeat nuncium suum, cum instructione plena, & sufficienti mandato, qui posset ibidem in Synodo per corporale iuramentum, in ipsius mittentis & suam animam probare huiusmodi impedimentum. Alioqui in defectu præmissorum, pro temerario, & contumace, taliter absens reputetur, & in pœna memorata irremissibiliter per Rmum Dominum Archiepiscopum autoritate præsentis decreti Synodaliter mulctetur. Quas pœnas si Rmus D. Archiepiscopus, monitione præmissa, infra annum, post negligentiam huiusmodi commissam, censuris Ecclesiasticis mediantibus exigere neglexerit, ipse simili pœnæ per Synodum extũc immediatè sequen, irremissibiliter exigen subiaceat. Quodsi ab initio huiusmodi Synodi D. Archiepiscopus requisitus, pœnam ibidem non persoluerit, liberum erit deinceps illis, qui Synodaliter congregabuntur, Synodum ipsum infectis rebus soluere, neq; ad aliquos actus Synodales (nisi iustam excusationis causam dixerit) procedere, vel alias eum Sedi Apostolicæ, tanquam officii sui negligentem deferre. In reliquis autem omnibus, leges & Statuta vetera prędicta, in suo robore eadem Synodus conseruauit, & conseruat.

Præterea cùm sancta Synodus diligenter secum expende-

ret, Sta-

ret, Statuta seu Constitutiones Synodales veteres & nouas (quibus Prouincia Gnesneñ rectè ad omnem Ecclesiasticũ ordinem retinendum, ac vnumquenq; in suo iure conseruandum gubernari possit) laudabiliter & vtiliter esse ordinatas: quæ etiam per R^mum Patrem & Dominum D. Aloisium Lippomanum Episcopum Veronensem, & Sedis Apostolicę ad Regnum Poloniæ tunc nuncium, anno superiori in Synodo Louicienſi, cum diligenti calculo autoritate Apostolica extant collaudatæ, atq; approbatæ. Illas igitur tanquam legitimas & Canonicas, in omnibus & singulis illarum capitulis, & clausulis, præsens Synodus acceptandas duxit, præsentiq; decreto Synodali acceptat & approbat, ac ad exequutionem illarum, R^mos Archiepiscopos, & Episcopos arctatos esse vult, & arctat, sub pœna iamdudum in Synodis superioribus descripta.

Et ne quispiam Constitutionis huiusmodi ignorantiam prætendat, seq; illa non posse habere dicat, propter earum defectum, sacra Synodus rogat, vt R^mus Dominus Archiepiscopus, Statuta ipsa & Constitutiones huiusmodi veteres & nouas, etiam nouissimas, tempore suæ præsidentiæ, in Synodis Prouincialibus editas, in vnum volumen pulchrè, per titulos singula digerendo, per venerabiles Dominos, Stanislaum Dambrovvski Gnesneñ, curiæ suæ Cancellariũ, & Franciscum Krasinski Calisienſ, Archidiaconos, Iuris Doctores, ad hoc præsenti Synodali decreto delegatos, colligi, atq; illa in vnum volumen congeri, & in publicum edi procuret & faciat, & ab omnibus ea tam in iudicio quàm extra seruari, & manu teneri Constitutione præsenti mediante decernat.

Eiusdem.

DEcreuit etiam eadem Synodus, vt Dñi Ordinarii, inniteendo prioribus Constitutionibus, prouideant diligentiùs quàm antea, vt Parochi & Concionatores verbi Dei in concioni-

concionibus suis purè & sincerè verbum Dei prædicent, ineptas & aniles fabulas, ac scommata & conuitia deuitando, scripturas sacras non sensu proprio aut ab hæreticis sumpto, sed iuxta sanctorum Doctorum ab Ecclesia Catholica receptorum expositionem interpretando, vt potè Augustini, Hieronymi, Ambrosii, &c. & aliorum in Statutis Prouincialibus, ℞morum olim Lascii, Dreuicii, & Gamrati, Archiepiscoporum descriptorum, propter quod dabit operam ℞mus Dominus Archiepiscopus de prouidendo aliquo Homiliario per Doctores conscribendo, & typis excudendo, simul cum Catechismo, seu explicatione Orationis Dominicæ, Symboli, & Decalogi, ex quibus rudis populus doceri poterit à simplicibus Presbyteris. Sic enim Hæreticorum Homiliarii pestiferi facilè excludi poterunt, ac à simplici & rudi plebecula refutari.

Eiusdem ex eisdem.

ET licèt Apostolus ad seruandam hospitalitatem, omnes Christi fideles, maximè autem Episcopos & Clericos, qui bonorum Ecclesiasticorum ad hoc deputatorum sunt dispensatores, clarè moneat: Pleriq; tamen Episcopi dignitate præditi reperiuntur, qui non modò exteros hospitio non excipiunt, sed etiam fratres suos Prælatos & Canonicos suarũ Ecclesiarum (qui bonorum Episcopalium sunt custodes, & pro illis tuendis sese opponere, & illa defendere consueuerũt) ad bona & prædia eorum venientes, humanitatis & hospitalitatis officio neglecto, admittere, illisq; domestici cõmeatus necessarii per suos factores & procuratores dare recusant. Proinde sacra Synodus decreuit, vt ipsi Dñi Archiepiscopi & Episcopi id prouideant, atq; suis procuratoribus bonorum iniungant, vt hospitalitatem huiusmodi in omnes, maximè autem in domesticos & Capitulares suos seruent, & necessariis saltem ad victum, quæ tunc domus ad quos eos diuerti contingit habuerit, prouideant.

Eiusdem.

ITem, in curiis suis pauperum Clericorum oppressorum, Procuratores Iuridicos, & officii instigatores foueant, & eos prouideant & salarient, vt ipsis pauperibus Parochis prouentus, decimas, & census occupatos, iuxta olim Gamrati Statutum euincant: quod meritò facere debent, veluti præsides & patroni Ecclesiarum in suis Diœcesibus cõstitutarum, ne piæ fundationes fidelium intereant: ipsi enim sunt, qui reddituri sunt districtam coram Deo de omnibus suæ Diœcesis Parochis, atq; adeò negligentiis omnibus rationem.

Eiusdem.

ITem, Ecclesias Collegiatas, præsertim desolatas, & in quibus officia diuina rarò à Prælatis & Canonicis peragũtur, diligenter visitent, & Prælatos & Canonicos steriles & ociosos, nullumq; exemplum bonum in Ecclesiis illis præstantes, sed scandalosè viuentes, venationibus & comessationibus indulgentes, ad officium reuocent, & non promotos ad suscipiendum sacros ordines, per subtractionem prouentuum, & priuationem beneficiorum, compellant. Dignum namq; est, vt, si volunt de altari viuere, altari seruiant: curentq; vt in eisdem Collegiatis viros doctos in Theologia vel Iure Canonico ponant, iuxta Statutorũ Prouincialium dispositionem.

Hospitalia diligenter prouideantur.
Ex eisdem.

ITem, Hospitalia (quorum Dñi Lociordinarii inter cætera officia sua curam agere debent) non negligantur, quinimò prouideant diligenter vbiq;, vt ab iis, qui in illis ministrant seu illa prouident, rectè & fideliter omnia gerantur, & ne quicquam aliorsum (quod absit) de prouentibus illorum conuertatur, quàm ad destinatum eorum vsum, & ipsi ea vt

tenentur

tenentur quantùm possunt ex eo patrimonio Christi, cuius sunt dispensatores, sustentent & adiuuent. Gloria enim Episcopi est, vt dicit Hieronymus, pauperum operibus prouidere: ignominia verò Sacerdotum propriis studere diuitiis.

EPISCOPORVM OFFICIVM.

Ioannes Prerembius Varssouiæ, Anno Domini, 1561.

ET cùm ex negligentia Pastorum, ac moribus dissolutis Clericorum, magna hæresibus & aliis multis malis præstetur occasio: Statuit sancta Synodus, innouando veteres Constitutiones Synodales, vt R^mi Dñi Archiepiscopi & Episcopi diligenter officio suo intendant, studeantq; & vitæ integritate, & in Deum pietate aliis prælucere, neq; ipsi Sacramenta Ecclesiastica eorum administrationi credita per se erubescant administrare, verbum Dei, quibus gratia sermonis data est, prædicent, & vti in præcipuis locis maximè populosis Diœcesum suarum idoneos Concionatores prouideant, omniq; ex parte officium suum exequantur: & ipsi luxum & fastum fugiant: frugalitatem in habitu & in victu, iuxta veterum Statutorum præscriptum, seruent. Liberalitatem verò in pauperes studiosos idoneosq; Ecclesiæ ministros exerceant, in quos rectissimè ea, quæ vltra sumptus necessarios eis supererunt, conferant. Circa Ecclesias suas frequentiùs commorentur, atq; cum Capitulis suis de rebus ad Ecclesiæ administrationẽ rectè gubernandam pertinentibus paternè prouideant, admoneriq; se ab eis officii sui benignè permitant. Studeant deinde vt tota eorũ familia ex honestis & Catholicis hominibus constet. Iuuenes qui sunt in eorũ obsequiis in disciplina veteri contineant, vt ex eorum moribus, ipsorum quoq; dominorũ mores æstimari possint. Curię enim Episcoporum olim schola virtutum habitæ fuerunt. Præterea Cancellarios Iurispe-

ritos, Concionatores Theologos habeant, & cauſidicos ſagaces tam in iure Eccleſiaſtico quàm Terreſtri ſeruent, quorum conſilio & opera tam oppreſſo Clero ſuo, quàm Eccleſiæ ſuæ ſuccurrere poſsint.

Viſitationes etiam Dicœceſum Epiſcopales, quę non poſtremum inter munia Epiſcopalia obtinent locum, à multis annis per negligentiam intermiſſas facere, iuxta diſpoſitionem Canonum & Statutorum Prouincialium, R.mi D. & Lociordinarii ſemel in anno in ſuis Dicœceſibus non prætermittant, & præſertim in locis celebrioribus & populoſis, quæ hæreſibus magis obnoxia ipſi per ſe ſi commodè poterint, vel viros doctos & ad prædicandum verbum Dei idoneos, diligenter viſent, denunciata priùs per vicinas Eccleſias viſitatione huiuſmodi. Catholicos homines in ſancta religione Chriſtiana cõfirmare, labentes erigere, eosq; qui ſe à Catholica Eccleſia ſeparauerunt, prædicando, monendo, conferendo, reuocare ſtudeant. Abuſus ſuperſtitione aliqua priuata inductos tollant, criminoſos & publicis delictis notabiles ad pœnitentiam paterna admonitione adducant, vel per cenſuram Eccleſiaſticam compellant.

Item decreuit & conſtituit ſancta Synodus, vt omnes fructus & prouentus beneficiorum & templorum occupatorum, vt potè ex ſanctuariis, decimis, cenſibus reemptionum, & alios quoſcunq; prouentus, R.mi Dñi Locorumordinarii quoad fieri poterit ſuis ſacerdotiis recuperent, atq; ex manibus Hæreticorum vindicent. Plebem verò templis & paſtoribus ſpoliatam, vicinis Parochis Catholicis commendent, vt ita Sacramenta in eis adminiſtrentur, quibus partem redituum ſpoliatorum templorum attribuant. Prouentus autem omnes ſpoliatarum & profanatarum Eccleſiarum diligenter conſcriptos in ſuis Capitulis Cathedralibus aſſeruari tantiſper iubeant, quoad per diuinam miſericordiam ad Eccleſiæ Catholicæ vnitatem ipſæ Eccleſiæ occupatæ priſtinę libertati queant aliquando

aliquando restitui. Parochis etiam & aliis Sacerdotibus spoliatis receptum apud se præbeant, ac victu & amictu honesto eos misericorditer prouideant, ne egestate pressi, in desperationem eos incidere contingat.

Et cùm R^mi Dñi Episcopi non sua modò, sed etiam eorum quibus præsunt vita inculpata cæteris præstare teneantur, quum nimirum vita Cleri dissoluta aliis præbere solet offendiculum. Decreuit sancta Synodus, vt Dñi Locorumordinarii reformationem Cleri in suis Diœcesibus, iuxta præscripta Canonum & Statutorum Prouincialium, in spiritu tamen lenitatis & in charitate paterna, iuxta doctrinam Apostolicam faciant. Ita tamen vt in grauioribus & publicis criminibus disciplinam Ecclesiasticam non remittant, quanto'q; deprauatiora nunc sunt tempora, tantò magis in eam monendo, obsecrañ, argueñ, & corrigeñ intendant, atq; vt in omni honestate & pietate dignè coram Deo ambulent, sedulo suo studio efficiant. Eos verò qui dignitates in Ecclesiis obtinent, quorum officia ex nominibus apparent, officium suum exequi cogant, Parcohos & beneficiatos omnes qui ex fundationibus tenentur residere apud Ecclesias, per subtractionem fructuum, seruatis iuris gradibus, vsq; ad priuationem beneficiorum ad residentiam personalem compellant. Qui verò Sedis Apostolicæ dispensationes de non residen impetrauerint, visis literis sanctę Sedis, eorũ Ecclesiis & sacerdotiis per idoneos vicarios, assignata eis parte prouentuũ, prout de iure, prospiciant.

Item constituit sancta Synodus, vt liber de administratione Sacramentorum, qui vulgò Agenda appellatur, per R^mum Dominum Archiepiscopum edatur, qui exhortationes Polonicas circa administrationem cuiuslibet Sacramenti contineat, per quas Christifideles intelligere possent, quid de virtute & efficacia vniuscuiusq; Sacramenti sentire & credere debeant. Similiter etiam rudioribus Concionatoribus certus aliquis Homiliarum liber in lingua Polonica proponatur, ex

Agendorum Ecclesiastico-rum liber.

quo populo non solùm Euangelia per anni decursum totius prædicare, sed etiam quid illæ ceremoniæ in Baptismo & in aliis Sacramentis significent, ad Catechismi formam explicare, sæpiusq; inculcare populo possent. Catechismus similiter Polonicus edatur, priùs tamen Romę examinata versione, vel in partibus, si à Sede Apostolica committatur.

Item sancta Synodus innitendo Constitutioni Petricouien. tempore felicis recordationis Nicolai Dzierzgouii Archiepiscopi factæ, decreuit, vt Dñi Locorumordinarii tres vel duas adminus Prębendas & Canonicatus in singulis Collegiatis Ecclesiis infra spacium vnius anni designent, quæ in eorũ vacatione conferri possunt viris ad obeunda munia Ecclesiastica (vt puta Conciones publicas & pœnitentiarias &c) idoneis, qui continuè circa illas Ecclesias residerent, sub pœna priuationis. Qua in re Sedis Apostolicæ gratiam impetrare curabunt, vt huiusmodi Canonicatus & Præbendæ à prouisionibus Apostolicis deinceps sint liberæ. Hac enim ratione solitudinibus Ecclesiarũ Collegiatarũ facilè obuiari poterit.

Cæterum sacra hæc Synodus, attentis magnis locorum distantiis, & pecuniarum dispendiis Dñorum Litvaniæ & Russiæ Episcoporum, indulsit, vt R^mi Dñi vnà cum suis Capitulis possint & valeant per vnum nuncium, sua & Ecclesiarũ suarum negocia, ex vna quaq; Ecclesia in Synodo Prouinciali expedire & absoluere.

Deinde, vt omnes R^mi Dñi Episcopi Ecclesias suas sæpiùs visitent, & in eis commorantes diuina officia frequentiùs celebrent, ipsiq; qui possunt concionentur: & Diœceses suas vnà cum suis Archidiaconis sæpiùs visitent: Ordines sacros statutis temporibus celebrent: Sacramentum Confirmationis in solennioribus festis populo suo, ne in Ecclesia Dei videantur stare ocioſi, conferant: exemplo quoq; vitæ suæ cæteros ædificent: in vitia subditorum non conniueant: causas Sacerdotum & subditorum suorum diligentiùs ipsi audiant,

aditumq;

aditumq; liberum omnibus iusticiam petentibus ad se permittant. Capitaneos, factores, & alios bonorum suorum officiales, in officio diligenter contineant, ne Clerum suum in decimis illibertent, imò ab oppressoribus omnibus eum & illius decimas, ac alios prouentus vindicent: subditos Ecclesiæ per tyrannidem factorum exactionibus pœnarum iniustarum & inconsuetarum, laboribus & aliis angariis opprimi, bonaq; Ecclesiastica desolari, syluas excidi, ac negligenti custodia limitum occupari non permittant.

Item, Prouentus suos Episcopales ita dispensent, vt illud quod eis vltra sumptus annales pro dignitate Episcopali facien̄ supereſt, Ecclesiis, scholaribus, pauperibus, & in alia pia opera conuertant. Hinc enim est quòd Episcopi patres appellantur pauperum, meminerint itaq; se esse eos qui appellantur, & quòd sunt dispensatores bonorum Ecclesiasticorū, non Dñi aut proprietarii. Imperatores enim & Reges, & alii pii sacerdotiorum fundatores, propterea tam amplis prædiis Episcopatus, Collegia, & Monasteria dotarunt, vt habeant hi qui illis præsunt, vnde alimoniā præstent egentibus. Hinc est quod sacris quoq; Canonibus & Patrum Constitutionibus est laudabiliter prouisum, vt scilicet adminus quarta pars prouentuum huiusmodi in pauperum vsus cederet: ipsi itaq; viderint si boni inueniantur dispensatores, & quòd inde sint districtam reddituri rationem.

DE OFFICIO DECANI RVralis. Ioan: Prerembii 1561. Varssouiæ.

CVM non abs re, imò laudabiliter in singulis Diœcesibus huius Prouinciæ fuerint olim Decanatus rurales instituti: itaq; sancta Synodus decreuit, vt R^mi Dñi Locorumordinarii officia Decanatuum ruralium vetera, in locum suum iure postliminii reuocent & restituant, ac vbi opus fuerit nouos

& frequen-

& frequentiores instituant atq; ordinent, ad hoc, vt in quolibet Decanatu, bis in anno omnes Parochi, in eum qui eis per Dominum Lociordinarium designatus fuerit in eodem Decanatu locum conueniant, & Synodum suam celebrent Decanalem, in eaq; de scandalis amouendis, & occurrentibus negociis Ecclesiasticis mutuò cum præsidente Decano conferant, & si qui inter eos reperti fuerint scandalosi ac reprehensione digni, à Decano fraternè admoneantur.

Quiquidem Decanus maiora scandala & casus, quibus ipse consulere & obuiare non poterit, & vbi taliter vt præmittitur admonitus non se emendauerit, eum dño suo Lociordinario vel eius Vicario in Spiritualibus deferre, recepta summaria informatione, teneatur, nihil eorum omnino, quod cæteros scandalisare posset sub anathemate occultando.

DE OFFICIO CAPITVLI.

Dzierzgouius Lanciciæ Anno Dñi, 1547.

CVM animaduerteret sacra Synodus multa salubriter ad conseruandam religionis Orthodoxæ integritatem, vitæ ac morum Cleri emendationem, præteritis Synodis laudabiliter constituta fuisse, illa tamen hucusq; nullum in vsum & exequutionem deducta esse, imò ea in omniũ ferè ignoratione iacuisse, eò quòd Dñi Locorumodinarii cura aliarum rerum, præsertim Reipub. frequentiùs impediti, à cursu exequutionis illorum cœpto sæpiùs auocentur. Propterea ne eorum Statutorũ structiones inutiles maneant, eadem Synodus decreuit, vt Capitula Ecclesiarum suos Episcopos sæpiùs admoneant: ita vt suæ in admonendo eiusmodi diligentiæ, in proxima quaq; Prouinciali Synodo testimoniũ dare possint. Alioquin vbi Capitula in admonitione, vel aliquis ex morum dominorum in exequutione negligens officii sui, vel remissus compertus fuerit, pœna centum marcarum puniatur, quam

Reueren-

Reuerendiſs. Dominus Archiepiſcopus in proxima Synodo exigere teneatur.

Eiuſdem de eodem Petricouiæ, Anno Domini, 1557.

QVia contra pleroſq; D. Epiſcopos, ſeu eorũ factores, & bonorum Eccleſiaſticorũ prçfectos, fiunt ſæpè querimoniæ à ſubditis bonorum eorundem, quòd eos nouis inſolitis, inauditisq; exactionibus, oneribus, laboribus, & angariis diuexant, non ſine ſcandalo ſecularium: Cùm tamen meritò inter Eccleſiaſticos & ſeculares ſubditos deberet eſſe diſcrimen. Igitur ſacra Synodus, innitendo Statutis prioribus, decreuit, vt omnino Capitula bona Epiſcopalia de triennio in triennium, vel quando opus fuerit, per duos de collegio ſuo viſitent & luſtrent. Ac ſi quid eiuſmodi oneris in eis nouiter adinuentum compererint, Dominum Epiſcopum, vt ab hoc abſtineat, modo quo ſuprà admoneant, ac poſtea vbi ab oppreſſi onibus huiuſmodi non ſe continuerit, 3tio Dño Archiepiſcopo aut Synodo talem deferant cò́ercendum.

DE MAIORITATE ET OBEDIENTIA. Ex antiquis.

CVM inferior ſuperiori regulariter ad exhibendam reuerentiam & obedientiam teneatur, quorum exhibitio nõ niſi per obſequium humilitatis extrinſecus prçſtitum aliorum notitiæ innoteſcat. Quapropter Canonici Cathedralium & Collegiatarum Eccleſiarum Prælatis, & inferiores Prælati ſuperioribus, ac vniuerſaliter omnes Clerici maioribus ſuis, in aſſurgendo, in inclinando, & aliis prærogatiuis quibus cõſueuerunt homines reuereri, honorem debitum deferant reuerenter, vt etiam laici à Clero ſumentes humilitatis exemplum, eidem exhibeant reuerentiam ampliorem.

Quia frequenter Rectores Parochiarum non audent contra Nobiles & potentes mandata Superiorum exequi, propter eorum tyrannidem enormem: Statuimus, quòd nullus Presbyter assumat Capellam cuiuscũq; Nobilis vel potentis, seu in ipsorum Capellis tanquam Capellanus officiet, nisi priùs Episcopo Diœcesano super eo, quod ad ipsius Synodos veniat, & mandata superioris sibi iniuncta, ad sui Dñi & ipsius Castri familiæ notitiam perferat, obedientiam faciat manualem, & aliâs de ipsius Diœcesani licentia speciali.

De eadem Maioritate & Obedientia. Exnouis.

DEcretum est, vt Abbas Monasterii Trzemesneñ habeat semper in Synodis superiorem locum Abbate Mogilnensi, ex causa præscripta consuetudinis.

Ioannis Latalski & Gamrati. Petricouiæ, Anno Dñi, 1539.

PRomiserunt etiã Dñi Archiepiscopus & Episcopi Prælatis & Canonicis Ecclesiarum Cathedraliũ deferre debitũ honorem, tanquam fratribus & membris suis immediatis, verbis eos nõ exasperando, neq; iurisditionem illorũ Capitularem, iuramentis suis confirmatã, aliquo pacto impediendo.

Petri Gamrati Petricouiæ, 1544.

QVemadmodum R^mi Domini Archiepiscopi & Episcopi cæteris dignitate præstant, sic sanctitate & odore bonæ famæ præcellant, & honore sese inuicem præueniant, Clerumq; suum honorificè tractent iuxta sanctiones Canonicas, ac eum loco fratrum habeant, neq; illum probris & contumeliis aliquibus afficiant, & præsertim inter personas seculares, à quibus plerunq; illorum exemplo Clerus cò magis contemnitur.

mnitur. Clerus etiam Prælatos suos reuereatur, & suum illis honorem deferat humiliter. Aliàs pœnis à iure statutis per Ordinarios percellatur.

DE PROCVRATORIBVS.

Ex antiquis.

QVamuis in omnibus peragendis causis & negociis Procurator legitimè constitutus personam sui domini repræsentet, tamen Potestates & Iudices seculares in causis, quarum cognitio ad ipsos pertinet, Prælatorum Ecclesiæ, & aliarum personarum Ecclesiasticarum, Ecclesiarum, Capitulorum, Collegiorum, Conuentuum, siue Monasteriorum Procuratores, per literas autenticas sufficientisimè constitutos agere coram ipsis, vel defendere non admittunt, iuris beneficium, & defensionis copiã prædictis omnibus iniustè & indebitè auferentes. Et nihilominus principales personas, tãlium Procuratorum præsentia, defensione, seu contradictione non obstante, pronunciant contumaces: pro qua contumacia huiusmodi interdum condemnant, vel absoluunt hos, contra quos actio fuerat dirigenda. Nos itaq; talibus abusibus viam præcludere volentes, statuimus, quòd quicunq; Potestates, seu Iudices seculares, Procuratoribus modo superius prætacto constitutis, non admissis, in casibus de quibus cognoscere possunt, in præiudicium dictorum Ecclesiæ Prælatorum, Ecclesiarum, personarumq; Ecclesiasticarum, Capitulorum, Collegiorum, Conuentuum seu Monasteriorum, deinceps processerint, ad damna & interesse iuramento eius, cui iniuriam fecerint, declaranda, virtute præsentis Constitutionis teneantur: de quibus nisi infra mensem satisfecerint, ex integro maioris excommunicationis sententiæ subiaceant ipso facto, & sententia si quam protulerint, sit irrita & inanis: cùm contumax dici non possit, qui per Procuratorem sufficientem in iudicio comparuit vt debebat. Is autem pro quo lata fuerit

huiusmodi sententia (si sententia dici potest) si ea vti voluerit, res sibi sic adiudicatas occupando, excommunicationis sententiæ se nouerit subiacere, donec ab huiusmodi occupatione temeraria resipiscat.

Ioannis Latalski Petricouiæ, 1539.

DEcreuit etiam vt Clerici in placitis & iudiciis secularibus deinceps non procurent, exceptis causis suis & Ecclesiarum suarũ, miserabiliumq́, ac consanguineorum suorũ, qui deniq́ in officiis prophanis seu factoriis, secularibus personis nõ seruiat, sub pœnis in iure cõmuni de super expressis.

Quòd metus causa. Ex antiquis.

EOS qui absolutionis vel quacũq́ reuocationis vel excõmunicationis, suspensionis, vel interdicti, sententias per vim vel metũ extorserint, vltra hoc quòd huiusmodi reuocationes, & aliæ sententiæ prædictæ irritæ sunt & inanes, statuimus & declaramus excõmunicationis sententiæ subiacere.

De alienatione, mutandi Iudicii causa facta.

QVia plerunq́ cessiones actionum in fraudem fiunt, aliquando verò purè & simpliciter ex causa legitima, vel ex causis: Statuimus vt cessiones actionum, quę ex iustis causis vel causa procedunt, nisi in præsentia Notarii publici fide digni, fiant. Sed nec tũc ad actionem admittantur, nisi ipse cedens & cessionarius corã Episcopo vel suo Officiali, aut alio iudice iurisditionem habente, iurauerit, quòd nõ simulatè sed verè cedant, & quòd cedens à cessionario nihil de cessis repetat vel in toto vel in parte. Alioquin si secùs factum fuerit, decernimus actorem ab instituta actione depellendum.

CONSTI-

CONSTITVTIONVM SYNODALIVM PROVINCIAE GNESNENSIS LIBER SECVNDVS.

DE IVDICIIS.

Ex antiquis.

QVONIAM quidam propter potentiam, quidam propter crudelitatem magnam, personaliter accedi nõ possunt vt citentur, quidam etiam quia in castris habitant, ita quòd nulla potest ad eos citatio peruenire: idcirco prouida & necessaria deliberatione statuimus, vt contra tales citationis edictum apud Parochialem ipsorum Ecclesiam, si securè accedi poterint, aliâs in duabus vicinioribus Ecclesiis, duobus diebus Dñicis, & demum semel in Ecclesia Cathedrali publicè proponatur, & extunc contra huiusmodi, ac si personaliter apprehensi & legitimè citati fuerint, procedatur, ne ex malicia commodũ valeant reportare.

Præterea quidam crudeles homines & peruersi, dum ad forum Ecclesiasticum in causis, etiam de quibus Ecclesia meritò habet cognoscere, ab actoribus euocantur (illius auctoritatis, qua dicitur: Qui honorat missum, mittentem honorat;

immemores existentes) nuncios Ecclesiasticorum iudicum, citationis, excommunicationis, vel alias iudiciales & iuris literas deferentes, verbis probrosis, & quandocunq; diris verberibus, quosdam etiam captiuantes, alios interdum suis rebus temerè publicè spoliantes, multipliciter afficiunt, & perturbant, & impediunt citationum & literarum exequutiones, in non modicam Ecclesiasticæ libertatis contumeliam & iacturam. Considerantes igitur maliciis huiusmodi non esse aliquatenus indulgendum, hoc sacro approbante Concilio duximus statuendum, vt quicunq; reus vel actor, per se vel per alium, partem secum in iudicio contendentem, aut nuncios, citationes, actus, vel quoscunq; processus iudiciarios deferentes, per se vel alium verberauerit, spoliauerit, vel captiuauerit, aut aliquod illorũ ordinauerit, excõmunicationis sententiam incurrat ipso facto, à qua non priùs absoluatur, donec iudici & parti lesæ satisfecerit cum effectu.

Matthiæ Drzeuicii, Anno Dñi, 1532.

SAcrosanctę Sedis Apostolicę mandata reuerenter & obedienter exequenda semper sunt. Verũenimuero quia nõnunquã accidit, quòd literę seu processus manu incognita, & sigillo ficto ac incognito, ac styllo curię Romanę nõ conuenienti, à suspectis & incognitis personis afferantur, sacra Synodus decreuit, vt tales processus seu literæ, antequam ad fulminandum seu ad exequendum exhibeantur, priùs Ordinariis seu Capitulis & Officialibus ostendantur. Cumq; cogniti fuerint legitimi, nulliq; fraudi obnoxii, liberè exequutioni decernantur, cum subscriptione Notarii.

Petri Gamrati, Anno 1542. Petricouiæ.

QVia in exequendis processibus ℞morum Dñorum Archiepiscopi & Episcoporum, ac eorum Officialium, Clerus ni-

rus nimium grauatur, & nonnunquam ab insoleñti Nobilitate indignis modis tractatur. Decreuit hæc sancta Synodus, vt constito summariè de non tuto vel difficili accessu, Nobiles tales per publicum edictum die Dñico aut festo, in eorum Parochiis citentur, & huiusmodi processus contra illos exequantur: quod sic illos afficere debet, non minùs ac si personaliter fuissent apprehensi.

Eiusdem 5.

STatuit etiam sancta Synodus, vt Officiales foranei, iudicandis causis, & cognoscendis negociis diligenter intendant, in locis suis personaliter resideant. Qui verò beneficia, quibus iudicandi, & officialatus officium huiusmodi annexũ est, obtinent, si nõ resideant, vel minùs idonei ad exercendum officium fuerint, huiusmodi beneficia omnino dimittant: aliâs tales 9mus Dominus Archiepiscopus & Episcopi amoueant, & in illorum locum idoneos, qui residerent, sufficiant.

DE FORO COMPETENTI.

Ex antiquis.

QVoniam plures Ecclesiastici census & reditus, sub pœna pignoraticia, pro incorporatione beneficiorũ comparati, propter defectum administrationis iusticiæ, per secularem iudicem, in solutionum terminis non soluuntur. Idcirco statuimus, cùm tales census & reditus sunt Ecclesiastici, quòd possint etiam in defectu præmisso per censuram Ecclesiasticam exigi, dum modò iudici Ecclesiastico legitimè constiterit de censu huiusmodi, quanquam se debitores censuum non submiserint huic pœnæ.

Irrefragabili constitutione sancimus, vt nullus Clericus Clericum in ciuili vel criminali causa, relicto suo Pontifice, aut etiam quiuis laicus Clericos super personalibus actionibus seu

bus seu aliis causis ad forum Ecclesiæ spectantibus, relictis Ecclesiasticis iudicibus, ad iudices trahant seculares. Alioquin si Clericus fuerit, ipso iure causam amittat: in negocio ciuili, & in criminali causa, depositionis sententiam non euadat. Si verò laicus fuerit, siue citans actor sit, siue reus reconueniens, excommunicationis sententiam ipso facto incurrat. Iudex verò laicus, qui scienter ad suam præsentiam Clericum seu Clericos citari præceperit, aut ipsos condemnare super his, quæ ad forum seculare non pertinent, præsumpserit, nisi exceptione declinatoria fori proposita legitimè taliter citatos Clericos ad forum Ecclesiastici iudicis remiserit, cùm extunc falcem in messem alienam immittere conuincatur, simili excõmunicationis sententia, eo ipso sit constrictus. Et nihilominus sententiam si quam contra huiusmodi Clericos tulerit, decernimus esse nullam. Ecclesiasticis verò iudicibus districtiùs inhibemus, ne laicos ad instantiam quorumcũq; Clericorum, vel laicorum pro causis secularibus, seu merè ciuilibus ad suum Consistorium citari faciant, aut de cognitione causarum huiusmodi se aliquatenus intromittant, nisi fortè miserabilium personarum, vel in defectu iudicis secularis. Nec econtra iudices seculares, Clericos pro quibuscunq; causis criminalibus, vel ciuilibus, personalibus, nec etiam laicos quocunq; modo super rebus vel possessionibus Ecclesiarum quocunq; titulo eas possideant, ad suum iudicium faciant euocari, vel eos audeant iudicare. Alioquin tam Ecclesiasticus quàm secularis iudex metas suæ potestatis excedens, excommunicationis sententia innodetur, & actor laicus, qui reum indebitè coram non suo iudice fatigauit, & in expensis condemnetur, & super eadem causa de cætero nullatenus audiatur.

Quia nonnulli seculares iudices, terminos propriæ iurisditionis transgredientes, nec aduertentes, quòd nemo debet falcem suam mittere in messem alienam, homines degentes in bonis Ecclesiæ, in præiudicium ipsarum Ecclesiarũ & perso-

& personarum Ecclesiasticarum, ad sua iudicia pertrahere, & pœnam nisi paruerint infligere non verentur. Ideoq; censuimus statuendum, quòd secularium Principum Iudices, Procuratores, seu Officiales quicunq; habitantes in bonis Ecclesiarum, ad sua iudicia nullatenus protrahant, seu iudicent inuitos, aut pœnas ex causa quacunq; infligant eisdem: sententiam maioris excommunicationis, si secus præsumpserint, ipso facto, nisi ab his cum effectu destiterint, & infra vnius mensis spacium exacta restituerint, incursuri. Quod ad eos qui ipsos protrahi seu citari procurauerint, duximus extendendum: sententiæq; eorum si quas protulerint, viribus non subsistant. Quodsi habitatores prædictos captiuauerint, vt eorum parerent iudicio, locus in quo tenebuntur, Ecclesiastico, tam diu donec illos ab ipsa captiuitate dimiserint, subiaceat interdicto.

Ioannis Laski. Lanciciæ, Anno 1523.

ET quia domini Seculares, nitentes eneruare iurisdictionem Ecclesiasticam, cui semper ægrè fauent, noua quadam arte contra Clerum vti inceperunt, scilicet, dum eos Clerici seculares vel regulares citant ad iudicium Spirituale, pro aliquibus suis aut Ecclesiarum suarum iniuriis, etiam purè ad iudicium Ecclesiasticum pertinentibus: ipsi contrà citant eos ad iudicium seculare, aguntq; contra eos ad pœnas eis inferendas per iudices seculares, pro eo, quòd eos euocant de iure seculari ad ius Spirituale. Quo fit, quòd Clerici in iustitia negliguntur, laicis verò ad inferendas eis maiores iniurias animus crescit. Synodus igitur, volens de hoc prouidere, decreuit, vt Dñi Locorumordinarii inhibeant semper iudicibus secularibus, ne in tali casu contra Clericos procedant, sub pœna excõmunicationis & interdicti in eos ferenda. Vbi tunc in continenti data est inhibitio per Rmum Dominum Archiepiscopum de consensu & decreto eiusdem Synodi contra

Dominos Iudices terræ Raueñ, ne contra Dominos Abbates Suleiouieñ & Ploceñ tali via ad iudicium illud tractos procederent, sub pœnis supraſcriptis.

In Synodo Petricouienſi quarta.

SI Secularis per Clericum ad ius Spirituale pro re Eccleſiaſtica citatus, eundem ad forum Seculare maliciosè pro eadem re Eccleſiaſtica euocauerit, iuriſditio Spiritualis cenſuris Eccleſiaſticis contra impedientes eam defendatur, & reus in expenſis actori condemnetur.

In eadem.

OBligationes Secularium perſonarum actiuas & paſsiuas in actis Eccleſiaſticis ſpontè factas, validas & legitimas eſſe decernimus, vigore quarum Secularis perſona forum Eccleſiaſticum ſortiatur.

In eadem.

RES tunc non benè geritur, cùm ſua iuriſditio cuiq; non ſeruatur. Ideo nullis inhibitionibus fori ſecularis, etiam Regiæ Mtātis, in foro Eccleſiaſtico ſtandum eſſe in cauſis ad iudicium Eccleſiaſticum de iure ſpectantibus. Neq; enim veriſimile eſt, de mente Principis, qui iura omnia in ſcrinio pectoris ſui continet, & ſit alioquin cultor acerrimus iuſticiæ, tales inhibitiones procedere.

Matthiæ Drzeuicii. Lanciciæ, 1522.

ET quoniam pleriq; Dñi Archiepiſcopi & Epiſcopi, qui Clericos in Priuilegio fori defendere deberent, ipſimet pro decimis & aliis cauſis Eccleſiaſticis coram Officialibus ſubditos ſuos ciues & villanos iudicari non permittunt, ſed coram factoribus ſuis ſecularibus, ne dicam Capitaneis, Presbyteros

sbyteros & Clericos in eisdem causis iuri parere & iusticiam quærere compellunt, contra Canonicas sanctiones, præbentes causam secularibus itidem faciendi, & progressu temporis Clericos suum ad forum protrahendi. Vnde, quia hæc res est exemplo periculosa, statuit sacrosancta Synodus, vt eiusmodi inhibitiones & mandata, D. Archiepiscopi & Episcopi in eorum Diœcesibus penitùs relaxent, permittantq; Clerum vti liberè iurisditione Spirituali coram Vicariis in Spiritualibus, & Officialibus, in causis prædictis, contra subditos eorũ, tam ciues quàm villanos. Ad quod Dñs Archiepiscopus Gnesneñ, & reliqui Dñi Episcopi liberè consenserunt.

Causæ ad forum & ad iudicium Ecclesiasticum pertinentes. Petri Gamrati. Petricouiæ Anno, 1542.

SAcrosancta Synodus satisfaciendo votis & desideriis status Secularis, & instantiæ eorum, in Comitiis præteritis desuper factis, causas omnes ad forum & ad iudicium Ecclesiasticum pertinentes, in corpore iuris Canonici clausas, & quæ communiter in iudiciis Ecclesiasticis practicantur, quas causas pro more veteri Rmi Dñi Archiepiscopus & Episcopi se defensuros strenuè promiserunt, Synodaliter descripsit. Causæ autem merè Spirituales sunt hæ, Fides Catholica, Hæresis, Schisma, Blasphemia in Deum & Sanctos eius, Apostasia, Decimarum, septem Sacramentorum Ecclesiæ, beneficiales, matrimoniales, Simoniæ, vsurarum, Presbytericidii, Sacrilegii cuiuslibet etiam confugientis ad ædes sacras: Exceptis tamen quinq; casibus, videlicet, nocturni depopulatoris agrorum, aggressoris itinerum, publici & proclamati furis, incendiarii, & immunitatis Ecclesiasticæ violatoris, quibus forum & immunitas Ecclesiastica, propter immanitatem criminum non suffragatur: qui de Ecclesiis & locis sacris extrahantur,

trahantur, & iudicio suo Seculari restituantur. Item. Causæ merè Spirituales, sicut maleficia, incantationes, sortilegia, raptus, & violentiæ Ecclesiasticæ ac quorumcunq; censuum perpetuorum, qui terreni, & conditionalium qui widerkoffy vulgò appellantur, ac dotium siue agrorum Plebanalium, & aliorum sacerdotiorum, qui vulgò Posswiatne nominantur, præsertim in quorum possessione Ecclesiæ & Ecclesiasticæ personæ fuerunt, à tempore diuturno & præscripto: necnon miserabilium & destitutarum personarum, quæ labore & vsu manuum suarum victum quærere non possunt, & legitimitatis seu natalium. Sortitur etiam quis forum seu iudicium Ecclesiasticum ratione contractus, vel obligationis in iudicio Ecclesiastico factæ, & ratione delicti in Ecclesiasticas personas & nec Ecclesiasticas commissi.

Eiusdem.

CAusæ autem iudicio Spirituali annexę sunt: Iuris patronatus, & dotis post diuortium restituendæ, & repetendæ. Causæ autem mixti fori sunt, Testamentorum & vltimarum voluntatum seu ordinationum. Quodq; huiusmodi testamenta facilius exequutioni demandentur, liberum erit vnicuiq; pro legatis, & aliis omnibus in testamento contentis, iure experiri coram iudicio quo velit, siue Ecclesiastico siue seculari. Et vbi causam inceperit, ibidem iure præuentionis eandem finire teneatur. Exceptis tamen legatis ad pias causas quæ inter causas merè Spirituales computantur. Spirituales autem, pro bonorum suorum terrestrium, iuri communi Regni subiectorum dominio & proprietate, ac prouinciis suprascriptis in Statuto Regni expressis, iure terrestri Regni experiantur. Iniuriæ autem sunt iuxta Statutum Ioannis Alberti, & Alexandri Regum: super limitibus, colonis fugitiuis, capite occisi, & vulneribus. Si autem persona Ecclesiastica secularem in casu aliquo ex quatuor proxime suprascriptis, ad iudicium

dicium Spirituale citauerit, pœna quatuordecim marcarum, per Ordinarium suum irremisibiliter puniatur.

Dzierzgouii Lanciciæ 1547.

PRæterea quia plerunq; contingunt inter hæreditates, ad dignitates seu quæcunq; Ecclesiastica beneficia pertinentes, & immunitati Ecclesiasticæ adscriptas, occasione limitũ inter personas Ecclesiasticas differentiæ & controuersiæ, potentiores q; furore Secularis potestatis freti, opprimere inferiores per hanc occasionem consueuerunt: Quo fit, vt ipsi etiam omnes inter Secularium iudicia cursitare, non sine statu Ecclesiastici dedecore cogantur. Cùm autem sacra Synodus consideraret non expedire Clericos & seruos Dei iudicibus Secularibus immiscerì, nec licere vni alterum in quacũq; causa ciuili seu criminali, relicto suo Pontifice, ad Secularia iudicia pertrahere: Decreuit, vt quotiescunq; inter hæreditates quorumcunq; Ecclesiasticorum beneficiorum Secularium vel Conuentualium non exemptorum, occasione limitum vel alterius generis differentiæ & controuersiæ exortæ fuerint, tales Ecclesiasticæ personæ huiusmodi bonis præsidentes pro sopienda differentia non Secularem iudicem, sed proprium Lociordinarium adire deinceps teneantur. Quiquidem Lociordinarius eo pacto requisitus, ad cognoscendam, complanandam, & decidendam huiusmodi controuersiam aliquos Prælatos & Canonicos de Capitulo suo deputare erit adstrictus. Qui verò huic statuto contrauenire, & ad iudicia Secularia recurrere ausi fuerint, pœnam centum marcarum ipso facto luant, fabricæ Ecclesiæ Metropolitanæ vel Cathedralis illius Diœcesis, irremisibiliter persoluendam.

DE DOLO ET CONTVMELIA. Ioannes Przeremb. Varsauiæ.

SEcuritati vitæ, aliis q; dispendiis & grauaminibus variis,

vniuerso Clero Prouincię nostrę, quibus in exequutione processuum tam memorum Dñorum Archiepiscoporum & Episcoporum, quàm eorum Officialium & iudicum delegatorum, ab his qui citantur cum magno dedecore ordinis Ecclesiastici afficitur, prospiciendo sancta Synodus Statutum Prouinciale Petricouien, olim Petri Gamrati Archiepiscopi, de exequutione processuum huiusmodi in casu insecuritatis prædictæ facienda, edictum innouandum decreuit, & præsenti constitutione innouat: vt scilicet, constito summariè de non tuto, vel difficili ad citandum accessu, tales Nobiles per edictum publicum, die Dñico aut celebri festo in eorum Parochiis citentur, & huiusmodi processus contra illos exequantur. Quodsi Parochialis illa, sub qua dictus citandus degit, fuerit ab hæreticis aut aliâs quomodolibet occupata: ita quòd neq; illic exequutori tutus patuerit ad exequendum ipsum processum aditus, extunc modo præscripto in alia Parochiali illi loco vicina, vel aliquo proximo oppido vbi fora exerceri solent, & vbi exequutor ipse securè agere poterit, citandumq; sæpiùs versari contingit, citetur, & copia citationis eidem relinquatur in porta templi illius oppidi, aliâs in loco eiusdem oppidi publico. Ita tamen, quòd terminus huiusmodi non abbreuietur nimis, sed sit triginta adminus dierum à die exequutionis computandorum, vt verisimile esset citationem peruenire potuisse ad notitiam citati. Vbi verò nulla apparuerit ad citandum vel processum exequendum insecuritas, citandus tamen ne citaretur adeò latitauerit, vt personaliter apprehendi non possit: extunc in tali casu, factis bis de apprehendendo personaliter absq; vllo dolo diligentiis, eisq; processui per exequutorem adnotatis, citetur tertiò in domo habitationis vel hospicii, vbi cõmuniter citandum versari contingit, per affixionem copiæ citationis in eadem domo, aut in manibus familiæ vel amicorum illius relicta. Et hoc modo citatum afficere debebit eiusmodi citatio, non minùs atq; personaliter citatus fu-

tatus fuerit. Exequutor tamen in omni casu huiusmodi faciat fidem de insecuritate & diligentiis suis, ac quòd reliquerit copiam citationis. Quodsi à tali processu citationis appellatum fuerit, Iudex cognito de diligentiis eiusmodi, processum citationis approbare vigore decreti præsentis Synodi sit obligatus.

DE FERIIS.

Ex antiquis

VT circa celebrationem festiuitatum sit Ecclesiarum nostræ Prouinciæ concordia, statuimus, quòd infrascriptis diebus tam Clerici quàm laici debeant à seruilibus operibus abstinere. Primò in festiuitatibus Christi, videlicet, Natiuitatis, Circumcisionis, Epiphaniæ, Ascensionis, Corporis Christi, Resurrectionis & Pentecostes, cum duobus diebus immediatè sequentibus, necnon sanctæ Crucis inuentionis & Exaltationis, cum omnibus diebus Dominicis: in sex festiuitatibus sanctæ Mariæ virginis, Annunciationis, Visitationis, Conceptionis, Purificationis, Natiuitatis, & Assumptionis. Item in die Angelorum, quod dicitur festum sancti Michaëlis. Item in festo Natiuitatis sancti Ioannis Baptistæ. Item in diebus Apostolorum, videlicet, Matthiæ, Philippi & Iacobi, Petri & Pauli, Iacobi maioris, Bartolomæi, Matthæi, Simonis & Iudæ, Andreæ, Thomæ, & Ioannis Euangelistę, transitus & diuisionis Apostolorum prędictorum. Item, in diebus Martyrum beatorum, Stephani, Innocentum, Laurentii, Adalberti, Stanislai passionis tantùm. Item Confessorum, Martini, Nicolai. Item Mariæ Magdalenæ, Elizabeth, Heduigis, Catherinæ, Agnetis, Doroteæ, Margarethæ. Item, festum Omnium Sanctorum.

Item, Episcopus, Patronorum festiuitates Ecclesiæ suę in sua Diœcesi

Diœceſi poteſt facere celebrari. Item in diebus beatorũ, Marci & Lucæ Euangeliſtarum, & quatuor doctorum Eccleſiæ, Gregorii, Ambroſii, Auguſtini, & Hieronymi, quorum feſtiuitates, felicis memoriæ, Bonifacius Papa mandauit vniuerſis Eccleſiis, ſub officio duplici, ſolenniter venerari: ſic tamen vt populus in Parochiali ſua Eccleſia diuino officio peraudito ad ſua opera licita conuertatur.

Item quælibet Parochialis Eccleſia feſtum Patroni ſui, in cuius eſt honore principaliter dedicata, & anniuerſarium dedicationis diem in ſua Parochia faciat celebrari, ſaluis Conſtitutionibus & conſuetudinibus rationabilibus, cuiuſlibet Diœceſis, in feſtiuitatibus celebrandis.

Volens Deus omnipotens nos in ſe cum noſtris operibus quieſcere diebus Dñicis, ipſe ſeptimo die à ſuis operibus noſcitur quieuiſſe, ſub excluſione beatitudinis præcipiens in Decalogo memoriter Sabbata celebrare. Quamobrem diſtrictè præcipiendo, ſub pœnis infraſcriptis, vniuerſis Chriſtifidelibus noſtræ Prouinciæ Gneſneñ, mandamus hac ſancta Synodo approbante, vt in diebus Dñicis fora hebdomadaria non ponant, & poſita reuocent. Alioquin qui foriſationes prædictas deinceps ſeruabunt vel admittent, poſt elapſum ſex menſium à die publicationis Statuti præſentis, ſententiam excommunicationis ipſo facto incurrant. Simili modo præcipientes, quòd fora annalia, quæ nundinæ, vel in vulgari Iármárk nuncupantur, dictis diebus Dñicis & feſtiuis, & ſpecialiter beatæ Mariæ virginis & Apoſtolorum, non ponant. Poſitaq; infra vnius menſis ſpacium à tempore publicationis Conſtitutionis præſentis reuocent, & ab huiuſmodi negociationibus abſtineant. Et ſi ſecùs fecerint, extunc Rectores Eccleſiarum & locorum, in quibus præmiſſa ſeu aliquod ipſorũ perpetratum fuerit, ſine alia requiſitione Superioris, ſub pœnis Synodalibus & irregularitatis, contra facientes, excommunicare tenentur.

De Seque-

DE SEQVESTRATIONE Fructuum. Ex antiquis.

STatuimus, quòd cùm ordinatio vacantis Ecclesiæ, vel alterius beneficii Ecclesiastici, ex causis differtur, Oeconomus seu Cõmendarius in ea per Episcopum vel Prælatum alium, ad quem pertinet institutio, est instituendus, cui cura animarum committatur: qui fructus in vtilitatem Ecclesiæ expendere, aut futuris Rectoribus fideliter teneatur conseruare.

DE IVREIVRANDO. Ex antiquis.

CONiurationes, conspirationes, colligationesq; illicitas inter personas Ecclesiasticas quocunq; modo, fraude, vel ingenio, omnino de cætero fieri prohibemus, factasq; nec non iuramenta, promissiones, obligationes, & alia supra dictis præstita, vel quæ de cætero super eis fieri contigerit, vel præstari, aut eorum occasione, penitus reprobamus, dissoluimus, atq; cassamus: & eos qui huiusmodi promissiones, obligationes, aut etiam iuramenta, sub aliquibus etiam pecuniariis vel aliis pœnis fecerunt, aut etiam præstiterunt, protinus absoluentes ipsos, decernimus ad obseruationem coniurationum, obligationum & conspirationem ipsarum vel solutionem aliquarum pœnarum siue pecuniarum aliquatenus non teneri. Statuentes quòd qui in talibus de cætero inuenti fuerint excessisse, præter excommunicationem quam ipso facto incurrant, à suis Diœcesanis, aut suis superioribus per priuationem perpetuam, aut etiam temporalem beneficiorum, quæ obtinent, & alias pœnas taliter castigentur: quòd pœna eorum, aliis transeat in exemplum & terrorem. Quam constitutionem, quantum ad pœnas imponendas, ad promotores, mediatores, prædictarum coniurationum, colligationum,

conſpirationum, iuramentorum, vel promiſsionum, & obligationum prædictarum, extendi volumus & mandamus.

Audiuimus & miramur, quomodo ad hæc vſq; tempora ſit neglectum, & in omnibus Cathedralibus Eccleſiis, vel etiam aliis Gneſnen Eccleſiæ vel Prouinciæ, nullum præſtatur à Pontificibus vel Canonicis iuramentum, de iuribus vel conſuetudinibus ipſius Eccleſiæ obſeruandis, vel de conſiliis Eccleſiæ non reuelandis, vel quæ obeſſe potiùs poſſunt quàm prodeſſe. Vnde contingit, vel contingere fortè poſſet, quòd aliqui Pontifices, Epiſcopi, iura Eccleſiarum ſuarum non ſolũ non obſeruant, ſed ſuis parentibus & aliis largiuntur, vel ea modis aliis minùs prouidè alienant, & quòd aliqui in Canonicos iam recepti, in conſiliis & curiis Principum, vel aliorũ etiam exiſtentes, ipſis Eccleſiis, & ipſorum Epiſcopis indebitè ſe opponunt, & conſilia eorum reuelant, in Eccleſiarum præiudicium & grauamen. Volentes igitur in huiuſmodi Pontificibus & Eccleſiis prouidere, mandamus, vt de cætero poſtquam Epiſcopus fuerit conſecratus, antequam à Capitulo ſuo recipiatur, in Eccleſia Cathedrali, cum honore & ſolennitatibus conſuetis, & Canonicis, antequam ei ſtallum vel locus in Capitulo aſsignetur, præſtent corporaliter iuramentum, quòd ipſa iura & conſuetudines, & rationabiles, antiquas, & approbatas ipſius Eccleſiæ, pro poſſe, & bona fide ſeruabunt, & quòd conſilia Capituli vel Pontificis quæ eis fuerint reuelata, ad eorum damnum vel præiudicium nulli pandent, & quòd iura & poſſeſsiones Eccleſiæ, directè vel indirectè non alienabunt in perpetuum, vel ad tempus, ſed alienata indebitè, ad ius & proprietatem ipſius Eccleſiæ, omnibus iuſtis modis, vel rationibus quibus poterint reuocabunt. Quodq; Pontifices, fratres ſuos, ſcilicet Prælatos & Canonicos, ſuarum Eccleſiarum Cathedralium, & iura ipſorum non oppriment, nec aliquod ipſorum ſine iudiciali ſententia, abſq; conſenſu maioris & ſanioris partis ſui Capituli, per ſe, vel ſubmiſſas

perſonas

personas captiuabunt, aut molestiam inferent corporalem, & quousq; à prædictis præstita fuerint huiusmodi iuramenta, nec Pontifex ad Ecclesiam cum solennitate debita à Capitulo admittatur, nec Canonico stallum in choro, vel locus in Capitulo assignetur, nec aliquid in fructibus Præbendæ suæ percipere permittatur, volentes vt negotia nostrarum Ecclesiarum commodiùs valeant pertractari, sub excommunicationis pœna, quam in contrafacientes proferrimus in his scriptis. Præcipimus vniuersis & singulis, cuiuscunq; status & conditionis, aut præeminentiæ existant, qui ad pertractanda huiusmodi Ecclesiarum negotia nobiscum ordinati dinoscuntur, quatenus secreta tractatuum nostrorum, quæ pro secretis indicta fuerint à Pontifice, vel Capitulis ipsorum, inuiolabiliter debeant obseruare, nulli vnquam ea nutu, verbo aut facto aliquatenus propalando. Hanc autem decreti & ordinationis nostræ sententiam, ita in ordinandis sacræ Synodi negotiis volumus obseruari, vt etiam ad particularium Capitulorum tractatus extendatur, vt si qui reperti fuerint, & legitimè conuicti, beneficiis si quæ habent priuentur.

Cùm nedum à malo sed ab omni mali specie Apostolus præcipiat abstinere, Sacerdotisq; sit officium, non solum errata, legis diuinæ mensura corrigere, sed etiam occasionem cæteris peccandi subducere, toto posse, non sine temeritatis audacia, & exempli pernicie, nonnulli Sacerdotes (vt rerum magistra docuit nos experientia) dum laicis quibuslibet testes producendi coram iudicibus imminet necessitas ab eis requisiti iureiurando certis personis, quas iidem laici in testimonium velint producere, fidem faciunt de iusticia producentis, cum tamen nec ipsis congruat, sine propriorum Episcoporum licentia, iurare in manibus laicorum, nec ipsi producendi, quibus sic per Sacerdotes huiusmodi facta fides fuerit, possunt esse testes idonei, sed anceps subeunt periurium, si eisdem dubitantibus de iusticia ita in re foret. Quare omnibus tam Sacerdo-

tibus, quàm Clericis, & etiam laicis inhibemus, quatenus de cætero, nullus ipsorum talia præstet iuramenta, cùm periuriis viam aperiant scandalis & peccatis. Presbyter autem si fuerit in hoc facto repertus culpabilis, carceri mancipetur. Laicus verò excommunicationis sententia percellatur. Cæterum prauam illam consuetudinem reprobamus, per quam in secu. lari iudicio, super confessionibus audiendis Nobilium, qui comparere coram certis iudicibus in terminis ipsis præfixis arctantur, quadam ficta ægritudine, producũt in testimonium Sacerdotes, cùm figmentum circa pœnitentiæ sacramentum contineat, reprobamus, inhibentes ne ipsi Sacerdotes, & præsertim curati, vadant ad huiusmodi terminos laicorum, iuramenta præstare, populum sibi commissum in cura animarum & administratione Spiritualium negligendo.

Matthiæ Drzeuicii. Petricouiæ 1530.

PLacuit sacrę Synodo Capitulorum Statutum huius Prouinciæ, quo Pontifices in receptione sua iureiurando promittunt, laicis arces Ecclesiæ non committendas, cum hoc temperamento interpretari debere, ne laici, ab arcium præfectura omnino excludantur, sine quorum opera, arces, neqꝫ stare, neqꝫ deffendi possunt, sed vt laicus fide dignus, cui arx Ecclesiastica credita, & commissa per Episcopum fuerit, iureiurando sit obstrictus, & obstringatur in præsentia Capituli, vel eius nunciorum, quòd fideliter arcem diriget, & seruabit domino suo Episcopo, eidemꝫ obediet. Morte autem Episcopi sequuta, nemini arcem creditam, huius iuramenti vigore tradet, nisi Capitulo, aut cui Capitulum sede vacante mandauerit.

Nicolai Dzierzgouii. Lanciciæ Anno Domini. 1547.

DEcreuit sacra Synodus, vt R^mi Domini Archiepiscopi, & Episcopi, iuramenta à capitaneis arcium suarum, iuxta di-

iuxta disposition em Statutorum Prouincialium, de seruanda per eos fide Ecclesiæ, exigant, & in præsentia aliquorum Prælatorum, vel Canonicorum præstari mandent, ac literas sic præstiti iuramenti in Capitulis Ecclesiarum suarum præsentari, & adseruari faciant, per hocq; suo iuramento satisfaciãt.

Eiusdem. Petricouiæ 1557.

PERuersam quorundam consuetudinem, recens introductam, & iuris communis abusum reprobando, sacra Synodus sanciuit, ne quis Presbyterorum, aut Ecclesiasticarum personarum iusiurandum quodcunq;, etiam iudicialiter delatum, in manibus iudicis secularis, audeat præstare, sub pœna suspensionis ab officio: sed cùm illi delatum fuerit iuramentum, ad illud præstandum, iuxta veterem consuetudinem, se remitti ad suum Ordinarium, aut officialem eius petat, vel licentiam illud præstandi, in manibus alicuius Ecclesiasticæ personæ, ab Ordinario sibi impetret.

DE FIDE INSTRVMENtorum. Ex antiquis.

CVM ex eo, quod pleriq; rudes, & ignari per se, & instrumenta facere nescientes, & alii se notarios publicos mentientes, conficere instrumenta præsumunt, ex quibus plurima incommoda & pericula oriuntur, quibus nos obuiare volentes, prohibemus, ne pro notario publico quisquam se gerat, vel quiuis instrumenta conficiat, antequam de creatione sua loci Diœcesano, vel eius Officiali aut Capitulo Cathedralis Ecclesiæ fecerit plenam fidem, contrarium faciens excõmunicationis sententiam incidat ipso facto, & instrumenta per eum confecta, sint irrita ipso facto. Postquam autem per Ordinariũ vel Officialem loci vel Capitulum fuerit approbatus, & ad officium admissus, literis super huiusmodi admissione sua expeditis, nomen, signum, & manum suam, ad metricam

Ecclesiæ inscribat, quæ postea mutari non possunt. Et nihilominus iuramentum super veris & fidelibus instrumentis, per eum conficiendis, & membranis, seu albis cartis duntaxat sub scriptis, & signo sua signatis, sub pœna simili non dandis, in manibus dicti Ordinarii vel officialis sui, aut Capituli de nouo faciat atq; præstet. Etsi aliquis Clericus vel laicus, talem non approbatum, pro notario publico, in domo sua, manu tenere, fouere vel defendere scienter præsumpserit, pœna decem marcarum puniatur, fabricæ Ecclesiæ Cathedralis applicanda, & si ipsius instrumentis scienter vsus fuerit, pœnam excommunicationis incurrat ipso facto. Item statuimus, quodsi aliquis vel aliqui notarios approbatos, quominus super factis & gestis coram ipsis, super quibus requisiti fuerint, malicioſe & in fraudem iusticiæ petentes, instrumenta conficere prohibuerint, tanquam concussores iusticiæ, Archiepiscopus, & Episcopi Prouinciæ in viginti, inferiores verò Clerici vel laici, in decem florenis auri Vngaricalis, pro fabrica Ecclesiæ Cathedralis applicandis, puniantur: quam pœnam Ordinarii ab inferioribus, Capitula verò à Pontificibus exigere teneantur. Quodsi Pontifex ipsam pœnam soluere contradixerit, à tempore monitionis per Capitulum infra mensem, extunc autoritate huius Statuti suspensionis sententiam ab ingressu Ecclesiæ incurrat ipso facto, qui solutione facta sit relaxatus.

INsuper statuimus, quòd huiusmodi notarii aliqui salaria non exigant, vltra taxam debitam, & quæ per Ordinarium loci, vel suum Officialem fuerit taxata. Et si secus fecerint, arbitrio iudicis puniantur.

DE APPELLATIONIBVS.

In Synodo Petricouien quarta.

DEcernimus Clericis, in causis criminalibus, vel aliâs ad correctionem & morum reformationem pertinentibus, à senten-

à sententia lata appellantibus, appellationem ipsam iure communi etiam id disponente, ne crimina remaneant impunita, minimè suffragañ, quinimo taliter appellans post latam sententiam, iuxta pœnam ordinariam delicti, appellatione non obstante, legitimè puniatur: nisi fortè pœnam delicti iure comprehensam, iudex excesserit, & id reus in appellatione deduxerit, quia tunc locus erit appellationi.

In eadem.

PRæterea in Appellationibus causarum Matrimonii quarumcunq; seruetur ius commune, & vt legitima appellatio iudicatum suspendat, nisi causa in appellatione comprehensa esset manifestè fruſtratoria, cui vel ob id non esset deferendus, neq; suspendatur iudicatum, prout & alia id genus in iure communi comprehensa. In prolatione autem sententiæ, dos & bona mulieris, sequentur mulierem vt iuris est.

Petri Gamrati. Petricouiæ Anno 1542.

DEcreuit etiam sacrosancta Synodus, vt Prælati & Canonici Ecclesiarum Rmis Dominis Archiepiscopis, & Episcopis, obedientiam, reuerentiam, & honorem debitum vbiq; diligenter exhibeant, & impendant. Rmi quoq; Domini Archiepiscopi, & Episcopi, vicissim Prælatis & Canonicis Ecclesiarum suarum etiam debitum honorem deferant, & eos vt fratres & membra sua immediata gratia & fauore prosequantur, neq; eos verbis turpibus & asperis exacerbent, & alioqui iurisditionem illorum Capitularem in corrigendis membris suis, quam de iure habent, & quam ipsi Domini Episcopi eis seruandam iureiurando firmarunt, quoquo modo non impediant, nisi quantùm eis de iure permittitur: verùm

postquam

postquam contigerit quempiam exorbitasse, eum Capitulo deferant. Vbi verò pro demerito seu excesso cuiuspiam Prælati vel Canonici, aut ex delatione Episcopi in delinquentem per confratres capitulariter animaduersum fuerit, Statutis Capitularibus aut Prouincialibus disponentibus, vel consuetudine approbata suadente, ab huiusmodi cò ércione Capitulari fraterna, nisi modus excedatur, prouocare non liceat. Si autem sic punitus modum in pœna excessum esse prætenderit, eius rei cognitio ad Dominum Archiepiscopum, vel Episcopum suum deferri debebit immediatè. Quicquid verò Archiepiscopus & Episcopus decreuerit, huiusmodi decreto stare tenebitur, in quem sic animaduersum fuerit, ad quod obseruandum etiam grauioribus pœnis, iuxta temeritatis exigentiam, adhibitis & multiplicatis, appellatione vlteriori cessante, compelli debet.

)( )( )(

CONSTI-

CONSTITVTIONVM SYNODALIVM PROVINCIAE GNESNENSIS. LIBER TERTIVS.

DE VITA ET HONESTATE Clericorum.

QVIA ſicut Prælati quoſq; ſibi ſubditos, dignitate & autoritate præcellunt, ita moribus, vita, habitu, & conuerſationis honeſtate prçcellere & prçcedere debent eoſdem, cùm eorum vita ſi ſit bona, & ampliùs ſi ſit mala, trahatur à ſubditis in exemplum. Statuimus, quod ipſi Prælati coronam & tonſuram, maiorem tamen quam alii Clerici inferiores, patentibus auribus circularem deferant, ab omni exceſſu in capillis, & defectu notabili in corona protinus abſtinentes. Sic enim ſeruantes in prædictis, ſubditos credimus reformari. Et pro habitu ſuo deferant ſimiliter camiſias albas, ſiue Rokietas: & præſertim cùm in publico extra ſecreta habitationis eorum ipſos contingerit ire, aut ſtare, exceptis caſibus in iure expreſsis, & neceſsitate imminente, ſub pœna decem florenorum auri Vngarici, totiens quotiens non fecerint præmiſſa, per Metropolitanum exigenda, pro fabrica Eccleſiæ applicanda, Capitulum verò deferat tranſgreſſorem.

Statuimus, & inuiolabiliter obseruari præcipimus, quòd omnes & singuli de aliquibus religionibus, siue ordinibus, ad Pontificalem dignitatem assumpti, aut in posterum assumendi, illius religionis siue ordinis, de qua vel de quo assumpti fuerint, vel de cætero assumentur, habitum tam in vestibus, quàm in calciamentis, & quibuscunq; aliis, toto tempore vitæ suæ deferre teneantur, aut deferant, in publico & secreto: nec habitum illum tempore vllo dimittant, aut vestes, calciamenta, vel aliqua deferant, in colore, forma, aut materia contraria, vel dissimilia religioni sui ordinis supradicti.

Clerici officia vel commercia secularia non exerceant, maximè inhonesta: tabernas prorsus euitent, nisi fortè causa necessitatis in itinere constituti: choreis & publicis spectaculis non interfint: Coronam & tonsuram habeant congruentem: & calceos rubeos non deferant. Contrarium facientes, ad arbitrium Ordinariorum puniantur. Et vt Clericorum mores & actus in melius reformentur, continenter & castè viuere studeant vniuersi, præsertim in sacris ordinibus constituti, quatenus in conspectu Dei omnipotentis, puro corde & mundo corpore valeant ministrare. Quicunq; autem propter vicium incontinentiæ à suo Prælato suspensus, præsumpserit celebrare diuina, non solùm Ecclesiasticis beneficiis spolietur, verumetiam pro hac duplici culpa perpetuò deponatur: nec credat aliquis posse per alium, cum talibus celebrantibus, nisi per Romanum Pontificem, dispensari.

Inter cæteros Prælatorum & Clericorum excessus, hoc maximè inoleuit, quòd spreta in vestibus forma Ecclesiasticæ honestatis, plurimi delectantur esse deformes, & cupiunt Laicis conformari: quodq; mente gerunt, habitu profitentur. Vnde præter cætera, quæ circa vestes, tonsuram, & habitus Clericorum, tam in formis, quàm in coloribus, atq; comam seu capillos, vitamq; & honestatem Clericorum iura statuunt, atq; nimium collapsa sunt, tam in secularibus quàm in regularibus,

gularibus, sacro approbante Concilio, innouamus, & præcipimus diligentiùs obseruari. Illum specialiter abusum, eodem approbante Concilio, decreuimus penitus abolendum, quòd in quibusdam partibus non vlli Clerici, & personæ Ecclesiasticæ, seculares & regulares, etiam quod magis detestamur, Prælati Ecclesiarum manicas ad cubitum pendentes & longas, cum magna & sumptuosa superfluitate: vestes etiam scissas retro & in lateribus, cum foratinis vltra oram excedentibus, etiam in scissuris deferunt, & cum talibus in Ecclesiis, cum superpiliciis aut aliis vestibus, ad cultum Dei & officium Ecclesiasticum ordinatis, etiam intra Ecclesias ipsas, in quibus beneficiati existunt, non verentur diuinis officiis interesse: hanc vestium deformitatem in quibuscunq; personis Ecclesiasticis reprobamus, ac vsum talium inhibemus. Contrarium autem facientes, vt transgressores Canonum puniantur. Specialiter statuentes, vt qnicunque beneficiatus, aut officium in Ecclesia gerens, in habitu huiusmodi diuinis officiis præsumpserit interesse, pro qualibet vice, à perceptione prouentuum Ecclesiasticorum, per mensem nouerit se suspensum: fructus'q; illi fabricæ illius Ecclesiæ applicentur.

Claustra Monialium nullus Clericorum, vel etiam Monachorum, sine causa honesta, & bono testimonio introeat. Alioquin Prælatus seipsum debitæ subiiciat vltioni. Neq; etiam Moniales de suis egrediantur Monasteriis, nisi Monasterii orum necessitas id exposcat, & velatæ incedant. Illis autem tantùm ob hanc causam egredi liceat, quibus administratio est commissa, vel quæ à superiore hoc acceperint. Hoc quidem non de illis Monialibus, quæ clausæ sunt, intelligi volumus, cùm illis exire omnino non liceat: Sed de illis, quæ sine clausura vitam ducere consueuerunt laxiorem. Statuimus insuper, vt singulis Monasteriis fenestræ platearia duplicata habeant ferramenta. Et vt Moniales suis Præpositis & Prælatis in rebus licitis & honestis obediant, nec cuiquam, præter

eorum licentiam, ſua confiteantur peccata. Ipſi autem Præpoſiti ſeu Prælati, clauſtra Monialium nullo modo introeant, niſi magna & euidens cauſa neceſsitatis id expoſcat.

Inſuper, interdicimus omnibus Clericis portare annulos, niſi ſint Prælati, aut alii, quibus hoc competat ex officio dignitatis, vel priuilegio ſedis Apoſtolicæ ſpeciali: conſuetudine in hoc contraria non obſtante. Quodſi quiſpiam taliter annulum portans inuentus fuerit, auferatur ei annulus, per ſuum Ordinarium, & non reddatur eidem. Imò idem transgreſſor Clericus, etiam tantundem, ad valorem illius annuli, in rebus aliis cogatur pauperibus erogare. Clericus autem, qui annulum dare Diœceſano, vel prædictam quantitatem ſoluere contempſerit, ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, donec annulum reddat, & pœnam ſoluat prædictam. Et ſimiliter de cultelis longis præcipimus obſeruari, niſi tales ſint in itinere conſtituti, vel inimicitias habuerint manifeſtas.

Cum domum Domini deceat ſanctitudo, iure quoq; Canonico ſtatutum exiſtat, quòd ad Eccleſias ingreſſus debeat eſſe humilis & deuotus, ſtatuimus, vt quiuis Prælatus, Canonicus, Altariſta, Vicarius Cathedralis Eccleſiæ, niſi ſuperpiliciatus extiterit, in eandem Eccleſiam, ad audiendum diuinum officium non audeat introire, & introeundo chorum ſacris ſolenniis deuotis orationibus inſiſtat, ceſſent conſilia, ceſſent vana, multò fortius fæda, & prophana colloquia, ceſſent riſus & confabulationes mutuæ. Poſtremò, quæcunq; alia, quæ diuinum poſſunt turbare officium, aut oculos diuinæ Maieſtatis offendere, & populum ſcandalizare, ne ibi detur occaſio peccandi, vbi peccatorum venia eſt poſtulanda. Contrarium faciens, ſi ſit Prælatus, Canonicus, aut Altariſta, per Epiſcopum aut Vicarium ſuum: ſi verò Vicarius vel Altariſta per Decanum aut Vicedecanum, pœna condigna caſtigetur. Item ad tollendum ſcandalum laicorum, ſtatuimus, quòd nemo prædictorum vtatur ſuperpiliciis ſericeis, nec capuciis, & mitris

& mitris magnis, sed duntaxat dalmutiis & biretis paruis, & si placuerit, pro necessitate foderatis. Vicarii verò & Altaristæ, Mansionarii, Psalteristæ, similiter vtantur dalmutiis de asperiolis, & alii intitulati, vel nigris agnellis.

Item quòd Sacerdotes, & Campanarii, & Sanctuarii Cathedralium & Collegiatarum ac Conuentualium Ecclesiarum, qui Sacerdotibus ad altare circa Baptismum, deportationem olei & corporis Domini ad infirmos assistunt, & iuxta quod eorum officium requirit, ministrant, super vestimenta sua superpliciis vtantur, Sacerdotes videlicet superpliciis, & Campanarii camisiis albis, quod districtè præcipimus obseruari. Quasquidem camisias Campanariorum, & superpilicia Sacerdotum, Plebanus cuiuslibet Parochiæ, vel Vitrici Ecclesiarum, quando & quoties fuerit necesse, de eleæmosynis, quæ in Parochiis possunt haberi, alioquin de propriis sumptibus, comparabunt.

Ioannis Laski. Lanciciæ Anno 1523. In Synodo Secunda.

EA, quæ pro vita & honestate Cleri reformanda, quantùm ex alto conceditur, ampliare cupientes, omnibus cuiuscunq; ordinis, conditionis, & eminentiæ, Clericis interdicimus perpetuò, vt vestes more secularium laicorum, præsertim hasucas & tunicas diploides, camisias plicatas (aliàs marsczone) ordini Clericali non congruentes, aut cornuta ex ambabus partibus bireta, vel pileos caudatos, vel calceos depressos, more Heluetiorum, non deferant, & extra habitationum loca nudis pedibus nõ incedant, sed calciati ad minus supra talos, peregrinantibus tantummodò & viatoribus exceptis. Barbas more Grecorum vel secularium non nutriant, cesariem fronte bipartitam seu discriminatam non deferant. Vestes sericeas, præter Tàbin, Hàtlas, Czàmlet, deferre

non audeant, & istas non nisi Prælati & Canonici Metropolitanarum, Cathedralium & Collegiatarum Ecclesiarum, in quibus sunt distributiones, & Capitula per annum celebrantur. Alii verò inferiores Canonici, Plebani, & Presbyteri quicunq; solo Hàràsio & panno sint contenti. Exceptis tamen curialibus Regum, residentibus communiter in illis curiis: quos residentes huiusmodi, si voluerint, in delatione vestium sericearum quarumcunq; toleramus. Tunicas clausas pro decentia status Clericalis deferant: vel qui apertas deferre volunt, habeant vestes interulas seu gabanellas: manicas latas non deferant, quarum latitudinis mensura duas & mediam quartas vlnæ non excedat. Contrafacientes, pœna decem ducatorum auri per Ordinarios, vel eorum Officiales, totiens quotiens excesserint, irremissibiliter puniantur, pro fabrica Ecclesiarum Cathedralium applicanda. Si autem Ordinarii in pœnæ exactione, & huius Statuti exequutione conuincerentur esse negligentes, pœna centum ducatorum auri per Archiepiscopum puniantur, Ecclesiæ Metropolitanæ applicanda. Si verò Archiepiscopus in præmissis fuerit remissus & negligens, simili pœna per Synodum irremissibiliter puniatur, etiam Ecclesiæ Metropolitanæ applicanda. Volumus autem vt hoc salubre & laudabile institutum non nisi infra duos menses à die publicationis Clerum vniuersum obliget & astringat, vt interim quilibet seipsum recolligere, & errata corrigere possit & valeat in effectu.

In Synodo Petricouiensi prima, & Lancicensi prima & secunda.

EBrietatibus insuper & comessationibus, ex quibus multa mala solent euenire, viam & occasionem præcludere cupientes, perpetuo prohibemus edicto, ne Spirituales cuiuscunq; conditionis & eminentiæ, etiam Episcopi, ad æquales potus

potus obligent quoſcunq; potatores, neq; pro ſalute alicuius bibent, vel quoſcunq; ad bibendum inducant. Dñi Archiepiſcopi & Epiſcopi, in eorũ prandiis & conuiuiis, etiã quantũuis ſolennibus, ſeptem tantũmodò, inferiores verò Clerici cuiuſcunq; ordinis & eminentiæ extiterint, quinq; fercula non excedant. Lectiones circa menſam eorum Domini Archiepiſcopi & Epiſcopi pro more vetuſto fieri faciant, vbi id commodè facere poſſunt. Contrarium facientes, Epiſcopus pœna decem ducatorum auri per Archiepiſcopum, & ipſe Archiepiſcopus ſimiliter decem ducatorum per Synodum Prouincialem, aliiq; inferiores Clerici quicunq; pœna trium marcarum Synodali, quotiens id fecerint, per Diœceſanum irremiſsibiliter puniendi, quæ pœnæ Eccleſiis maioribus applicentur, iuxta cõſtitutionem Statuti præcedentis. Adiicientes, quòd Clerici, & præſertim in ſacris conſtituti ordinibus, ſi tabernas viſitare aut ebrietates ſectari moniti non ceſſauerint, pœna Synodali vltra pœnas præmiſſas percellantur.

In Synodo Petricouienſi quarta.

QVoniam in Gneſuenſi Prouincia certis, vt potè Carniſpriui, temporibus, ludi quidam inoleuerunt, quibus veſtium vel actuum ritus Eccleſiaſtici & religionis fit repræſentatio, in contumeliam & deſpectum ſtatus Clericalis & Eccleſiaſtici, ad ſcandalum plurimorum: quos deinceps diſtrictè prohibemus, & vt contrarium facientes arbitraria, vltra excõmunicationis pœnam, per Loci ordinarios percellantur.

Statutorum librum quilibet habeat. Matthiæ Drzeuicii. Lanciciæ Anno Domini, 1537.

QVia ex bonis moribus Clericorum ſeculares multùm confirmantur & ædificantur: ſtatuit hæc Synodus ſacroſan-

crosancta, vt Domini Archiepiscopi & Episcopi ad morum reformationem in Clero solenniter procedant, quam iuxta sacrorum Canonum Prouincialium veterum & nouorum constitutiones faciant in capite & in membris, ad pœnas iuris & Statutorum omni timore postposito, & sine personarum acceptione contra rebelles & inobedientes procedentes. Et ne quis ex Clero Prouinciali ignorantiam Statutorum nouorũ & veterum nouiter impressorum & publicatorum, morum & vitæ reformationem in se continentium, prætendere possit: decreuit Synodus, vt quilibet præmorum Dñorum Archiepiscoporum & Episcoporum eadem Statuta in Diœcesi sua toti Clero faciat publicata. Mandamus omnibus Prælatis & Canonicis ac Plebanis, eorumq; Vicariis & aliis Presbyteris, tam secularibus quàm regularibus sub pœna Synodali, vt librum eorundem Statutorum quilibet habeat, & secundum illa viuat & gubernetur.

Eiusdem. Petricouiæ Anno 1530.

CEnsemus autoritate præsentis sacræ Synodi, mores vitamq; vniuersi Cleri exacta non perfunctoria opera à præmis Pontificibus custodiri: delictaq; vndecũq; apparuerint competentibus ex Repub. Ecclesiastica purgationibus purgari: vt omni ex parte honestas Cleri, quam sacri Canones abundanter erudiunt, lumine veritatis omni populo luceat: quò bonis exemplis populus & Dominum Deum collaudet, & ipse his Cleri vestigiis in cœlos gradiatur.

Eiusdem. Petricouiæ Anno 1532.

PRælati, tam seculares quàm religiosi, qua vita viuunt, tali cæteros viuere informent: Ideo sancta Synodus admonere dignata est Prælatos cuiuslibet status & conditionis, vt Sacras & Canonicas scripturas legant: nouos autores, qui ambigu-

ambiguam religionem simplicibus relinquunt, in vsu non habendo, easdemq; scripturas sacras & Canones legi præcipiant, ac circa mensas potius, quàm dicteria histrionum vel fabulas insolentium audiant. Sic etiam verbi Dei Concionatores informent, vt populo Dei ex probatorum autorum ab Ecclesia libris prædicent, Euangelio sancto innitentes, & scrupulosos Doctores euitantes, vt populus sacris doctrinis munitus, constanter Domino Deo in religione iam sibi vsitata & hæreditaria firmiùs inseruiat.

Eiusdem. Ibidem.

HOnestas status Clericalis & ordinis requirit, vt tam Clerici quàm etiam studentes Gymnasiorum, & Scholares in Scholis particularibus manentes, habitum conformem, honestum, statui Clericali congruentem, non crispatum, neq; breuem, coloratum colore de iure permisso portent: præter peregrinantes, quibus licitum sit dum in itinere sunt, vti vestibus itineri aptis. Statuit itaq; Synodus sancta, vt deinceps, sub pœnis de iure institutis, nec Clerici, neq; studentes habitum portent ad instar Sacerdotum. Pœnas vero à contrafacientibus Archidiaconi exigent.

Petri Gamrati. Petricouiæ Anno Domini 1542.

QVia ex bonis moribus Clericorum seculares multùm confirmantur & ædificantur: statuit hæc sancta Synodus, vt D. Archiepiscopus & Episcopi ad morum reformationem in Clero, tam in capitibus quàm in membris diligenter procedant, iuxta sacrorum Canonum Statutorumq; Prouincialium veterum & nouorum vim, formam, & tenorem: puniendo, & emendando Clericos notoriè excessiuos, simoniacos, adulteros, vsurarios, & concubinarios publicos, secularibus negociis se immiscentes, in vestibus laicalibus incedentes,

dentes, tonsuram debitam non deferentes, verùm loco tonsuræ barbas nutrientes. Et quod Prælati & Canonici Ecclesiarum Metropolitanarum, Cathedralium, & Collegiatarum, barbas nutrientes, ab ingressu Capituli & perceptione refectionum arceantur. Reliqui verò Clerici barbati, pœna Synodali, per Lociordinarios puniantur, cæterisq; criminibus irretitos debitè puniant. De qua reformatione plurima verba facere non expedit: quandoquidem de illa pleni sunt libri sacrorum Canonum, Statutorum Prouincialium nouorum & veterum, modò vt Domini Lociordinarii non oscitanter aut negligenter de super exequutionem faciant, ne sanguis eorum de manibus eorum requiratur.

Eiusdem. Petricouiæ Anno 1530.

QVoniam verò mores & conditio eorum, qui ob oculos Præsulum semper versantur, eisdem non debet esse incognita. Licet autem dudum sancitum sit, ℞mos Dominos à suarum Curiarum seu personarum in illis existentium reformationem, & Canonum exequutionem incipere debere: nihilominùs tamen multos in Curiis eorundem ℞morum Dominorum esse & apparere, qui Sacerdotia ampla & honorata possidentes, habitu, conuersatione, & moribus, nihil prorsus à secularibus hominibus differunt, non sine offendiculo secularium. Statuit ergo sacra Synodus vt ℞mi Domini Episcopi ad ea iam amplius non conniueant, sed illos habitum & tonsuram deferre, ac in moribus compositos esse, iuxta Canonum & Statutorum dispositionem cogant, & si inobedientes fuerint, eos pro aliorum exemplo, indignationis suæ, seu alia arbitraria pœna còerceant. Et si ex Capitulis Ecclesiarum Cathedralium fuerint, pœna centum marcarum Synodo irremissibiliter persoluendarum mulctentur. Cancellarii autem ℞morum Dominorum, tales suis Paternitatibus deferre teneantur. Alioqui, si negligentes fuerint, pœnę simili subiaceāt.

Dzierzgo-

Dzierzgouii. In Synodo Petricouien. Anno Domini. 1551.

PRepostero quodam modo irrepsit in ordinem nostrum Ecclesiasticum, vt Episcopi, qui de iure & consuetudine, Rokietas deferre debent, non semper tamen deferant. Religiosi verò in Episcopos promoti, quibus iura prohibent deferre Rokietas, deferunt, contra dispositionem Canonum: quibus cùm ex contemptu non paritur, mortaliter peccatur. Quare decreuit Synodus, vt Domini Episcopi seculares, iuxta sacrorum Canonum constitutiones & laudabilem consuetudinem, Rokietati incedant, & mensis suis in publico assideant. Religiosi verò Episcopi, vt potè Suffraganei, & alii quibus id iurè omnino negatur, ab hoc abstineant. Sed neq; vestes sericeas variegatas aut figuratas, sub pœna centum marcarum per Synodum exigenda, in vsu habeant.

Eiusdem. Anno 1557. Petricouiæ.

QVod autem reformationem morum Ecclesiasticorum attinet, hanc à summis pariter & infimis, à capitibus simul & paruulis oriendam esse sacra Synodus censet. A capitibus videlicet, vt hi qui cæteris dignitate præsunt, exemplo quoq; & integritate vitæ illis præemineant: luxum, & ambitionem, atq; fastum, vt pestem, fugiant: benignosq; & affabiles sese ad omnes exhibeant, & in pauperes liberaliores sint: gregi suo, de quo sunt reddituri in extremo iudicio districtam rationem, diligenter intendant. Et aliàs, ita viam suam instituant, quemadmodum ex sacris Canonibus ac Statutis Prouincialibus abundè perscriptum habent. Paruulos autem eos appellamus, qui in loca maiorum subinde decedentium in vtraq; Republica, tam Ecclesiastica quàm seculari sũt successuri. Qui nisi ab initio benè fuerint instituti, & bonis moribus formati, metuendum est, ne ab his pestis siue pernicies Rei-

cies Reipub. Ecclesiasticæ & Regni oriatur. Operæprecium itaq; est, vt autoritate Mtãtis Regiæ Scholæ omnes priuatæ, nempe Cosmineñ, Pinczouieñ, & his aliæ similes remoueantur & interdicantur, edictumq; felicis recordationis Sgismundi primi Regis Poloniæ, de nõ mittendis in Germaniam pueris siue adolescentibus, in exequutionem ponatur & seruetur. Scholæ autem publicæ diligenter lustrentur, visitentur, & Catechismi hæretici in illis legi & doceri prohibeantur, studium præterea Cracouieñ generale, de quo in omnibus Synodis fit mentio, reformetur. Qua de re ꝓmus Dominus Cracouieñ Episcopus, vt Cancellarius illius, est Synodaliter admonitus.

DE COHABITATIONE Clericorum & Mulierum.

Ex antiquis.

QVamuis fornicationis crimen, si in aliis ex Apostoli doctrina, multo magis in Clericis sit detestabile, vt potè, quia inter cæteras virtutes, principaliter carnis continentiam profitentur: multi tamen Clerici, suæ salutis immemores, & professionis, non solum tentationibus victi, desideria carnis perficiunt, sed etiam tentationem præueniunt, dum ne frustrà tententur, in domibus propriis vel vicinis paratas ad malum fornicarias nutriunt mulieres. Nos igitur ne crimen ipsum videamur per tolerantiam approbare, omnes Clericos, qui de cætero in domibus suis suspectas mulieres, vel etiam extra domos, in sua procuratione publicè detinent concubinas, si sunt beneficiati, monitiq; Canonicè non destiterint, & in hoc pertinaces reperti fuerint & rebelles, extunc, pro prima vice agere volentes mitius cum eisdem, pœna Synodali per suos superiores percellantur. Si verò (quod absit) se minimè de sua incontinentia correxerint, forsan easdem vel alias concubinas, aut suspectas fœminas scelestius reassumendo, extunc

per vnum

per vnum menſem arcis carceribus deputentur. Sed ſi (quod abſit) meretricia facie indutus, nec à ſua ſcelerata conſuetudine & peccandi libidine deſiſtere voluerit, extunc, tanquam incorrigibilis, beneficio ſeu beneficiis Eccleſiaſticis, ſi qua obtinet, ſit priuatus ipſo facto. Sin autem beneficiatus non fuerit, per vnum annum carceribus deputetur: quo lapſo, de Diœceſi, tanquam ſcandaloſus expellatur, inhabilisq; fiat in illa Diœceſi, in qua tantum ſcandalum commiſit, ad exequutionem Presbyteralis ordinis, & Eccleſiaſtica beneficia obtinẽda.

DE CLERICIS NON RESIDENTIBUS. Ex antiquis.

NVllus Clericus, curam habens animarum, noſtræ Prouinciæ, in quouis ordine conſtitutus, peregrinari extra ſuam Diœceſim præſumat, abſq; Diœceſani ſui licentia ſpeciali. Qua petita & obtenta, idoneum Presbyterum loco ſuo relinquat, quem Diœceſanus approbet, & interim ſibi committat curam animarum. Quod ſi quis vltra ſex menſes ſe à ſuo beneficio abſentare præſumpſerit, curam animarum habens, extunc à perceptione fructuum beneficii ſuſpendatur, fabricæ eiuſdem Eccleſiæ applicandorum. Quodſi ſtante illa ſuſpenſione per alios ſex menſes non redierit, ipſo facto ſit priuatus. Et tunc patroni liberam alium præſentandi habeant facultatem.

In Synodo Lancicien̄ Secunda.

QVia in hoc Regno Poloniæ pleræq; inſignes Collegiatæ Eccleſiæ, propter non reſidentiam Prælatorum & Canonicorum in eiſdem, in diuinis Officiis & debito earum regimine (vt euidenter apparet) miſerè negliguntur, non ſine dedecore & ſcandalo plebis, Deiq; irreuerentia, & fundatorum ſumma iniuria. Volentes igitur huic malo in poſterum

prouidere: statuimus, vt deinceps Dñi Archiepiscopi & Episcopi, beneficia Collegiatarum Ecclesiarum talibus personis conferant, quæ in eis personalem residentiam facere velint & valeant. Decernentes, vt in qualibet Ecclesiarum Collegiatarum Capitula generalia, saltem in anno semel celebrentur, pro tempore per Ordinarios & Capitula eorundem deputanda: Ad quæ omnes Prælati & Canonici teneantur venire, suis in propriis personis sub pœna, si Prælati, trium: si Canonici, duarum marcarum per Ordinarios Ecclesiis Collegiatis applicanda. In quibus quidem Capitulis diligenter consulant de diuinis Officiis ritè peragendis, & bono Ecclesiæ regimine. Et vt adminus duo ex Prælatis vel Canonicis circa easdem continuè vel per vices resideant, pro decore & vtilitate earundem Ecclesiarum, leuando scandala, iraq; mitiganda.

In Eadem.

ITem statuimus, vt Plebani, qui in beneficiis maioribus Cathedralium & Collegiatarum Ecclesiarum, ex dispensatione Apostolica residere, vel in seruitiis Regum, Principum, & Episcoporum versari consueuerunt, Ecclesias Parochiales sæpè visitent, in eisq; singulis annis adminus per duas septimanas per se resideant, sub pœna Synodali, per Ordinarios ab eis exigenda. Plebanis extra Prouinciam absentibus exceptis, qui per Commendarios æquè idoneos easdem regere & prouidere possunt.

Eiusdem. Petricouiæ Annno 1530.

IVre Canonico cautum sufficienter est, & Statuto Prouinciali pœnaliter sæpiùs constitutum, vt Plebani curam animarum & populi habentes, circa suas Parochiales Ecclesias resideant, aut alibi moram ex congruenti causa habentes, illas crebriùs intra decursum anni visitent: & illis, quantum opus est, ex debito sibi iniuncto prouideãt, negligentias perimendo.

Verùm

Verùm enimuero Canonum & Statutorum ordinatione post habita, lanam duntaxat ouium tondere solent, & oues deglubendas lupis relinquunt, in Ecclesiis non residendo, neq; illis prouidendo. Imò veriùs neq; illas visitando, cum maximo scandalo Christifidelium. Et nonnullos esse, qui se duabus vel tribus Parochialibus Ecclesiis, dubium an ex dispensatione Apostolica, onerant, nec vni earum satisfaciendo. Synodus itaq; nimos Dominos Locorumordinarios commonefaciens, rogauit & obsecrauit, vt pro suo debito maturè prouideant, ne fraudentur Ecclesiæ debito suo. Quodq; Plebanos ad residentiam, quantum de iure fieri potest, compellant: atq; eorum dispensationes videant, præsertim eorum, qui se pluribus Parochiis tenendis implicarunt: & comperto, quòd dispensationes legitimas non habeant, quod iuris est, de eis determinatè faciant, conscientiam suam purificantes.

Petri Gamrati. Petricouiæ Anno Domini 1542.

STatuit etiam sancta Synodus, vt à Prælatis & Canonicis Ecclesiarum Collegiatarum Prouinciæ Gnesneñ Capitula circa Ecclesias suas statis temporibus generalia, semel ad minus in anno celebrentur, in quibus de rebus & necessitatibus Ecclesiarum suarum consulatur, iuxta Statutum Prouinciale dudum desuper editum, & hoc sub pœna decem marcarumpecuniarum per negligentia Capitula luenda, & fabricæ earundem Ecclesiarum conuertenda.

Aloysii Lipomani, Legati Apostolici. Louicii Anno 1556.

PRæterea, cùm sacra Synodus Ecclesias Collegiatas in hac Prouincia planè videat esse desolatas, nec sint Prælati aut Canonici, qui circa eas degant, & officia diuina (propter quæ dota-

quæ dotata sunt in eis Sacerdotia) fideliter expleant: per quod fundatorum vltimæ voluntates fraudantur, nec habent Ordinarii, quibus circa illas iudiciorum suorum Officia committant, imò pleriq; eorum reperiantur, qui Sacerdotia ipsa per multos annos, in minoribus duntaxat ordinibus constituti, de facto occupant, nec habitum nec tonsuram legitimos deferant: & eorum aliqui personis etiam secularibus in præfecturis bonorum temporalium seruiunt: secularia tractantes negocia, fructibus, decimis & prouentibus suorum huiusmodi Sacerdotiorum abutuntur, non sine offensa diuina, & scandalo secularium. Quare sacra Synodus, præmissis obuiando decreuit, vt omnino Ordinarii in tales animaduertant, & eos per sequestrationem prouentuum vsui Ecclesiarum illarum, in quibus beneficia ipsa obtinent, puta, fabricæ &c. applicandorum, ad promotionem ad sacros Ordines, residentiamq; circa illas faciendam compellant. Et præter hoc, inhærendo Statutis Prouincialibus, de electione in nouis, & præsertim in nouissimis olim Petri Gamrati Archiepiscopi, Bulleq; felicis recordationis Leonis Papæ Decimi huic Prouinciæ concessæ, de Officio Archidiaconi, duos in iure, vel sacra Theologia Doctores, qui actu residerent, vel saltem adminus vnum, in singulis Collegiatis, prima & proxima vacatione occurrente, ponant & instituant, vel exnunc cum à Capitulis suis fuerint requisiti, Canonicatus & præbendas pro Doctoribus ipsis designent, ad quas deinceps Doctores ipsi perpetuò fuerint instituendi.

DE INSTITVTIONIBVS.

Ex Antiquis.

HOc sacro approbante Concilio decernimus, quòd Capitulum vltimum de Elect. Lib. vi. de cridis ante institutionem, & Cap. cum inhibitio de clandestina despon: de bannis ante copulam præmittendis, ad vnguem obseruetur.

Præsentis

Præsentis constitutionis autoritate sacro approbante Concilio, inhibemus: ne quis Archiepiscopatum, Episcopatum, dignitatem aliquam inferiorem, personatum, Parochialem Ecclesiam, cum cura vel sine cura, beneficium aliquod Ecclesiasticum, seu alicuius prædictorum administrationem vel detentionem, de manu laicali recipere, vel iam recepta tenere, sub quouis colore præsumat. Si quis autem contrafecerit, ad sic receptum beneficium eo ipso, & nisi locum, quem sub crimine tantæ inobedientiæ, tantæq; ambitionis taliter iam recepit, vel in futurum recipiet, resipiscendo deseruerit liberaliter, infra duorum mensium spacium, à publicatione Constitutionis præsentis, quoad iam recepta: à receptionis verò tempore, quoad ea deinceps cõtinget, sic recipi numerandum, & ad quodlibet aliud inhabilis ipso facto reddetur: ita vt ad dignitatem vel beneficium aliquod Ecclesiasticum, nullo vnquam tempore, absq; dispensatione Apostolicæ Sedis vel nostra, aut successorum nostrorum, eligi valeat & assumi. Insuper, vt quantum excesserit, pœna docente cognoscat, si quã dignitatem, personatum, vel beneficium aliquod Ecclesiasticum, cum cura vel sine cura, sic recipiens vel detinens, vt præmittitur non dimittens, Canonicè forsan obtineat ea, vel eo sit præsentis constitutionis vigore ipso facto priuatus. Indignum enim fore censemus, vt beneficio Ecclesiæ gaudeant, qui eam tam nefandis ausibus despectui habuerunt. Iniungimus quoq; in virtute sanctæ obedientiæ, necnon sub excõmunicationis pœna prȩcipientes, mandamus omnibus & singulis tam Clericis quàm laicis, rusticis, iobagionibus, vasallis, Castellanis, Comitibus, & officialibus aliis, quocunq; modo subiectionis astrictis, dignitati, personatui, vel beneficio taliter occupato, quòd occupatori vel detentori prædictis in nullo pareant vel intendant. Qui verò temerè contrafecerit, si Vniuersitas fuerit, interdicti: si autem singularis persona, excommunicationis sententiæ se nouerit subiacere.

Statuimus, quòd persona Ecclesiastica quæcunq; regularis aut secularis, in dignitate, personatu, officio, seu Ecclesiastico beneficio quocunq; constituta, non instituatur, vel ad illud confirmetur, nisi antea de obedientia & reuerentia suis superioribus impendenda, & mandata ipsorum exequenda, & quòd non alienabit bona beneficii, & illicitè alienata ab ipso pro posse ad ius & proprietatem reuocabit, corporale præstiterit iuramentum.

Aloysii Lipomani, Legati Apostolici. Louicii Anno Domini 1556.

QVia promiscuè, cessante legitimo examine Clericorum, plerique ad sacros promouentur Ordines, & ad beneficia Ecclesiastica instituuntur, & multa per sic promotos in Ecclesia Dei scandala committuntur: igitur decreuit sacra Synodus, vt Domini Locorum ordinarii, & eorum Suffraganei, ac in Spiritualibus Vicarii, neminem deinceps, ad quoscunq; Ordines promouere, aut ad beneficia Ecclesiastica quæcunq;, maximè curam animarum aut iurisdictionem habentia, instituere, & cuipiam manus citò imponere, vel ad instituendum facultatem alicui dare præsumant, sub pœna suspensionis ab officio per vnius anni decursum ipso facto, vltra alias pœnas iuris & Statutorum Prouincialium incurrendas, nisi præmisso examine legitimo, atq; sufficienti testimonio recepto, iuxta dispositionem iuris communis, de vita, moribus, conuersatione, & eruditione promouendorum, necnon diligenti inquisitione facta de eorum studiis, in quibus versati fuerint, & confessione fidei primitùs, medio ipsorum corporali iuramento, ab eis recepta. Et insuper decreuit, vt omnes & singuli, qui ad beneficia Ecclesiastica, curam animarum habentia, sunt iam antea instituti, necdum tamen ad sacros ordines promoti fuerint, omninò hinc ad festum Paschæ proximum, sub pœna priuatio-

priuationis beneficii sui huiusmodi, se promouere, & ad obeunda officii & vocationis suæ munia habilitare se procurent. Alioqui beneficia eorum huiusmodi vacare censeantur ipso facto. De talibus igitur & eorum titulis, quorum prætextu Sacerdotia ipsa occupant, ac de eorum dispensationibus Domini Locorumordinarii diligenter disquirant. Pleræq; enim Ecclesiæ ac Sacerdotia à laicis, autoritate propria, de facto, occupantur: propter quod & cura animarum in illis damnabiliter negligitur, & multa scandala inde committuntur.

Przerembii. Ex Varsouieñ Synodo. Anno Domini 1561.

INnitendo prioribus Synodalibus constitutionibus hæc sancta Synodus decreuit, vt Domini Lociordinarii ad Præbendas siue Canonicatus Ecclesiarum Cathedralium & Collegiatarum non pueros, sed homines graues, doctrina & virtutibus conspicuos, & nobilitate familiæ claros, habentes tamen qualitates à sacro Concilio Tridentino requisitas, qui his calamitosis temporibus Ecclesiam Dei consiliis, & aliis necessariis adiumentis iuuare possent, promoueant.

Item. Archidiaconatus & alia beneficia curata, hominibus idoneis, & iuxta Statuta Prouincialia qualificatis, conferantur: ac ab illis, quibus conferuntur, ante institutionem, super articulis fidei, iuxta dispositionem Statutorum Prouincialium, iuramentum exigatur.

AD BENEFICIA ECCLESIastica, qui & quales instituendi. In Synodo Lancicieñ prima & secunda. Ex Nouis.

ET quia indignum & indecorum est, vt hi deberent Ecclesias regere, qui non nouerunt gubernare seipsos, cùm ad

Ecclesiarum regimina tales personæ sint admittendæ, quæ doctrina præemineant, & morum fulgeant honestate. Nolentes itaq; sustinere, vt indoctis & indignis Ecclesiarum regimina committantur: Statuimus, vt Ordinarii non conferant beneficia quæcunq; & qualiacunq;, nisi illis, qui per biennium in Vniuersali studio approbato, literis operã dederint: literasq; testimoniales Rectoris Gymnasii, desuper, Ordinariis ostenderint: Rogaríq; debet sacra Mtãs R. per Archiepiscopum & Episcopos, & patronis secularibus persuaderi, vt tales personas Ordinariis ad beneficia eorum patronatus præsentent instituendos. Si autem in hac re persuaderi non poterint, tũc Ordinarii iniungant districtè taliter institutis, vt studeant similiter in studio Vniuersali approbato per biennium, post factam institutionem: & istis etiam non aliter prouideatur, nisi in ætate legitima constituti fuerint. Decernentes, vt Abbates, qui bello destructi non sunt, aut foueant in Studiis Vniuersalibus expensis propriis Scholares, iuxta veteres consuetudines: aut conferant ad Seminaria iuxta Cõcilium Tridentinum, sub pœnis in eiusdem decretis & aliis item in Statutis Prouincialibus, necnon in ipsorum Priuilegiis contentis. Quod Statutum etiam ad Ordinarios indistinctè, siue bello destructi sint siue non, extendimus & ampliamus.

Bulla Apostolica, de non recipiendis plebeis ad Ecclesias Cathedrales vltra numerum quatuor. Ex nouis.

LEO Episcopus, seruus seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam. Creditam nobis desuper regendæ militantis Ecclesiæ Prouinciam salubriter exequi, coadiuuante Domino, cupientes, ad ea libenter intendimus, per quæ singulæ orbis Ecclesiæ, præsertim Metropolitanæ & aliæ Cathedrales insignes & famosæ, personarum vtilium fulcitæ præsidiis, &

diis, & ſuis honoribus, iuribus, & bonis præſeruentur, & ad laudem & gloriam omnipotentis in ſpiritualibus & temporalibus votiuis proficiant incrementis: Sanè pro parte chariſſimi in Chriſto filii noſtri, Sigiſmundi Poloniæ Regis illuſtris, nobis nuper exhibita petitio continebat. Quòd licèt Metropolitana Gneſnenſis, & illius ſuffraganeæ Cracouieñ, Wladiſlauieñ, Poſnanieñ, & Ploceñ Eccleſiæ, inter cæteras Eccleſias Regni Poloniæ ſint admodùm inſignes, ac per Reges Poloniæ, & alios Principes, Barones, & Nobiles dicti Regni notabilibus reditibus prouentibusq; opulenter dotatæ fuerint: nihilominùs cùm ad Canonicatus & Præbendas ac dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, vel officia ipſarũ Gneſneñ, & Suffraganearum Eccleſiarum, minùs Nobiles, & aliæ perſonæ parentum auxiliis carentes, ac iura & bona earundem Eccleſiarum, infidelium & ſchiſmaticorum bonis coherentia, & præſertim dum milites & alii armigeri pro defenſione dicti Regni, contra præfatos infideles & ſchiſmaticos, vel alios eiuſdem Regni, & dominiorum ipſius Sigiſmundi Regis hoſtes pugnaturi, per oppida, villas, & alia loca & bona earundem Eccleſiarum tranſeunt, aduerſus eoſdem milites & armigeros ac etiam infideles & ſchiſmaticos tueri & defendere non valentes, nonnunquam admittantur: iura & bona prædicta in dies per ipſos armigeros diripiuntur, deuaſtantur, & annihilantur, ac quandoq; non ſolùm per infideles & ſchiſmaticos ſanctæ Romanæ Eccleſiæ inobedientes, ac alios hoſtes prædictos indebitè occupatæ detinentur, non abſq; dictarum Gneſneñ & Suffraganearum Eccleſiarum grauiſsimo præiudicio, & diuini cultus diminutione. Verùm ſi ſtatueretur & ordinaretur, quòd deinceps perpetuis futuris temporibus nullus, etiam cuiuſcunq; gradus vel conditionis foret, ad Canonicatus & Præbendas, dignitates, perſonatus, adminiſtrationes vel officia huiuſmodi admitti deberet, niſi de Nobili genere ex vtroque parente procreatus foret: profectò ipſi Canonici No-

 biles,

biles, parentum, consanguineorum, & amicorum suorum fauoribus & auxiliis suffulti, iura & bona huiusmodi, aduersus illorum occupatores & detentores tueri, & occupata recuperare possent, idq; in diuini cultus augmentum cederet, & non solùm præfato Sigismundo Regi, sed etiam Principibus & Baronibus dicti Regni, quorũ progenitores huiusmodi, Gnesneñ & Suffraganeas Ecclesias, vt præfertur, dotârunt, gratissimum foret, & eos contra Turcos, Tartaros, aliosq; infideles & schismaticos, dictæ Ecclesiæ Romanæ inobedientes, assiduè bellantes, magis ac magis pro defensione Christianitatis & tuitione Regni, ac protectione bonorum huiusmodi accenderet. Quare pro parte dicti Sigismundi Regis nobis fuit humiliter supplicatum, vt quod deinceps nullus ad Canonicatus & Præbendas, dignitates, personatus, & administrationes vel officia, Gnesneñ vel Suffraganearum Ecclesiarum huiusmodi, admitti debeat, nisi de Nobili genere ex vtroq; parente procreatus fuerit, statuere & ordinare, ac aliâs in præmissis oportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui Ecclesiarum omnium decus & venustatem, ac in illis diuini cultus augmentum, earumq; bonorum conseruationem synceris desideramus affectibus: huiusmodi supplicationibus inclinati, autoritate Apostolica, tenore præsentium, statuimus & ordinamus, quòd de cætero perpetuis futuris temporibus nullus, etiam cuiuscunq; status, dignitatis, gradus, & præeminentiæ existat, nisi de Nobili genere ex vtroq; parente procreatum, & legitimo matrimonio natum, se fore doceat: duobus in Theologia Magistris, & aliis duobus in vtroq; vel altero Iurium Doctoribus & peritis, ac ad Magistratus & Doctoratus gradum in aliqua Vniuersitate studii generalis promotis duntaxat exceptis. Quos quatuor, vt præmittitur, qualificatos, iustis tamen titulis, in Canonicatibus quatuor & totidem Præbendis, in singulis Gnesneñ & Suffraganearum Ecclesiarum, quatuor duntaxat Canonica-

nonicatus & Prębendas pro duobus Magiſtris in Theologia, & duobus Doctoribus huiuſmodi iam aſsignatis, vel in poſterum per dilectos filios, Capitula, dictarum Gneſneñ & Suffraganearum Eccleſiarum reſpectiuè aſsignañ: ita vt ſingulis earundem Gneſneñ & Suffraganearum Eccleſiarum quatuor duntaxat, & totidem Præbendæ: quæ quibuſuis etiam non Nobilibus, aliâs tamen qualificatis, vt præfertur, perſonis, quæ in ipſis Gneſneñ & Suffraganeis Eccleſiis reſpectiuè, ſub pœna priuationis ſuorum Canonicatuum & Præbendarum, ſi per tres menſes ab illis abſentes fuerint, perſonaliter reſidere teneantur, conferri poſsint. Capitula huiuſmodi recipere & admittere teneantur, etiam prætextu quarumcunq; prouiſionum, gratiarum, expectatiuarum, ſpecialium vel generalium, reſeruationum, mandatorum, vel literarum Apoſtolicarum, etiam Monitoriorum pœnalium, aut Apoſtolica autoritate confirmatarum, primariarum precum ſeu nominationum, Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum, Marchionum, Principum, Prælatorum, & aliorum Dñorum Eccleſiaſticorum & ſecularium, etiam motu proprio & ex certa ſcientia, ac ex quauis cauſa, conſideratione, vel intuitu, etiam iurium ceſſorum vel oblatorum, aut pro ſedandis litibus pro tempore concedendorum, ad Canonicatus, Præbendas, dignitates, perſonatus, adminiſtrationes vel officia huiuſmodi recipi & admitti, ſeu antequàm de illis aliisq; Nobilibus ex vtroq; parente & legitimo matrimonio procreatis, duobus Magiſtris in Theologia, & duobus in vtroq; vel altero Iuriũ Doctoribus, vt prefertur, duntaxat exceptis, prouideri poſſit nec debeat. Nec Archiepiſcopus, nec Epiſcopi pro tempore exiſteñ, ac Capitula Gneſneñ vel Suffraganearum Eccleſiarum huiuſmodi, etiam prætextu quarumcunq; literarum Apoſtolicæ Sedis, vel Legatorum eiuſdem, etiam clauſulam. Aut ſi Archiepiſcopo, Epiſcopo, & Capitulis dictarum Gneſneñ & Suffraganearum Eccleſiarum, vel quibuſuis aliis, communiter

muniter vel diuisim ab eadem Sede sit indultum, quod ad receptionem vel prouisionem alicuius minimè teneantur, & ad illa compelli, aut quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint. Quodq; de Canonicatibus, Præbendis, dignitatibus, personatibus, administrationibus, vel officiis ipsarum Ecclesiarum, vel aliis beneficiis Ecclesiasticis, ad eorum collationem, prouisionem, præsentationem, electionem, seu quamuis aliam dispositionem, coniunctim vel separatim spectantibus, nulli valeat prouideri per literas Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia, generali vel speciali, cuiuscunq; tenoris existat, per quam præsentibus non expressum, vel totaliter non insertum, effectum huiusmodi gratiæ impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quo cuiusq; tenore toto habenda sit in nostris literis mentio specialis, in literis prouisionum, mandatorum, expectatiuarum, & reseruationum, & aliarum facultatum huiusmodi apponi solitam, aut quascunq; alias etiam derogatorias, prohibitorias, seu fortiores, efficaciores, & insolitas clausulas & adiectiones, etiam tales, per quas statutò & ordinationi huiusmodi, ac præsentibus & in eis contentis clausulis, singulis expresse derogare videretur, etiam præsentes illis de verbo ad verbum inserendo, & intentioni cõcedentis pro tempore eis velle derogare exprimendo in se continentium, minimè cogi seu compelli: censurasq; in literis prouisionum, reseruationum, nominationum, facultatum, expectatiuarum, & mandatorum huiusmodi, per quoscunq; pro tempore obtentorum, & processibus desuper habendis pro tempore contentas, contra præsentium tenorem minimè coarctare, ac præsentibus nullatenus derogari posse aut debere. Decernentes statutum & ordinationem huiusmodi omnino perpetuò obseruari debere, ac quascunq; collationes & prouisiones, aliis quàm Nobilibus & duobus Magistris in Theologia, &

gia, & duobus in vtroq; vel altero Iure Doctoribus, etiã alias quàm præfertur qualificatis personis pro tempore faciendas, nullas & inualidas, nulliusq; roboris vel momenti, sicq; per quoscunq; Iudices & Commissarios, etiam sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, ac causarum Palacii Apostolici auditores, sublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & autoritate iudicari & definiri debere. Irritum quoq; & inane, si secus super his à quoquam, quauis autoritate, scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Quocirca Venerabilibus fratribus nostris, Archiepiscopo Leopolien, & Asculanen & Olomucen Episcopis, per Apostolica scripta mandamus, quatinus ipsi, vel duo, aut vnus eorum, per se vel alium seu alios, præsentes literas, ac omnia & singula in eis contenta, vbi & quando expedierit, à quouis pro tempore Sigismundi, & pro tempore existentis Poloniæ Regis, ac Archiepiscopi & Episcoporum, etiam pro tempore existentium, necnon Capitulorum prædictorum, seu alicuius eorum, desuper fuerint requisiti solenniter publicañ, ac eis in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant, autoritate nostra Statutum & ordinationem huiusmodi firmiter obseruari, ac Sigismundum, ac pro tempore existentem Regem, necnon Archiepiscopum & Episcopos, ac Capitula huiusmodi illis pacificè gaudere non permittentes, eos desuper per quoscunq; contra præsentium tenorem, quomodolibet indebitè molestari, contradictores per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac dictarum Gnesnen & Suffraganearum Ecclesiarum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, Statutis, & consuetudinibus contrariis quibuscunq;, aut si aliquibus communiter vel diuisim, ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per literas Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac

de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri Statuti, ordinationis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo quindecimo, pridie Kal. Augusti. Pontificatus nostri anno tertio.

DE SEDE VACANTE.

QVoniam nonnunquam contingit, quòd ad vacantem Episcopatum, vel aliam Prælaturam, seu quodcunq; aliud beneficium, duo in discordia eliguntur, & alter qui minore iure potitur, nititur, vt eum, cui maius est ius acquisitum per potentiam vel tædium fatigare vel exhaurire possit, attrahit fauorem potentum laicorum, quibus vt eum iuuent, & assistant, promissiones facit de beneficiis eorum filiis conferendis, & de iuribus & libertatibus Ecclesiæ remittendis. Nos huic morbo occurrere volentes remedio salutari, præsenti statuto, promissores huiusmodi & potentum attractores, ipsosq; laicos ipso iure volumus excommunicationis sententia esse innodatos, & nihilominus eum fore ineligibilem ad huiusmodi dignitatem.

ORDINATIO, QVOMODO Sede vacante procedendum sit ad electionem Administratoris, & distributionem bonorum in custodiam regentium.

SBIGneus de Olesznica, Dei & Apostolicæ Sedis gratia, sanctæ Ecclesiæ Gnesnensis Archiepiscopus & Primas.

Ad per-

Ad perpetuam rei memoriam. Quamuis debeat sufficere humanæ naturæ ad benè viuendum, si suis terminis sit contenta: crescente tamen malicia hominum, effrenata cupiditas, radix malorum omnium semper nititur ad vetita, tendit ad noxia, & declinat ad prohibita, palmites suæ propaginis vitiosæ ad deteriora quælibet extendendo. Hæc est illa, quæ compellit Canones condere, leges instituere, statuta edere, vt humani generis cò'erceretur audacia, & appetitus noxii sub iuris regula limitarentur. Hinc est, quòd nos attendentes plurima incommoda, parientia periculum animarum, contra Ecclesias & Ecclesiasticas personas nostris temporibus insurgere: iugiq; meditatione in armario cordis nostri reuoluentes, qualiter ex officii nostri debito, huiusmodi incommodis & animarum periculis, Deo propicio, occurrere valeamus, autoritate nostra Metropolitica & Primatica qua fungimur, captato tempore, Synodum Prouincialem in Piotrkow, oppido nostræ Diœcesis statuimus celebrandam. Ad quam Reuerendiss. & Rñdos patres, fratres nostros in Christo charissimos, videlicet, Archiepiscopum Leopolieñ cum suis Cò'épiscopis, Suffraganeos & Episcopos, Abbates, ac alios Prælatos Prouinciæ nostræ Gnesneñ inuitauimus & euocauimus. In qua Synodo sic statuta, Rñdis patribus, dominis, Petro Wladislauieñ, & Petro Ploceñ Episcopis, & Capitulis Ecclesiæ nostræ Gnesneñ, & ipsorum Nunciis & Procuratoribus, ℞mi & ℞ñdorum Patrum, Archiepiscopi Leopolieñ, Cracouieñ, Wratislauieñ, Posnanieñ, Lubuceñ, Vilneñ, Mednieeñ, Culmeñ, Premislieñ, Chelmeñ, Luceorieñ, & Camenieeñ Episcoporum, multisq; aliis Prælatis, Abbatibus, & Clero nostræ Prouinciæ, in Spiritu sancto congregatis. Inuocata priùs Spiritus sancti gratia, ac Missa solenniter de Spiritu sancto per nos celebrata: Insuper cantatis & lectis Litaniis, antiphonis, aliisq; deuotis orationibus cum hymno, Veni creator Spiritus, in talibus ordinatis, Deoq; suppliciter & deuo-

tè exhibitis, ac sermone ad Clerum per vnum in Theologia Professorem, & alium in Decretis Doctorem, in præsentia ipsius Synodi facto, omnibusq; diuinis peractis, ad tractatus Synodales cum ipsis Dominis Episcopis, Nunciis, Procuratoribus, Abbatibus, Prælatis & Clero, processimus, quos triduo in Ecclesia Parochiali dicti oppidi continuauimus: libratisq; & examinatis, matura deliberatione, singulis auisamentis in ipsa Synodo, per promotores eiusdem, super extirpatione hæresûm, excessuum correctione, morum reformatione, propositis & conclusis. Tandem sanctionibus sanctorũ Patrum, & sacrorum Canonum decretis, ac Prouincialibus nostræ Gnesneñ Prouinciæ Statutis, tam per Dominum Nicolaum autoritate Apostolica, quàm Ioannem Sprowski, olim bonæ memoriæ Archiepiscopos & Primates prædecessores nostros, Primatica & Metropolitica autoritatibus editis inhærendo, curę pastorali nobis creditæ mentem nostram excitañ, & memoria hominum nimium labili singulariter id exposceñ, dignum censuimus & congruum, vt ea, quæ per sacrorum Synodorum Prouincialium sanctiones, ad Dei laudem, fidei orthodoxæ incrementum & exaltationem, Ecclesiarumq; & Cleri ac populi vtilitatem noscuntur instituta, debitæ scripturæ commendentur, vt per hanc eorum iugis etiam ad posteros transeat recordatio. Constitutionem dicti olim Rñdi Patris, Domini Ioannis Sprowski Archiepiscopi & Primatis, prædecessoris nostri, pro bonorum mensæ tam nostræ Metropolitanæ quàm Cathedralium Ecclesiarũ Prouinciæ nostræ, in casu vacationis earũ conseruatione pro futuro Põtifice, per ipsum in Synodo Prouinciali Lancicieñ in Ecclesia Conuentuali Fratrum Prædicatorũ, sub Anno Dñi, millesimo quadringentesimo quinquagesimo nono celebrata, editam & promulgatam, ab omnibus Cõepiscopis tunc emologatam, duximus innouandam & ratificandam, & sacra Synodo approbandam, prẽsentis Statuti vigore innouamus, robora-

roboramus & ratificamus. Decernentes, quòd in omnibus Ecclesiis Cathedralibus Statutum huiusmodi, sub sigillo nostro, à tempore publicationis eiusdem per nos factæ, infra vnius anni spacium, sine excusatione qualibet habeatur: vt quod generali constitutione ad commodum & vtilitatem Ecclesiarum Cathedralium ordinatum est, semotis impedimentis, ad proprium finem, autore Domino dirigatur. Cuiusquidem constitutionis & Statuti, de quo supra fit mentio, tenor sequitur, & est talis.

IOANNES de Sprowa, Dei gratia sanctæ Ecclesiæ Gnesneñ Archiepiscopus & Primas. Ad perpetuam rei memoriam. Licèt sacris Canonum constitutionibus sit salubriter prouisum, ne bona Cathedralium Ecclesiarum tempore vacationis obuenientia, quæ in vtilitatem dictarum Ecclesiarum expendi, vel futuris deberent successoribus fideliter reseruari, Capitula, vel singulares earundem Ecclesiarum personæ occupent, inter se diuidant, surripiant, dilapident, dissipent, & consumant, certis pœnis in contrafacientes adiectis: nonnulli tamen Prælati & Canonici tam nostræ Metropolitanæ Gnesneñ, quàm aliarum Ecclesiarum Cathedraliũ Prouincię nostrę, huiusmodi Statutis & sanctionibus contrauenientes, bona mensæ Pontificũ, eis tempore vacationis in gubernationem cõmissa, pro vsibus suis applicare, & ea ad placitum ipsorum vsurpare ausu temerario, in detrimentũ salutis ipsorum, consueuerunt. Ex quo huiusmodi bona graue in suis prouentibus suscipiunt dispendium & iacturam: electiq; ad ipsas Ecclesias in prosequutione electionis ipsorum, grauibus coguntur debitis onerari & inuolui: prout in pluribus vacationibus, quæ temporibus nostris contingebant, experientia rerum magistra vidimus euenire. Vnde volentes indemnitati & bonorum ad mensam nostram & Cò̀episcoporum nostræ Prouinciæ spectantium de remedio prouidere oportuno, statuimus & ordinamus, sacra Synodo approbante, temporibus

perpetuis irrefragabiliter obseruandum. Quòd vacante Ecclesia Metropolitana siue Cathedrali Prouinciæ nostræ Gnesneñ, corporeq; Prælati defuncti tradito Ecclesiasticæ sepulturæ, Prælati & Canonici tunc præsentes apud Ecclesiam, ingrediantur locum Capitularem, pro tractatu ferendo super negocio electionis futuri Pastoris, & bonorum mensę Archiepiscopalis siue Episcopalis gubernatione, & antequam ad alia procedatur, primò omnes Domini de Capitulo tunc præsentes singulariter singuli præstent iuramentum, in manibus Prælati superioris ibidem existentis, & Prelatus senior in manibus sequeñ, sub hac forma.

Ego N. iuro, quòd in electione Administratoris, & distributione castrorum, tenutarum, & bonorum mensæ Archiepiscopalis & Episcopalis huiusmodi nunc vacañ, dabo votũ meum secundum Deum & puram conscientiam, nominaboq; illum in Administratorem, quem sciuero & credidero meliorem & vtiliorem pro huiusmodi officio administrationis & gubernationis, non habito respectu ad commodum proprium, consanguineitatem, amicitiam vel fauorem, bonaq;, quæ mihi fuerint commissa ad gubernandum, fideliter & vtiliter dispensabo & tuebor, rationemq; debitam de eis & sufficientem faciam futuro Archiepiscopo, vel Episcopo. Sic me Deus adiuuet, & sancta Dei Euangelia.

Electo itaq; Administratore, receptoq; ab eo iuramento, quòd debitè, fideliter & iustè exequatur officium sibi commissum, procedatur ad distributionem bonorum mensæ Archiepiscopalis, siue Episcopalis, isto modo.

Primò quidem, non detur gubernatio dictorum bonorum petenti ipsam, aut per aliquam ordinationem sibi dari procuranti. Et quòd gubernatio castri cuiuslibet, & vniuscuiusq; tenutæ, non detur, nisi vni personæ tantùm & de gremio Capituli, & non duabus personis, sicut consuetum est fieri. Quę persona debebit præstare iuramentum super restitutione castri aut

ſtri aut tenutæ Capitulo, durante vacatione. Quo facto, inquirat Adminiſtrator vota ſingulorum primò ſuper aliquo caſtro ſiue tenuta, quis ex gremio Capituli, ſiue tunc præſens ſiue abſens fuerit, magis idoneus & vtilior pro regimine caſtri videatur, & in quem maior pars Capituli conuenerit aut conſenſetit, illi detur gubernatio caſtri & tenutæ cum ſibi adiacentibus bonis. Et ſic fiet de ſingulis aliis caſtris aliorum bonorum menſæ præfatæ. Et quidem talis electus Prælatus aut Canonicus teneatur & ſit adſtrictus aſſumere huiuſmodi gubernationem, ſub pœna quatuor marcarum argenti, fabricæ Eccleſiæ applicanda, iurareq; tenebitur, quòd fideliter adminiſtrabit bona ſibi credita & eius gubernationi commiſſa.

Diſtributis itaq; bonis menſæ Archiepiſcopalis & Epiſcopalis, ſic vt præmittitur, ad gubernandum, ſtatutoq; termino pro electione futuri Pontificis, citationeq; decreta contra abſentes & ſua intereſſe putañ, Adminiſtrator mittat proprium Notarium aut Capellanum cum quolibet Tenutario, ad tenutam ſibi datam ad gubernandum, qui coram teſtibus faciat inuentarium in ſingulis locis tenutæ, cenſuum, decimarum, maldratarum, debitorum, & aliorum bonorum derelictorum, cuius inuentarii ſcripturam tradat Adminiſtratori cum tribus aliis de Capitulo, per ipſum Capitulum, ſeu maiorem partem eligendis & adiungendis ipſi Adminiſtratori, ſe in ea cum teſtibus ſubſcribeñ: Sicq; fiat de ſingulis aliis tenutis.

ITEM. Quòd quilibet Tenutarius, recepta ſic per eum poſſeſsione tenutæ ſuæ, de autoritate Adminiſtratoris, non tangat cenſus de oppido, villis, aut bonis aliis tenutæ ſuæ prouenientes, ſed tradat eos in manus Adminiſtratoris ac prædictorum trium de Capitulo, ſi tale tempus aduenerit, in quo cenſus ſunt de iure exigendi. Tempore verò, in quo cenſus exigendi non ſunt ſoluti, puta ante feſtum ſancti Martini, nullatenus exigantur, ſub pœnis infraſcriptis, quibus cenſibus ex-

bus expediendum erit factum electionis, vel postulationis in curia Romana, quatenus necesse fuerit, vel de aliis fructibus mensæ Archiepiscopalis vel Episcopalis, saluis tamen his, quæ in testamento Archiepiscopi vel Episcopi defuncti fuerint descripta, qui de rebus suis, pecuniis, argento, clenodiis, libris, vestibus, equis, & aliis omnibus per eum vndecunque acquisitis, poterit testari, tanquam deseruitis per eum, iuxta Statutum Concilii Prouincialis, & consuetudinem legitimè præscriptam. Quodsi Archiepiscopum vel Episcopum mori contingat in festo S. Martini, vel quocunq; die post festum sancti Martini, & inter diem Natiuitatis Domini, ipse Archiepiscopus vel Episcopus mortuus, habeat & testetur de omnibus censibus, decimis, & aliis fructibus præteritis, stantibus, collectis, vel apud censitas vel debitores existentibus, & pro voluntate sua hæc omnia conuertat. Si verò post festum Natiuitatis Domini, & inter festum S. Margaretæ aliquo die, & inter festum S. Martini mori contingat, habeat tertiam partem omnium fructuum, censuum, & decimarum: de quibus testari poterit, duabus partibus residuis pro successore relictis.

ITEM. Quòd decimæ, si essent aliquæ iam collectæ & derelictæ, vel adhuc colligendæ, stent etiam intactæ. Tenutarius autem viuat ex allodiis, & molendinis, piscinis, & aliis minutis fructibus & obuentionibus, moderatamq; familiam teneat in castris & aliis bonis & concordem, quæ sufficiat pro seruitiis faciendis in bonis sibi commissis. Quiq; Tenutarii incolas & subditos ipsis ad gubernandum commissos non exactionent, neq; pœnas ab eis indebitas exigant, aut quoquo modo grauent, præsertim per inuentionem nouorum grauaminum, & exactionum, & tributorum. Quodq; in syluis, gaiis, & nemoribus, ligna ad vendendum non excindant, neq; ea distribuant aut donent: debitaq; post mortem Pontificum derelicta non relaxent: piscinas non effundant ad vendendum

dendum piſces, ſed ſine offenſione earum piſcibus vtatur pro ſua neceſsitate. Si verò de allodiis & aliis ſupradictis aliquis Tenutariorum contentari fortaſsis non poſſet, recipere poterit decimam vnam vel plures, pro ſuſtentatione ſui & familiæ, cum ſcientia Adminiſtratoris & conſenſu. Aedificia etiam integra in curiis Archiepiſcopalibus vel Epiſcopalibus & ſupellectilia domorum Archiepiſcopalium vel Epiſcopalium conſeruent, & non alienent, etiamſi talia fuerint, quæ nondum ſunt redacta ad aliquam ſpeciem ædificii. Item, ſi Adminiſtratori viſum fuerit, aliquem perperam & inutiliter aut damnoſè adminiſtrare bona menſæ Archiepiſcopalis vel Epiſcopalis, habeat plenã poteſtatem auferendi dicta bona menſæ, & ea tradendi in gubernationem alteri, de gremio Capituli, idoneo pro adminiſtratione bonorum prædictorum. Cumq; de futuro Paſtore prouiſum fuerit, Archiepiſcopo ſiue Epiſcopo prouiſo, poſtquàm præſtiterit iuramentum de ſeruandis Statutis & conſuetudinibus Eccleſiæ approbatis, faciet ipſe Adminiſtrator primò rationem de cenſibus per eum receptis, & omnibus aliis bonis, ac etiam per eum expoſitis, cum prædictis tribus de Capitulo, quando Archiepiſcopo vel Epiſcopo placuerit. Et poſtquàm ſuper hoc per eum requiſitus fuerit, & in præſentia aliquorum aliorum de Capitulo, per Archiepiſcopum vel Epiſcopum eligendorum: poſthoc & alii ſimiliter faciant rationem Archiepiſcopo vel Epiſcopo in præſentia Adminiſtratoris & aliquorum de Capitulo iuxta inuentaria facta. Si quis autem in ratione defecerit, ad eorum quæ perceperit, vltra expenſas neceſſarias, tenebitur reſtitutionem realem cum effectu, ſub pœna excommunicationis, quam Archiepiſcopus vel Epiſcopus in eum ferre poterit, ceſſante qualibet appellatione. Qui ſi eam interpoſuerit, Capitulum eius appellationi deferre non debebit. Quod ſi detulerit, ad ſatisfactionem tenebitur, ad quam appellans tenebatur, niſi tunc conſtaret de manifeſto & notorio grauamine per

mine per Archiepiscopum vel Episcopum rationem facienti illato. De quo grauamine Capitulum cognoscere debebit: aliis pœnis iuris & Statutorum Prouincialium contra vsurpantes bona Ecclesiarum vacantium in suo robore duraturis. In quorum omnium & singulorum fidem & testimonium prȩmissorum, præsentes, & hoc præsens publicum instrumentum, huiusmodi memorati olim Rñdi Patris Dñi Ioannis Sprowski Archiepiscopi & Primatis Gnesneñ prædecessoris nostri statutum, ipsiusq; per nos, sacra Synodo approbante, innouationem, approbationem, & ratificationem ac decretum in se contineñ siue continens, exinde fieri, & per Notarios publicos dictæ Synodi per nos institutæ actuum, & huiusmodi facti Scribas iuratos infrascriptos subscribi, publicari, & in publicam formam redigi mandauimus: nostriq; maioris sigilli iussimus & fecimus appensione communiri. Actum & datum in Ecclesia Parochiali Piotrkow, sub Anno à Natiuitate Domini, Millesimo quadringentesimo octogesimo quinto, Inditione tertia, Pontificatus S S. in Christo Patris & Dñi nostri, Dñi Innocentii diuina prouidentia Papæ octaui, anno primo, Die vigesima secunda mensis Ianuarii. Præsentibus Rñdis Patribus Dñis, Petro Wladislauieñ, Petro Ploceñ Episcopis: necnon Ioanne in Trzemeszna, Stanislao in Mogilno, Iacobo de Vithow, Martino in Suleiow, Ioanne in Vągrouec Gnesneñ, & Ioanne S. Crucis in Caluo monte, Martino in Mogila, Nicolao in Andrzeiow, Abbatibus: Et Ioanne Præposito in Miechow Cracouieñ Diœcesis, & N. Abbate in Czerwiensko. Venerabilibusq;, Ioanne de Goslub Præposito Vicarioq; & Officiali in Spiritualibus nostro generali, Ioanne de Lasotki Scholastico: Martino de Niechanow, Decretorum Doctoribus, Andrea Dambrowski, Canonicis Gnesneñ, & Paulo de Glownia Decano, Ioanne de Schibina Custode, Ioanne de Latoszyn, Ioanne de Baruchow, Decretorum Doctoribus, Canonicis Cracouieñ.

Nicolao

Nicolao de Nyssa Decretorum Doctore Canonico & Officiali generali Wratislauien, Paulo Sulislai Decretorum Doctore Archidiacono: Iacobo de Dominikovice, Luca de Torun Decretorum Doctore Archidiacono Srzemen, Ioanne Lukowski, Canonicis Posnanien. Nicolao de Wroblevice Canonico Leopolien Ecclesiarum, multisq; aliis Prælatis, tam religiosis quàm secularibus, in ipsa Synodo Petricouien in Spiritu sancto legitimè congregatis.

Subscriptio prima per Notarium publicum facta est talis.

ET ego Petrus, Petri de Lang, Clericus Wladislauien Diœcesis, publicus autoritate Imperiali Notarius, & coram memorato ꝑmo in Christo Domino Sbigneo, sanctæ Gnesnen Ecclesiæ Archiepiscopo & Primate, in dicta Synodo causarum & huiusmodi facti Scriba: quia prædicti Statuti publicationi, innouationi, ratificationi, & decreto, aliisq; omnibus & singulis præmissis, dum sic, vt præmittitur, fierent & agerentur, vnà cum prænominatis testibus, & Connotario meo infrascripto præsens interfui, eaq; omnia & singula præmissa sic fieri vidi & audiui: ideoq; hoc præsens publicum instrumentum, per alium fidelem, me pluribus aliis arduis legitimè tunc occupato negociis, fideliter scriptum, exinde confeci, subscripsi, publicaui, & in hanc formam publicam redegi, signoq; & nomine meis solitis & consuetis, vnà cum præfati ꝑmi Patris Domini Sbignei Archiepiscopi & Primatis, Sigilli maioris appensione, de ipsius mandato speciali consignaui, in fidem & testimonium omnium præmissorum rogatus & requisitus.

Tenor verò subscriptionis alterius Notarii est talis.

ET ego Laurentius Petri de Wawrzynczyce, Clericus

Cracouieñ Diœceſis, publicus Apoſtolica & Imperiali autoritatibus Notarius, & corã memorato ꝓmo Patre & dño Sbigneo, ſanctæ Eccleſiæ Gneſneñ Archiepiſcopo & Primate, in dicta Synodo cauſarum & huiuſmodi facti Scriba. Quia prędicti Statuti publicationi, innouationi, ratificationi, & decreto, aliisq; omnibus & ſingulis præmiſsis, dum ſic vt præmittitur fierent & agerentur, vnà cum prænominatis teſtibus & Connotario meo ſupraſcripto præſens interfui: eaq; omnia & ſingula præmiſſa ſic fieri vidi & audiui. Ideo hoc præſens publicum inſtrumentum per alium fidelem, me pluribus aliis arduis legitimè impedito negociis, fideliter ſcriptum confeci, ſubſcripſi, publicaui, & in hanc publicam formam redegi, ſignoq; & nomine meis ſolitis & conſuetis, vnà cum prælibati ꝓmi Patris Domini Sbignei Archiepiſcopi & Primatis ſigilli maioris appenſione, de ipſius mandato ſpeciali conſignaũi, in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum rogatus & requiſitus.

A tergo verò earundem literarum ſic fuit annotatum.

IN Nomine Domini. Amen. Per hoc præſens publicum inſtrumentum cunctis & ſingulis pateat euidenter & ſit notum. Qualiter de Anno videlicet Dñi, Milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo nono, in oppido Lancicieñ, in Eccleſia Conuentuali Fratrum Prædicatorum, celebrata ſacroſancta Synodo Prouinciali per olim Reuereñ Patrem Dominum Ioannem de Sprowa tunc ſanctæ Gneſneñ Eccleſiæ Archiepiſcopum & Primatem, inter cæteros actus & tractatus, legitimasq; concluſiones, de conſenſu omnium aliorum Epiſcoporum, Prælatorum & Canonicorum, à ſingulis ſuis propriis Capitulis ſufficientibus mãdatis habitis & reproductis. Volentes indemnitati Eccleſiarum, videlicet, & ſingularum Cathedralium Eccleſiarum, in Prouincia prædicta Gneſneñ conſiſten-

consistentium, Prælatorum morte in eisdem viduatis consuIere, Statuta retroscripta omnia & singula, in dictorum Prælatorum & mei Notarii infrascripti, & aliorum multorum tunc similiter ad hoc vocatorum præsentia, præfatus Dominus Ioannes de Sprowa Archiepiscopus edidit, fecit, & condidit: non discordañ, quin potiùs innitendo iuri communi, & præsertim nouis iuribus, Sexti videlicet & Clementinarũ libris, consignatis & conscriptis, prędfataq; Statuta ad perpetuã rei memoriam apud Ecclesiam suam propriã Metropolitanam, & demum aliarum Cathedraliũ Ecclesiarũ Episcopis suis Suffraganeis, publicari & obseruari fecit, perpetuis temporibus permansura. In cuius rei euidentius testimonium, hoc præsens publicum instrumentum per me Notarium publicũ infrascriptum, ex Protocolo meo confeci, & in hanc publicam formam redegi, signo & nomine meis solitis & consuetis consignaui & communiui, rogatus per Venerabilem Dominum Albertum de Kſiąż, Cracouieñ & Wladislauieñ Ecclesiarum Scholasticum, vice & nomine Rmi in Christo Patris & Domini, Domini Petri Dei gratia Episcopi Wladislauieñ. Acta sunt hæc in Louicz in domo Venerabilis Domini Iacobi de Kovalovice, Decani & Officialis Louicieñ. & Canonici Vneouieñ Ecclesiarum: Anno Domini, Milesimo quadringentesimo octogesimo sexto. Indictione quarta, Pontificatus SS. in Christo Patris & Domini Dñi nostri, D. Innocentii, diuina prouidentia Papæ octaui, anno secũdo: die verò Martis, nona mensis Maii, hora tertiarum, vel quasi. Præsentibus ibidem Honorabibilibus & Nobilibus Dominis, Vrbano de Gora, Vicedecano Louicieñ, Ioanne de Kſiąż, Plebano in Sądzino, Ioanne de Mokra, & Sigismundo de Syrniki Clericis & Laicis Gnesneñ & Posnanieñ Ecclesiarum Diœcesis testibus, ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

Subscriptio Notarii est talis.

ET ego Iacobus Staniſlai de Kovalovice, Clericus Gnesneñ Di-

ſneñ Dicœceſis, Imperiali autoritate Notarius, quia prædictorum Statutorum, vt ſupra dicitur à tergo inſtrumenti inſertorum deliberationi & practicæ, tempore prænominati felicis recordationis Dñi Ioannis de Sprowa, tũc Archiepiſcopi ſupradictæ Eccleſiæ, & per eundem de prædictis, nominatorum omnium Prælatorum manifeſto conſenſu, factis, conditis, & editis, ac eorum publicationi, de mandatoq; ſuo, totius Synodi præfatæ conſenſu perpetuæ obſeruationi, præſens interfui: ideoq; hoc prçſens publicum inſtrumentum per alium fidelem, me aliis arduis negociis occupato, ſcriptum, per me tamen confectum, & demum auſcultatum ſubſcripſi, ſignoq; & nomine meis ſolitis cõſcripſi & conſignaui, ad perpetuam rei memoriam, rogatus & requiſitus.

DE IIS QVI RAPIVNT BONA beneficiati, poſt mortem relicta. Ex antiquis.

QVicunq; defuncto Epiſcopo, vel aliquo alio beneficiato, curato vel non curato, etiam religioſo, cui ius non competit, conſuetudine vel alio iure relicto, ab eo aut ſede vacante bona Eccleſiæ occupauerit, ipſo facto, quam nunc in talem ferimus, ſententiam excommunicationis incurrat. Cùm bona decedentium Clericorum in vſus Eccleſiæ ſeu Eccleſiarum, quarum fuerint ipſi Clerici, conuerti, vel futuris ſucceſſoribus de iure debeant reſeruari. Decernimus ſtatuendo, quòd nullus patronus Clericus vel laicus, aut quiuis alius, res ſeu bona Rectorum Eccleſiarum, ſeu quorumlibet Clericorum, viuorum aut decedentium, occupare, rapere, vel in vſus ſuos conuertere præſumat. Qui autem id cœca cupiditate repertus fuerit peregiſſe, excommunicationis vinculo ſe nouerit innodatum.

DE RE-

DE REBVS ECCLESIAE non alienandis. Ex antiquis.

IN Dignitatibus Ecclesiarum prouidere volentes, statuimus, vt Cathedralibus, Collegiatis, & Parochialibus Ecclesiis Prælaturarum & Præbendarum, & cæterorum officiorum & ministeriorum, ac bonorum Ecclesiæ omnium reddituum & prouentuum, in quibus villis, ex nomine, & in quibuscunq; rebus seu decimis consistant, & quid ad cuiuslibet dignitatem, officium, Præbendam, seu dispensationem pertineat, sub sigillis maioris Prælati, & ipsius Capituli habeatur in Sacristia Ecclesiæ fidelis descriptio, vt saltem nouus Prælatus, Canonicus, vel minister, per huiusmodi scripturam de suis iuribus & prouentibus informatus, valeat per suum prædecessorem deperdita & neglecta restaurare. Similiter libri, ornatus, calices, & cætera clenodia & ornamenta Ecclesiæ regestrentur, & saltem de anno in annum reuideantur, per seniores de Capitulo, vt appareat, si qua per improuidentiam ministrorum sunt destructa, vel distracta, vel eorum diligentia acquisita.

Prohibemus insuper, ne inferiores Prælati absq; Archiepiscopi & Episcoporum, in quorum Diœcesi consistunt, nec Episcopi absq; Archiepiscopi, nec Archiepiscopus absq; Sedis Apostolicæ licentia speciali, nec Administratores bonorum Ecclesiarum vacantium, vel alia ex causa legitima Superioris officio deputati, sine consensu maioris & sanioris partis Capituli, aliqua de bonis immobilibus, vel rebus pretiosis mobilibus, aut iuribus ad Monasteria siue Ecclesias suas spectantibus, nisi in casibus à iure permissis, alienare, donare, vendere, obligare, perpetuum vel emphiteoticum contractū facere præsumant. Quodsi contrafecerint, pro irrito habeatur: & alienantes, si inferiores Prælati sunt, à suorum ordinum: Archiepiscopus & Episcopi à Pontificalium ordinum

exequuti-

exequutione eo ipso sint suspensi. Quam suspensionem Superiores & Ordinarii alienantium, alienatis priùs ad ius & proprietatem Monasteriorum & Ecclesiarum reuocatis, vel alias indemnitati ipsorum Monasteriorum & Ecclesiarum prouiso valeant relaxare.

Item. De rebus Ecclesiæ & ornatu, nulli priuatæ personæ ad obligandum aliqua concedantur, & si aliquibus sunt concessa, illa infra mensem redimere, & Ecclesiæ restituere compellantur.

Item. Statuimus, vt prouentus annui, in quibus sunt speciales reditus fabricæ, aut ea quæ pro fabrica contribuuntur, donantur, aut legantur, vni vel duabus personis fide dignis in singulis Ecclesiis committantur, qui eos ad opus Ecclesiæ conuertant vtiliter: & singulis annis iustam de ipsis & certam Capitulo aut Plebanis reddant rationem.

Ex Synodo Petricouiensi quarta.

Ex nouis.

SIcut alienatio bonorum & rerum Ecclesiasticarum, non seruata iuris communis forma, prohibita est: ita (ne fiat) per Lociordinarios districtè custodiatur. Quodsi quispiam adeò procax fuerit, vt bona, calices, aut res Ecclesiç perpetuò vel ad tempus, titulo pignoris vel hypotecæ, absq; consensu Diœcesani, & sine solennitate à iure cõmuni inducta, dare vel alienare præsumpserit, pœna priuationis beneficii, cuius bona vel res alienauerit, per Ordinarium puniatur. Et nihilominus excommunicatione tamdiu percellatur, donec rem alienatam recuperet, & Ecclesiæ seu beneficio suo restituat. In quam constitutionem & pœnam omnes Dñi Abbates in sacra Synodo constituti, recedẽ ab exequutionibus & Priuilegiis suis, sponte se posteritatemq; suam submiserunt.

Petri

Petri Gamrati. Petricouiæ Anno Domini, 1542.

CVM pleriq; Abbates, Præpositi, & Abbatisæ, villas & bona Monasteriorum suorum, & iuspatronatus Ecclesiarum hactenus alienârunt, seu in emphiteosim concesserunt, extra causam euidentis vtilitatis, absq; consensu Episcopi loci. Decreuit hæc Synodus, vt Domini Ordinarii, autoritate eiusdem Synodi, citra omnem moram, quæ periculosa est, decernant monitoria contra tales Abbates, Præpositos, & Abbatisas, vt infra terminum vnius anni totaliter omnia alienata recuperent. Quodsi, lapso termino, non recuperauerint, autoritate præsentis Synodi per Ordinarios à Prælaturis & officiis suis deponantur. Et nihilominus Ordinarii compellant detentorem, ad restituendum malè alienata. Etsi deinceps quispiam ipsorum huiusmodi alienationes facere præsumpserit, statim ab officio & Prælatura deponatur. Talisq; alienatio sit nulla ipso iure.

Nicolai Dzierzgouii Petricouiæ. Anno Domini, 1551.

QVia nonnulli Domini Episcopi prætextu piarum donationum alienare fundos & decimas Ecclesiarum suarũ consueuerant, accepta occultè pecuniæ summa ab his, quibus donationes huiusmodi facere se simulant & fingunt. Quoquidem nomine magna pars prouentuum, quæ ad Ecclesias pertinebant, similiterq; fundorum interiit: quod vt ne fiat, de cætero, absq; rationabili causa & consensu Capituli, prout de iure, prohibet sacra Synodus. Alioqui si secus factum fuerit, id totum irritum sit & inane.

Eiusdem. Anno, 1554.

BOna Archiepiscopalia & Episcopalia per Capitula sua lustrentur & reuideantur. Nam pleraq; desertari dicuntur pro-

tur propter oppreſsiones Præfectorum, & forſan Dominorum Epiſcoporum, qui deberent eſſe loco Patrum potiùs, quàm Dominorum.

Ioan: Przerembski. Varſſouiæ.

ET quoniam alienationes ſeu dilapidationes bonorum Monaſteriorum eouſq; proceſſerunt, vt etiam verendũ ſit, ne penitùs per huiuſmodi alienationes bona Monaſteriorum ſenſim pereant, & à proprietate Monaſteriorum recidant. Sacra hæc Synodus, inhærendo antiquis conſtitutionibus & Synodalibus Statutis, decreuit, ne Abbates & Præpoſiti, ſimiliter etiam Abbatiſæ & Prioriſæ cum Conuentibus ſuis aliquas venditiones, donationes, conceſsiones, locationes quaſcunq;, & quoſuis alios contractus, permutationes, vel alterius cuiuſquam denominationis, aut emphiteoſis, etiam prætextu euidentis vtilitatis Eccleſiæ, ſine conſenſu ꝑmorum Dominorum Lociordinariorum, aut ſuorum Capitulorum Metropolitanarum & Cathedralium Eccleſiarum, ſub pœna depoſitionis, & aliis pœnis iuris faciant: alienata verò quacunq; via ſuperius deſcripta, iuxta Statuta priora, ad decurſum vnius anni, à quibuſcunq; perſonis, tam Eccleſiaſticis quàm ſecularibus, iuridico proceſſu vel alia quacunq; honeſta ratione euincant, vſuiq; & poſſeſsioni priſtinæ Monaſteriorum reſtituant. Alioqui ſi negligentes infra hoc tempus in recuperandis bonis ipſis Monaſteriorum fuerint, de diligentiisq; ſuis legitimis Dominos Lociordinarios non docuerint, extunc iidem Dñi Lociordinarii, ad depoſitionem taliũ, iuxta Statuta Prouincialia, procedere teneantur.

DE EMPTIONE ET VENditione. Ex antiquis.

SI quis emerit animalia, vel alias res prædatas, cùm in prædonis ius ſuccedat, ad reſtitutionem eorundem, per cenſuram

censuram Ecclesiasticam compellatur. Emptor verò vel venditor, qui alterum decepit, in legitimo pondere vel mensura: aut qui scienter ignoranti rem vendiderit vitiosam, pœnitere non potest, donec satisfaciat taliter damnum passo.

Experientia certa didicimus, quòd ex pluralitate Scultetorũ frequenter contingit bona Ecclesiæ desertari. Statuimus, vt in bonis Ecclesiæ quibuscunq; vnus Scultetus duntaxat, qui bona regere valeat, habeatur. Si autem Scultetus plures filios habuerit, eo decedente, potior filius ad regendam Scultetiam eligatur, qui fratribus, iuxta taxam Scultetiæ, de certa pecuniæ quantitate, secundum quod quenq; pars pecuniæ contingit, soluere in certo termino per Dominum villæ statuto sit astrictus. Aliâs, si in soluendo non fuerit, alteri extraneo, de consensu tamen Domini, omnes fratres extunc eandem Scultetiam infra spacium vnius anni vendere inexcusabiliter teneantur.

Matthiæ Drzeuicii. Lanciciæ, Anno Domini, 1527.

VT autem omnis auaricia & cupiditas ex animis Ecclesiasticorum euellatur: Decreuit Synodus, vt census in vim reemptionis, aliâs, na Widerkoff, pro ampliandis antiquis beneficiis, in posterum non pluris emantur, quàm marcã quatuor census annui pro centum marcis, saluo super omnia Statuto nouo sub titulo de censibus scripto, quod circa contractus eiusmodi prouidere tenetur.

Ex Statutis Ecclesiæ Gnesnensis.

LIcèt contra temeritatis humanæ audaciam legaliter sit prouisum, vt regulis diuinæ & humanæ legis esset contenta, & ad edendum nouas formas minimè deproperet: non cessat tamen humana cupiditas fabricare continuè fraudum

commenta, quibus proximum circumueniat atq; fallat. Hinc est, quòd licèt reemptio non sit legi diuinæ vel humanæ contraria: circa ipsam tamen, propter calliditatem versutam, multipliciter aberratur. Quocirca volentes subditos nostræ Prouinciæ in solido ne vacillent circa contractus huiusmodi deponere, declaramus. Quòd reemptionis contractus censeri debeat licitus, dum & quando, sicut in emptione, ita in reemptione, emptæ rei precium adæquatur, vel modicum plus ascendat, & dummodo census constitutus sit in re fructifera, vt puta, domo, agro, villa, sylua, lacu, & similibus, & periculo subiaceat emptoris, potestasq; reemendi remaneat libera apud primum venditorem, & non emptorem. Modicitatem autem illam, ne locus fraudibus pateat, relinquimus arbitrio Episcopi ordinarii, vel illius Vicarii moderandam. Ad hæc autem, quòd venditio, sub spe reemptionis facta de iure valeat, sit iusta & legitima, requiruntur quatuor infrascriptæ conditiones. Prima, quòd census ematur in re fructifera: vel quòd ipsa res empta sit fructifera, puta, ager, domus, census, in qua villa vel domo designata. Secunda, quòd huiusmodi res empta seu vendita tanto ematur precio, quantum valet secundum consuetudinem patriæ, si simpliciter in perpetuum emeretur. Tertia, quòd periculum emptæ rei, sine culpa vendentis eueniens, sit ipsius ementis, & non vendentis. Quarta, quòd emptor non habeat potestatem petendi pecunias pro re empta datas, sed petitio restitutionis emptæ rei ad vendentem debet pertinere. Et talis contractus est iustus & legitimus. Si autem aliquæ conditiones ex eis defuerint, contractus est iniustus & illegitimus.

DE LOCATO ET CONDVcto. Ex constitutionibus Drzeuicii. Petricouiæ, Anno Dñi, 1520.

QVàm damnosæ sint Arendationes bonorum Ecclesiasticorum,

corum, & quàm pernicioſæ exiſtant, experientia rerum magiſtra eſt. Ideoq; ſancta Synodus priores recenſendo conſtitutiones, ne huiuſmodi bonorum Eccleſiaſticorum ex quacunq; cauſa, ſub pœnis dudum ob eam rem conſtitutis, Arendationes præſertim ſecularibus fiant, conſtitutione hac prouidet & obfirmat, pœnas in tales, qui præuaricarentur, & contrarium facerent, duplicando.

DE RERVM PERMVTATIone. Ex conſtitutione Petricouien Nicolai Dzierzgouii. Anno Dñi, 1554.

PErmutationes bonorum Eccleſiaſticorum pro ſecularibus ne deinceps fiant, niſi in euidentem vtilitatem, & ſeruatis de iure ſeruandis, ac cum expreſsis conſenſibus Ordinariorum, & Capitulorum Eccleſiarum Cathedralium.

DE PIGNORIBVS. Ex Antiquis.

VEritatis organo dominicæ vocis emiſſo, dicitur: Mutuum date, nihil inde ſperantes. Volens veritas patenter oſtendere, quod mutuum, quod ex ſui natura gratuitum, in extenuationem ſubſtantiæ proximi, vel ipſius diſpendium nõ procedat, contra quod perplurimi faciunt, qui ratione mutui locupletari contendunt cum alterius detrimento, dum obligationes ſuper certa quantitate pecuniæ, in villis, pratis, ſyluis, piſcinis, nemoribus, domibus, vel aliis rebus recipiunt, de quibus quamuis ſortem aut capitalem pecuniam, & quandoq; plus ex mutuo datam leuauerint ſeu perceperint, in pecuniis vel fructibus, nihilominus priorem requirunt pecuniæ quantitatem. Vnde nos attendentes, quòd vltra ſortem recipere ex mutuo manifeſtam contineat vſurariam prã-

uitatem: omnes & singulos tam Spirituales quàm seculares cuiuscunq; status, gradus, conditionis, aut præeminentiæ existant, esse vsurarios, qui tali proposito mutuant pecunias, quòd qui aliquid recipiant vltra sortem, & maximè si cùm effectu recipiunt, declaramus.

Ad omnem dubitationis seu quæstionis amputandam materiam, statuimus, vt si quis prædium suum, cui ius attinet patronatus, cuiquam impignorauerit, indistinctè ius præsentandi apud ipsum obligantem remaneat. Etiamsi hoc non exprimat, cùm tale ius Spirituali annexum æstimari non possit, & ergo in sortem nequeat computari, cùm semper fructus rei pignoratæ debeat in sortem computari, iuxta Canonicas & legitimas sanctiones.

DE TESTAMENTIS ET vltimis voluntatibus, & Anno Gratiæ.

Ex Antiquis.

CLericus de prouentibus anni gratiæ, vel aliàs de rebus Ecclesiæ acquisitis, concubinæ suæ vel filiis ex fornicatione genitis, quicquam penitùs non relinquat. Quodsi fecerit, legatum non teneat: & quod taliter est relictum, Ecclesiæ applicetur. Cùm tam ex consuetudine quàm de priuilegio multarum Ecclesiarum, ac etiam ex Statutis earundem, personæ Ecclesiasticæ, curatæ & non curatæ, de bonis ex fructibus beneficiorum suorum congregatis & conquisitis pro ipsorum arbitrio in extrema voluntate sua facere consueuerunt testamenta. Nos sacro hoc Concilio approbante, huiusmodi consuetudinem salutarem ad totam nostram Prouinciam ampliantes, statuimus, quòd deinceps Clericis curatis & non curatis testandi libera sit facultas: ita quòd ad ipsorum testamenta duos Sacerdotes (si fieri poterit) conuocent, aut alios probos viros, per quos possit de ipsorum constare voluntate.

tate. Quodsi exequutoribus minimè deputatis, aut (quod absit) inteſtati deceſſerint, per Prælatos ipſorum, vel quibus hoc ſpecialiter commiſerint, & quibus ipſi immediatè ſubſunt, prædicta teſtata iuxta voluntatem teſtatoris diſpenſentur. Ab inteſtato verò relicta, primùm ſolutis debitis per defunctum contractis, ac familia quæ eidem dum viueret ſeruiebat, & exequiis pro anima defuncti expeditis: vna pars pro fabrica dictæ Eccleſiæ, cui defunctus præerat: ſecunda pars pro anima, aut anniuerſario defuncti deputetur: reſiduum verò vſui ſucceſſoris fideliter conſeruetur. Quodſi Prælatus, qui præmiſſa derelicta diſtribuere debuit, vel ſub cuius teſtimonio diſtribuenda fuerant, vel ſucceſſor in beneficio, aut quiuis alius cupidè aliquid de præmiſsis teſtatis, aut ab inteſtato relictis vſurpare directè vel indirectè præſumpſerit, duplum in illos vſus, in quos conuertenda fuerant, de ſuis propriis ad pios vſus conuertat. Et nihilominus ſi ſucceſſor fuerit, & præmiſſa violauerit, extunc parte ipſum concernente ipſo facto ſit priuatus, & fabricæ dictæ Eccleſiæ applicetur.

Præterea, ſtatuta Laicorum, quæ habent, quòd nullus vltra certam ſummam Eccleſiis vel Clericis donare, ſeu legare audeat in vltima voluntate, irrita iudicamus, cùm iniquitatem contineant, & teſtandi perimant libertatem. Conditores verò huiuſmodi ſtatutorum, ac eiſdem vtentes, Canonica arceantur diſciplina. Inuigilent inſuper Ordinarii circa exequutores teſtamentorum & vltimarum voluntatum, & contra illos, qui eos impediunt quouis modo, vt ipſæ voluntates extremæ, infra tempus teſtatoris arbitrio limitatum, effectui mancipetur: vel ſi teſtator exequutionis terminum non præfixit, ipſa exequutio vltra vnius anni ſpacium nullatenus prorogetur. Exequutores etiam vltimarum voluntatum de bonis defuncti ſe nullatenus intromittant, donec de eiſdem inuentariũ fecerint ſub fidedignarum teſtimonio perſonarum.

Ad hoc, quòd quædam in quibuſdam partibus conſuetudo, imò cor-

imò corruptela deteſtabilis obſeruatur, videlicet, quòd tam laicus quàm Clericus in lecto ægritudinis conſtitutus, vltra certam ſummam, iuxta loci illius conſuetudinem limitatam, nec piis locis, nec perſonis Eccleſiaſticis, pro animæ ſuæ remedio & ſalute, aliqua poſsit ordinare legata. Conſiderantes, licèt vicibus iam repetitis prædictam conſuetudinem, & ſacris Canonibus, & ſecularibus etiam legibus obuiare, cùm omnia iura clamant, quòd vltima voluntas, & vltimum hominis teſtamentum inuiolabile perſeueret: Et nihil ſit, quod magis hominibus debeatur, quàm vt extremæ voluntatis liber ſtilus exiſtat. Eandem conſuetudinem Deo odibilem, animabus & moribus bonis inimicam, autoritate huius ſacri Concilii penitùs reprobamus, firmiter ſtatuentes, vt vnicuiq; quem iura à teſtamentorum non prohibent factione in ſanitate vel in lecto ægritudinis conſtituto, legandi, diſponendi, & ordinandi de bonis ſibi collatis, circa pia loca & perſonas Eccleſiaſticas, dummodo legitimos non prætereat ſucceſſores, libera ſit facultas. Volentes & præcipientes diſtrictè, vt per locorum Epiſcopos, & cæteros Prælatos iuriſdictionem habentes, vniuerſi Clerici tam religioſi quàm ſeculares, & laici impedientes defunctorum legata ſeu vltimas voluntates, per excõmunicationem in perſonas, & interdicti in loca, ſententias, Canonica monitione præmiſſa, ferendas, ab huiuſmodi impedimentis deſiſtere compellantur: ad quorum exequutionem & debitas aggregationes, procedente tempore faciendas, Epiſcopi & Prælati, ad quos teſtamentorum defenſio, vtroq; iure ſuadente, dinoſcitur pertinere, beniuolos ſe exhibeant & paratos, ne huiuſmodi negligentia de eorum manibus in die diſtricti iudicii requiratur.

Licèt aliàs per bonæ memoriæ Iacobum Archiepiſcopum Gneſneñ, prædeceſſorem noſtrum ſalubriter fuit inſtitutum, propter ſalutem animarum, Prælatorum, & beneficiatorum quorumcunq;, ac propter conſolationem amicorum, & ſeruitorum

uitorum eorundem per mortem ipsorum desolatorum, vt cùm quis de Clero beneficiatus decederet, fructus proximi anni, pro debitis ipsius successoribus, & amicis eiusdem, & aliis piis causis & exequiis, per illius anni circulum faciendis, per eum quem ad hoc exequutorem eligeret: aut si intestatus decederet, si Cathedralis, Collegiatæ, aut Conuentualis Ecclesiarum Prælatus Canonicusq; esset, per Diœcesanum: Si verò ruralis Ecclesiæ Rector, vel alius quicunq; Clericus existeret, per Decanum, sub testimonio Archidiaconi, pro salute ipsius animæ conuerti deberent, deductis prouentibus, vnde Vicarius valeat in Ecclesia sustentari, annum Domini à Circumcisione eiusdem inchoando. Nos attendentes huiusmodi constitutionem per Extrauagantem Ioannis xxij. quæ sic incipit: Suscepti regiminis cura nos sollicitat: esse modificatum in eo, quòd media pars pro debitis, anima, seruitoribus, & amicis defuncti, & media pars pro successore conuertatur: præsentis approbatione Concilii, dictam constitutionem declaramus, secundum modificationem dictæ extrauagantis, per omnes Episcopos, Prælatos & Canonicos, ac Parochialium Ecclesiarum Rectores nostræ Prouinciæ esse firmiter obseruandam, perpetuis temporibus valituram.

DE ANNO GRATIAE.

Ex Nouis.

QVilibet Prælatus, Canonicus, Altarista, Plebanus, Vicarius, ex quocunq; titulo beneficiatus, curatus & non curatus, in vniuersa Prouincia, si moritur in primis mensibus anni incipientis à Circumcisione Domini, habet quartam partem omnium introituum, iuxta verum valorem suorum beneficiorum: sed successori frumenta æstiualia relinquat ad seminandum prædium. Si in tribus mensibus secundis, habet medietatem: Si in tertiis tribus mensibus, habet tres

partes de frumentis hyemalibus, ad quantitatem prædĩ non seminati, successori relictis: Sed in residuis mensibus habet totum.

In Synodo Petricouieñ quarta.

COlonorum testamenta, citra præiudicium liberorum & Domini villæ, valeant, quo ad pias causas.

Dzierzgouii. Petricouiæ Anno Domini, 1557.

CAEterum, tametsi vtroq; iure rectè prouisum esse competitur, ne stilus vltimarum voluntatum vnicuique de suis bonis quoquo modo per cupiditatem aliquorum, dominium temporale habentium, & bonis testatorum inhiantium violetur, seu aliâs infringatur, quinimo illi, qui vltimas aliorum impediunt voluntates, grauibus pœnis iuris subiacere censentur. Quia verò ad præsentem Synodum est deductum, non deesse pleroſq; D. Ecclesiasticos, qui non absq; graui cupiditatis alieni nota, in bonis Ecclesiæ impia decreta seu statuta condunt, edictaq; publica faciunt, ne quis sine scientia & voluntate eorum aut factorum, seu Procuratorum suorum præsentia, testamenta quæpiam condere præsumat. Impietatem itaq; eiusmodi talium reprobando, decreuit sacra Synodus, ne quis Ecclesiasticarum personarum, siue Regularium, siue Secularium dominium temporale habentiũ, edictis quibuscunq; aut statutis & constitutionibus suis municipalibus prohibere, quouis quęsito colore vel ingenio præsumat, subditos suos, quominus de bonis suis mobilibus quibuscunq; testentur, testamentaq; pro eorum arbitrio condant, prohibere præsumat, conditaq; non reuocet, neq; infringat, quæ sacra Synodus firma & valida esse vult & censet. Prohibitiones verò tales annihilat, cassat, & tanquam impias reiicit, decreto suo præsenti mediante.

De suc-

DE SVCCESSIONIBVS AB inteſtato. Nicolai Dzierzgouii. Petricouiæ, Anno Domini, 1551.

LIcèt ſacris Canonibus & Statutis Prouincialibus de modo diſpenſandi per Ordinarios, res & bona mobilia ab inteſtatis beneficiatis derelicta, ſit laudabiliter ſatis prouiſum. Attamen nonnulli Domini Ordinarii, hac poteſtate à iure eis conceſsa hactenus non ſine ſcandalo abutentes, ea vel in priuatos vſus cõuertebant, vel indignis perſonis, & non pauperibus, ſeu Eccleſiis, in quibus defuncti miniſtrabant, arbitrio ſuo & non ex præſcripto Canonum diſtribuebant. Itaq; ſtatuit ſacra Synodus, vt de cætero, res & bona huiuſmodi non niſi iuxta iuris communis & Statutorum Prouincialium diſpoſitionem, primùm videlicet expedita ſepultura, in exolutionem debitorum, ſi quæ inteſtatus contraxerit: deinde in abſolutionem ſeruitorum & conſolationem conſanguineorum, maximè pauperum, in remedium ſalutis animæ defuncti: fabricam Eccleſiæ, in qua inteſtatus miniſtrabat, portione ſua non priuando, per Dominos Ordinarios diſpenſentur, ſubpœna arbitraria Synodi Prouincialis in ſecus facientes conſtituenda.

DE SEPVLTVRIS. Ex antiquis.

CVM ſacris Canonibus ſit conſonum, vbi quis vivus recipit Eccleſiaſtica Sacramenta, quòd ibi etiam mortuus requieſcat: omnibus Chriſti fidelibus contritis & confeſſis, qui ſepulti fuerint in ſuis Eccleſiis Parochialibus, vel Cimiteriis earum, de omnipotentis Dei miſericordia & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorũ eius, & beati Adalberti Martyris patroni noſtri meritis confiſi, in releuamen ſuorum pec-

caminum, quadraginta dies indulgentiarum, de iniuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus. Quia Ecclesiarum Cathedralium Prælati & Canonici confratres in Christo ex approbata consuetudine nuncupantur: & ideo, vt ex confraternitate huiusmodi aliquis fructus proueniat animabus, statuimus, vt postquam Prælatus vel Canonicus Cathedralis Ecclesiæ obierit, superstites Prælati & Canonici, cumprimum obitus defuncti ad eorum notitiam peruenerit, quiuis Prælatus pro anima principalis Prælati, id est, Archiepiscopi vel Episcopi, sex missas cum totidem vigiliis, pro anima verò æqualis Prælati defuncti tres missas cum totidem vigilis efficere per se, vel per aliũ teneatur. Canonicus verò pro anima principalis Prælati, id est, Archiepiscopi vel Episcopi, tres missas cum totidem vigiliis: pro anima verò inferioris Prælati vel Canonici, vnam missam cum vigiliis, similiter per se, vel per alium, quàm citò commodè poterit, virtute fraternitatis & Statuti huiusmodi, dicere sint astricti. In quo ipsorum conscientias oneramus.

Quicunq; religiosi & seculares Clerici aliquem ad vouendũ, iurandum, vel fide interposita seu aliâs promitten inducunt, vt sepulturam apud eorum Ecclesias eligant, vel iam electam vlterius non immutent, excommunicationis sententiam incurrant ipso facto, nec valet talis electio: & qui sic elegerit, nec apud sic electam Ecclesiam sepeliri, nec alibi poterit elegere sepulturam, nec contra votum, iuramentum vel promissum huiusmodi à se factum, materiam habeat veniendi: sed contradictione qualibet cessante, sepeliatur omnino apud illam Ecclesiam, apud quam sepeliendus de iure fuisset, si aliâs sepultura non electa forsitan decesisset. Si verò idem religiosi vel Clerici prædictum in sua Ecclesia vel Cimiterio præsumpserint sepelire, ad restitutionem tam sepulti corporis, si petatur, quàm etiam omnium quæ occasione sepulturæ illius perceperint, quomodolibet ad eosdem infra decem

dierum

dierum spacium integraliter faciendam obligantur: quam ni. si fecerint, Ecclesia ipsa, apud quam sepultus fuerit, necnon ipsius Cimiterium, extunc eo ipso sint, & tam diu manebunt Ecclesiastico supposita interdicto, donec ab eis fuerit facta restitutio plenaria omnium prædictorum.

Plebanus Ecclesiæ vel vicesgerens, si præter licentiam sui Archiepiscopi, vel Episcopi, vel ipsius in Spiritualibus Vicarii defunctum alterius Parochiæ intra vel circa Parochialem Ecclesiam suam præsumpserit sepelire, in pœnam vnius marcæ, ad fabricam illius Ecclesiæ applicandæ incidat ipso facto. Et nihilominus per Episcopum subiiciatur pœnitentiæ grauiori: nisi is, qui est sepultus, fuisset Presbyter, patronus, vel peregrinus viator, vel qui commodè ad suam Parochialem Ecclesiam deferri non potest: aut aliàs Ecclesiæ notabilis benefactor.

Ex Nouis.

DEcreuerunt Rmi Domini Episcopi præsentes, & absentium Procuratores, vt pro fratre Episcopo, ex hac vita decedente, superstites Episcopi semel iusta obire pro salute animæ defuncti teneantur.

Petri Gamrati. Petricouiæ Anno 1542.

QVoniam propter diuturnam conseruationem funerum, & tardam sepulturam, Rmorum Dominorum Archiepiscoporum & Episcoporum defunctorum, bona Episcopatuum sede vacante multifariam damnificantur: Decreuit hæc sacra Synodus, vt Executores Dominorum Archiepiscoporum & Episcoporum defunctorum, seu illi ad quos pertinebit, à die mortis in octo diebus adminùs, & ad summùm in quindecem diebus funera illorum sepelire procurent, si in eorum Diœcesi eos mortem obire contigerit: si verò extra Diœcesim, tunc duplum eius temporis habeant. Alioquin la-

pſis diebus prædictis, Capitula Eccleſiarum, & Adminiſtratorem eligere, & bona Epiſcopalia in eorum diſpoſitionem recipere debebunt & tenebuntur.

Nicolai Dzierzgouii. Petricouiæ, Anno 1557. Die 17. menſis Maii.

CAEterùm, quia præſenti hoc nequam ſeculo tanta inoleuit plurimorum ſecularium audacia, quòd funera hæreticorum, & ab vnione ſiue gremio ſanctæ matris Eccleſiæ diſcedentium, ſeu excommunicatorum, quibus de iure Eccleſiaſtica negatur ſepultura, temerè, violenter, & per potentiam, quibus pauperes Parochi reſiſtere nequeunt, non verentur Eccleſiaſticæ inferre ſepulturæ: propter quod Eccleſiæ ipſæ & cemiteria violantur ſeu execrantur. Sacra itaq; Synodus, periculis animarum obuiando, ne propter eiuſmodi hæreticorum ſepulturas pii homines à deuotione conſueta remoueantur ſeu retrahantur, & per intermiſsionem auditionis diuinorum officiorum negligentiores ad illam proſequendam poſtea reddantur: ſtatuit, iuri communi innitendo, vt ſi taliter ſepulti, fuerint iudicio Eccleſiaſtico in vita pro publicis hæreticis pronunciati & declarati, abſtineatur omnino in illis Eccleſiis & locis à diuinis officiis, donec ipſi ſepulti, ſi ab aliorum corporibus diſcerni poterint, inde quoquo modo exhumentur, & foras eiiciantur, ne cenſura Eccleſiaſtica vileſcat. Si autem diſcerni non poterint, ex diſpenſatione Lociordinarii ſeu eius Officialis, licebit in eis Sacerdotibus & aliis Clericis diuina peragi officia. Quodſi verò declarati non fuerint, ſacra Synodus non putauit à diuinis abſtinendum eſſe: à quibus viuis communicatum eſt, communicetur & mortuis. Domini tamen Locorumordinarii, aut eorum Officiales, ſine mora conſulantur in vtroq; caſu, qui ad requiſitionem ipſorum Parochorum aut Clericorum, quorum templa per huiuſmodi ſepulturam exiſtimarentur fore execrata, iudicabũt, prout

prout de iure, quidnam faciendum fuerit: dabuntq; licentiam, in locis ipsis execratis, ad tempus reconciliationis sacra peragendi. Et nihilominus, si videbitur expedire, iudicio cum violatoribus libertatis Ecclesiasticæ agere Domini Locorum ordinarii omnino non negligant, neq; suis cura & diligentiis, postquàm ad eos talia delata fuerint, prætermittant.

DE PAROECIIS. Ex antiquis.

VNiuersis Sacerdotibus tam religiosis quàm secularibus, cuiuscunq; ordinis, conditionis siue status existant, in ciuitate, Diœcesi, vel Prouincia Gnesnensi degentibus, sub debito iuramento, quod Episcopo in receptione Sacerdotii præstiterunt, sub interminatione iudicii, firmiter inhibemus, ne quis alienum Parochianum, cuius cura per Episcopum vel Locior dinarium, seu eius Vicarium, super eo alii est commissa, excepta necessitatis causa, quæ legem non habet, ad confessionem audeat recipere, vel ad porrigendum ei aliquod Ecclesiæ Sacramentum: nisi petita desuper & obtenta licentia proprii Sacerdotis. Cùm certi & indubitati iuris existat, talem à tali crimine solui non posse aliquatenus vel ligari, & ex hoc ordinem Ecclesiæ per maiores & sanctos Patres diuina prouidentia institutum confringere viderentur. Quod per vniuersos Plebanos diebus Dominicis, prout expedierit, corã suis Parochianis præcipimus publicari. Et qui contra præmissa, vel eorum aliquod propria temeritate venerit, ab officio & beneficio suspendatur, vel aliâs ad arbitrium sui Superioris puniatur.

Matthiæ Drzeuicii. Petricouiæ, Anno Dñi, 1530. Ex nouis.

INfantes expositos, quod plerunq; euenit, Synodus sacra ad Xenodochium proximè priùs refectum, baptisatum deferri iubet, illius Xenodochii impensis alendum. Alioqui si, vnde

vnde illic alatur, paupertas Xenodochii non habeat, Parochia in qua puer expositus sit, vt alimenta conferat infanti in Xenodochio educando cohortetur, vel certè pietas Ordinariorum alimoniæ impensis infantulo, ne percat, succurrat.

Petri Gamrati. Petricouiæ, Anno Domini. 1544.

ET quia in Lituaniæ partibus, & præcipuè in Diœcesi Mednicensi, quæ ampla & populosa est, satis paucæ admodum Ecclesiæ Parochiales existant: & inde fit, quòd vulgus & vtriusq; sexus homines, religionis & fidei Christianæ ignari, syluas, nemora, serpentes, lapides, tonitrua, more gentilium veterum colunt, & adorant, in Diuinæ Maiestatis offensam, & animarum suarum periculum, & interitum. Supplicat & admonet hæc Synodus, vt Sacra Regia Mtãs ad subleuandam idololatriã & errores huiusmodi, plures Ecclesias Parochiales in locis arbitrio Dominorum Vilneñ & Mediceñ Episcoporum & suorum Capitulorum deligendis constituere & fundare dignetur, ad laudem & honorem Diuinæ Maiestatis, & religionis propagationem.

DE DECIMIS.

Ex Antiquis.

VEteris Testamenti serie, & sacrorum Canonum sanctionibus attestantibus, Deus in signum vniuersalis dominii sibi decimas reddi præcipit, suas esse decimas & primitias asseuerans: atq; monens & præcipiens, vt deferantur decimę in horrea sua, hoc est in thesauros templi, vt habeant Sacerdotes atq; Leuitæ, qui sibi ministrant cibos, non sibi sed nobis sine dubio profuturos. Hoc tamen quidam Principes seu Capitanei, Procuratores ac Officiales eorum, & alii milites & temporales domini, minimè attendentes, decimas Ecclesiis &

siis & ministris Ecclesiarum debitas, Dei timore postposito, occupant, aut per suos subditos occupari mandant, & mandari procurant: & alii etiam impedimentum præstant, ne Clerici aut procuratores eorum, decimas sibi debitas, pro sua voluntate, cui maluerint, vendere valeant, eas in suis villis locare, ac per homines suos, qui easdem dandas tenentur, cõduci indebitè prohibentes.

Huiusmodi ergo temerariis ausibus adhibere medellã, quam possumus, cupientes, statuimus & prohibemus, ne aliqui Principes, qualiscunq; dignitatis, vel honoris prærogatiua præfulgentes, ac Capitanei & Procuratores vel Officiales eorum, vel Nobiles, & quicunq; alii, decimas manipulares, seu pecuniales, ac maldratas, seu in quibuscunq; rebus consistant de cætero occupent, seu occupari mandent, nec liberam venditionem decimarum impediant, aut eas in suis villis locari, vel per homines suos duci prohibere præsumant. Quodsi aliqui deinceps prædicta, vel aliquod eorum, præsumpserint attentare, requisiti, excommunicationis sententiam incurrant ipso facto. Et nihilominus terræ, ciuitates, & districtus, huiusmodi Principũ, & quibus præsunt Capitanei & Officiales prædicti: oppida quoq; & villæ Nobilium, seu dominorũ Spiritualium & temporalium, & quorumcunq; aliorum, si huiusmodi excessus, per collectorem decimæ requisiti, infra vnius mensis spacium non curauerint emendare, ab huiusmodi impedimentis desistendo, ipso facto Ecclesiastico subiacеant interdicto.

Cùm ius Ecclesiasticum, & præcipuè solutio decimarum Deo debitarum, quas ipse Clericis exhibendas, pro suo cultu concessit, diminui non debeat, qualibet malicia seu fraude excogitata: sed potiùs augmentari, ne officium diuini cultus, propter quod beneficium Ecclesiasticum & decimæ ipsæ dantur, obmittatur. Statuimus, vt si Nobiles aut hæredes, aut temporales domini aliquarum possessionum, quorum maio-

res liberè, ad quam volebant Ecclesiam, decimam soluebant, ex quadam abusione multiplicari contingat, senior aut vnus eorum eam liberè soluat. Alii omnes & singuli Ecclesiæ seu Præbendæ, cui decimæ illius hęredi talis hæreditatis seu possessionis ascripta est, ipsam soluere teneantur, ne si quiuis eorum eam liberè solueret, ius Ecclesiæ seu Præbendæ ipsius, ac cultum diuinum propter hæc contingeret absorberi. Adiicimus insuper, quòd Nobiles seu hæredes huiusmodi, quibus priuilegium hoc competit, dent ipsi Ecclesiæ decimam, tali videlicet, in quam cadit perceptio decimarum, nihil de ea vsibus suis applicando. Quodsi quispiam repertus fuerit aliquid de ipsa pro se recepisse fraudulenter, priuilegium perdet: cùm priuilegium mereatur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate. Porrò si acciderit, quòd possessio seu hæreditas, quam miles tenebat, decimam de ea liberè soluendo, inferioris personæ titulo emptionis, venditionis, permutationis, donationis, seu alio quocunq; modo dominium perueniret, personæ huiusmodi decimam soluant Ecclesiç seu Præbendæ, cui ipsius hæreditatis seu possessionis decima est ascripta. Econtra verò, si Nobilis aliquis gaudens priuilegio huiusmodi militari, possessionem seu hęreditatem aliquam, in qua personæ inferiores residebant, decimam Ecclesiæ seu Præbendæ alicui ex debito soluendam, titulorum prædictorum aliquo assequatur, illuc teneatur soluere, vbi eam personæ huiusmodi hactenus persoluerunt: cùm res transire cum suo onere dinoscitur. Item. Cùm Leuitis seu Ecclesiasticis personis iure diuino decimæ debeantur, dolentes referimus, quòd quorundam Laicorum cupiditas ius huiusmodi, quod sibi Deus in signum generalis dominii retinuit, nititur abolere, & pro sua voluntate de his, quæ ad ipsos non pertinent, aliter ordinare, imò potiùs deordinare præsumunt, quasi à se iugum diuini seruitii velint excutere, quod in baptismate sunt professi. Huius approbatione Concilii districtè præcipimus, vt

iuxta iu-

iuxta iuris diuini disposition em, & laudabilem consuetudinem patriæ, decimæ manipulares de quolibet grano in agro persoluantur, nec liceat alicui laico nobili vel ignobili, cuiuscunq; dignitatis vel principatus existat, ius & consuetudinem memoratam propria temeritate infringere: quinetiam ipse de propriis terris, quæ suis sumptibus excoluntur, decimas integraliter persoluat: nec propria voluntate, imò potiùs præsumptione, eas cuiquam aliæ Ecclesiæ vel personæ conferat: sed illas absq; vlla contradictione percipiat, qui de eodem loco decimas percipere consueuit ex antiquo. Si verò terras suas aliis tradiderint colendas, eas nec in toto, nec in parte à solutione decimarum præsumant absoluere, cùm non sit iustum, vt ea quæ Dei sunt & ministrorum Ecclesiæ, conferantur alienis. Sed de omnibus partibus aliis ipsi coloni decimas integraliter soluere non obmittant. Alioquin tam ipsos colonos, quàm defensores seu fautores eorum ab hac præsumptione, quæ furtum vel rapina non immeritò dici possunt, per denegationem Ecclesiasticæ sepulturæ, & subtractionem Ecclesiasticorum Sacramentorum, præcipimus cò ercerì. Adiicientes, & sub pœna excommunicationis prohibentes, ne aliquæ seculares vel Ecclesiasticæ personæ solutionem decimarum in hac Prouincia tam laudabiliter obseruatam commutare præsumant in pecuniarum pensionem. Ipsas tamen decimas sibi à colonis redditas vendere poterint, prout vtilitati suæ & Ecclesiarum viderint expedire. Et quicunq; laicus nobilis vel ignobilis, huiusmodi venditionem clàm vel palàm impedire præsumpserit, quousq; dignè satis fecerit, de tali commisso, introitum Ecclesiæ sibi nouerit interdictum. Saluo, quod circa multiplicationem nobilium, & depositionem emethonum in Statuto præcedenti proximè est prædictum, vel aliter ex concordia cum terrigenis fuit ordinatum. Verùm sicut laicos circa præceptum de decimis persoluendis esse volumus obedientes, sic eos à grauamine Ecclesiasticarum

personarum, quod eis inferre dicuntur, super dilatione vel mora percipiendi decimas, releuare volentes, præsenti decreto statuimus, vt non obstante aliqua constitutione, ordinatione, seu aliqua compositione, postquam segetes in agro collectæ fuerint, & cui decimæ debeantur, sub testimonio competenti, & per interualla congrua, quorum quodlibet ad minus duos dies habeat, trina fiat denunciatio, vt decimam suam tollat: ne propter eius dilationem vel moram, ipsi coloni in suis nouem partibus sustineant detrimentum. Alioqui elapso triduo, à tempore denunciationis vltimo factæ, nouem partes suas liberè sibi liceat, vbi voluerint, collocare. Nos enim sententias excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, quas hac occasione ferri contigerit in colonos, irritas decernimus & inanes.

Cùm turpis sit pars, quæ suo non congruit vniuerso, & quidem Sculteti vicinis seu villanis eorum in eadem villa decimas absq; contradictione soluentibus, ipsi eas minùs rationabiliter soluere contradicunt. Statuimus ergo, quòd Sculteti huiusmodi, cuiuscunq; status & conditionis fuerint, huiusmodi suis vicinis seu villanis æquales esse debeant in solutione decimarum.

In Synodo Lancicienſi prima. Ex nouis.

SAcra Synodus, matura deliberatione præhabita vnanimi voto decreuit, attenta diuturna consuetudine, quòd tam de agris possessionatis quàm desertis, cultis & susceptis, de censu, missalia in frumento soluantur, vt cultores agrorum tam possessionatorum, de quibus soluunt censum, & laborant, Parochiano Presbytero missalia soluant, in ea quantitate, prout ex possessionatis agris soluere soliti sunt. Nam cùm talia, secundum quotam de manso soluantur, non habenda est differentia in hoc, an ager possessionatus obligatus sit ad censum.

ad censum & laborem, vel susceptus ad censum, tantùm duntaxat habenda est consideratio, si colitur. Nam si colitur, tũc tenebitur quilibet colens missalia soluere suo Parocho aut Presbytero. Canapalia autem, quæ etiam in nonnullis locis Rekaviczne appellantur, danda decernit Synodus, vbi dari consueuit, aliâs, non nisi Canapum, aut aliud simile semen seminatum, collectumq; esset in agris, de quibus decima dari de iure aut consuetudine consueuit.

In Synodo Petricouieñ quarta.

COlono ex agro discedente, Nobilis eundem agrum colens, decimas & prouentus Ecclesiasticos pro consuetudine pendat. Quodsi nõ extet in illo territorio aliqua eius rei consuetudo, soluat eadem onera, quæ colonus soluebat: illis tamen exceptis, quæ ex rusticitate in nobilitatem indignè transferentur, veluti, vt decimam ducat, denarium Sancti Petri, Canapales, Strennam quæ vulgò Koleda vocatur, soluat, nisi in istis aliter se habeat consuetudo.

In eadem.

VIllæ seu Prædia, ex quibus decima manipularis, vel quippiam aliud loco decimæ Ecclesiæ nunquam prouenie-bat, quandoquidem contra decimam nulla præscriptio procedere potest, & manipularis iure diuino debeatur, soluat decimam manipularem, vt Deo nihil omnino non soluisse videatur.

In eadem.

SIcut decimæ liberæ sunt, ita & earum collocationem libe-ram esse oportere. Proinde inhibemus, ne collocatio earundem illibertetur: nihilominus eiusdem collocationis consuetudo rationabilis & iusta seruanda est, veluti, vt secundum ordinem, vel alternis vicibus, apud incolas villæ collocetur.

Quam consuetudinem dominus villæ liberè permittere debet, absq; quauis conuiuii exactione. Iuris enim est exploratissimi, conuiuia in cuiusq; libera voluntate consistere debere.

In eadem.

CLericos decimatores, qui decimare recusant, nisi valorem decimæ pro voto suo apud colonos exegerint, Prouinciali vetusto Statuto, quod contra recusantes aut negligentes decimare in titulo de decimis continetur, esse cò ercendos.

In Eadem.

QVoniam quibusdam in locis decimæ manipulares, in aliis pecuniariæ, in plerisq; verò penduntur in grano, consuetudinem antiquam loci cuiusq; seruandam esse decernimus, neq; ab ea penitus discedi debere. In soluenda etiam tam manipulari decima, quàm missalium, vbi vtrunq; soluitur, consuetudini innitentes, mensura autem soluendorum missalium fiat iuxta modum territorii, in quo villa missalia soluens situatur.

In Eadem.

CVM decima, iure diuino, debeat dari expensis non deductis: iure optimo mercenarii messoris decimam, antequam Ecclesia pro se decimet, solui & consignari non debere. Et propterea ne id fiat, ac cum nobilibus cassulas deteriores pro decima eligentibus, aut iniustè decimantibus, iusta ratione iure esse exponendum.

In Eadem.

DEcimationem hoc modo & ordine fieri decernimus, vt si conuentum non fuerit inter partes, de modo & ordine decimandi, decimator ordine procedat, decimam, quæ ordine euenit, cassulam signando: sitq; in optione decimatoris

incipere

incipere vnde velit: & quæcunq; ei cassula decima sorte obuenerit, eadem pro decima cadat.

In eadem.

DE molendinis, mineris, & fodinis, volumus antiquam seruari consuetudinem, in facienda vel non faciendæ solutione decimarum.

In eadem.

CIrca venditionem decimarum, decreuit Synodus seruãdum Statutum Domini Iaroslai Boguria prædecessoris nostri, & Domini Bodzentæ Episcopi Cracouieñ, inter Statuta Regni insertum, quo cauetur, vt si Dominus villæ decimam emere voluerit, ante festum S. Iacobi, de precio licitetur, & conueniat. Alioquin liberum sit, quocunq; velit cuiq; suam decimam diuertere. Cuius Statuti tenor sequitur & est talis.

Quicunq; Dominus villæ in ipsa villa sua decimam emere voluerit, ante festum S. Iacobi cum domino decimæ forisare procuret. Alioqui, dominus decimæ decimam vendat liberè, impedimento cessante domini villæ illius.

Tenor verò Satuti Domini Bodzentæ Episcopi Cracouieñ est talis. Item. Quicunq; Dominus villæ in ipsa villa sua decimam emere voluerit, octo diebus ante festum beati Iacobi, & octo diebus postea cum domino decimæ forisare procuret. Alioquin, dominus decimæ liberè decimam vendat, impedimento à domino villæ cessante.

Nicolai Dzierzgouii Petricouiæ Anno, 1551.

QVoniam bona pars fertonum, missalium, & aliorũ prouentuum Ecclesiæ iam periit, & quotidie magis ac magis di-

gis diminuitur, ex eo, quòd plerique Dominorum Spiritualium & secularium, pulsis inde colonis, & ad hunc modum desertatis, in prædia quę seu piscinas aut prata redactis, villarum suarum agris siue mansis Cmethonalibus, non pendunt ex eis prouentus ipsis Ecclesiis, qui à colonis illic residentibus pendebantur. Igitur præsenti Statuto prouidetur, vt de talibus villis, agris & mansis desertis, idem illi prouentus, missalia, & & fertones ab antiquo soluantur, personis, Ecclesiis, ad quas pertinebant: quemadmodum ante desertationem, vel in prædia, siue piscinas redactionem soluebantur, quò Ecclesiæ suis non fraudentur dotibus.

Ibidem. Anno 1554.

ITem, Rmi Domini Episcopi Clerum in decima non illibertabunt, sed vt sint exemplo secularibus, eas liberè cuiq; beneficiato disponendi & percipiendi permittant, sub pœna tripli in Statutis Prouincialibus Ioannis Laski, 1530. sancita.

Nicolai Dzierzgouii. Petricouiæ, Anno 1557.

ITem. Conquerentibus nonnullis Presbyteris, Parochis, aliisq; Clericis, de Rmo Domino Episcopo Wladislauien & eius Præfectis, præsertim in claue Volborien, quòd in bonis suæ Paternitatis Ecclesiasticis, eis denegantur missalia, & aliæ obuentiones, antea eorum Ecclesiis solui consuetæ, non sine graui iniuria eorum, & scandalo secularium hominum. Decreuit itaq; sacra Synodus, innitendo Statutis prioribus, ne deinceps quisquam dominorum Episcoporum, aut quæuis Ecclesiastica persona secularis vel regularis, aliquem Parochum, aut alium quempiam Clericum in prouentibus, decimis, missalibus, maldratis, colendis suis, & aliis quibuscũq; iuribus & obuentionibus, eorum Ecclesiis solui consuetis, impedire

impedire: aut quoquo modo solutionem illorum denegare præsumat. Quinimo factores subditosq; suos ad solutionem eorum cogat & compellat.

BVLLA APOSTOLICA
De Noualibus. Ex nouis.

LEO Episcopus, seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Decet Romanum Pontificem votis personarum sibi & Sedi Apostolicæ deuotarum, præsertim Regali & Archiepiscopali dignitate fulgentium, & per quæ dissensiones & iurgia tolluntur, libenter annuere: & his, quę propterea prouidè facta fore prospexerit, Apostolicæ adiicere muniminis firmitatem, ac illa statuere, quæ circa præmissa conspexerit facere oportuna. Sanè pro parte charissimi in Christo filii nostri Sigismundi Poloniæ Regis Illustris, ac venerabilis fratris Ioannis de Lasko Archiepiscopi & Primatis Gnesneñ, nobis exhibita nuper petitio continebat. Quòd licèt alias loca & terræ Regni Poloniæ, tam propter bellorũ discrimina, quàm mortalitates, & alia impedimenta, antea excoli non potuerant: tamen postea multiplicatis in dicto Regno, Deo benedicente, hominibus, per arborum supputationem, & radicum extirpationem ac euulsionem, ad culturam redacta, & nouæ villæ in illis locatæ & constructæ fuerunt. Cumq; à multis verteretur in dubium, ad quem decimæ earundem villarum vel locorum & terrarum, an videlicet ad Locorumordinarios, an vero ad Parochialium Ecclesiarum dictorum locorum Rectores, pertinere deberent: & inde lites & controuersiæ inter bonæ memoriæ Ioannem Episcopum Cracouieñ, & quondam Arnoldum, certosq; Canonicos Ecclesiæ S. Floriani suburbii Cracouieñ, super huiusmodi decimis nouarum villarum ac noualium, in Bieceñ ac Smigrodeñ territoriis consistentium, coram bonæ memo-

riæ Iaroslao Archiepiscopo Gnesneñ, & claræ memoriæ Cazimiro Poloniæ Rege dum in humanis agerent, & eiusdem Regni Baronibus subortæ fuissent, Ioannes tunc Episcopus Cracouieñ ad lites huiusmodi sopiendas, quoddam Instrumentum, dubiorum & litium huiusmodi deciſorium, à bonæ memoriæ Ianusio Archiepiscopo Gnesneñ à ducentis annis amplius emanatum, in medium produxit: continens, quòd cùm inter clarę memoriæ VVladislaum Poloniæ Regem, dũ in humanis ageret, Clericorum & Ecclesiarum, quarum ipse VVladislaus Rex & Milites dicti Regni patroni existebant, ex vna: ac bonæ memoriæ Ioannem Episcopum Cracouieñ, Ecclesiæ suæ nominibus, super decimis noualium, quas videlicet Wladislaus Rex, & Milites, ad Ecclesias, quarum patroni existebant, vt præfertur: Ioannes verò Episcopus præfatus ad mensam suam Episcopalem Cracouieñ, respectiuè de iure spectare asserebant, & controuersia fuisset suscitata. Ac tandem Ioannes Archiepiscopus & VVladislaus Rex præfatus, litium anfractus & discordias prædictas per viam amicabilis concordię terminare decerneñ, præfatus Ioannes Archiepiscopus: & quibus, quoad eiusmodi dissensionum & litium decisionem, idem VVladislaus Rex vices suas commiserat: & quondam Nobiles viri, Nauogius Castellanus, Spicimirus Palatinus, Cracouieñ: & Petrus Castellanus, Sandko Iudex Sandomirieñ: & Petrus Decanus Ecclesiæ Posnanieñ, Cancellarius Poloniæ: & Sulco, aliâs Svvonk Pincerna Sandomirieñ Decretorum Doctor: attendeñ consuetudinem moribus vtentium appprobatam, ac Iuri cõmuni satis consonam, dissensionem prædictam determinârunt. Quòd vbicũq; syluę vel mericæ, aut pars earum ab agris progrediens antiquis, simul vel successiuè extirparentur: agrorũ noualium huiusmodi decimam Rector Parochialis Ecclesiæ, vel Clericus ratione beneficii perciperet, vt prius, ac eo modo, quo agrorum antiquorum decimam percipiebat. V-

Continuatio

bi verõ

bi verò intra gades & limites villæ antiquæ in ſylua vel merica, ſeu in agro aut prato intra ſyluam vel mericam villa locaretur de noua radice, ſiue nuncuparetur vt villa prior & vicina, ſiue non, noualium huiuſmodi decimæ ad Epiſcopi Dicœceſani menſam pertinerent. Si verò villa antiqua more Polonico locata, de vno inculto loco ad alium cultum & arabilem locum transferretur, & eius incolæ antiquos agros colentes aliquid progreſsiuè extirparent, is decimam perciperet, ad quem antea antiquorum agrorum decimæ peceptio ſpectaſſet. Quoquidem Inſtrumento Regi & Baronibus lecto, & vulgari ſermone Polonicè expoſito, quod Caſimirus Rex & Barones omnia & ſingula in illo contenta, rata & grata habentes, laudauerunt, & approbauerunt, ac dilectos filios Caſtellanum Spicimirieñ, & Ioannem Præpoſitum Gneſneñ, ac Ottonem Cancellarium Poloniæ, ad videndas & diſtinguendas nouas villas, ab antiquis in territoriis prædictis deſtinârant, prout in dicto Inſtrumento dicitur plenius contineri. Quare pro parte eorundem Sigiſmundi Regis, & Ioannis Archiepiſcopi, qui ad nos per eundem Regem Orator deſtinatus exiſtit, votis humiliter ſupplicatum fuit, vt decreto & deciſioni prædictis, aliasq; in præmiſsis oportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, quī pacem & concordiam, inter Eccleſiaſticas perſonas prçcipuè, perpetuò vigere ſummis deſideriis exoptamus, dicti Inſtrumenti tenorem, præſentibus pro expreſsis habentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, decretum, deciſionem, & concordiam huiuſmodi Apoſtolica autoritate tenore præſentium approbamus & confirmamus, ſupplemusq; omnes & ſingulos tam iuris quàm facti defectus, ſi qui verè interuenerint in eiſdem. Et nihilominus quòd vbicunq; in Regno Poloniæ, & locis illi vicinis, ac tota Prouincia Gneſneñ, ſyluæ vel mericæ aut earum pars ab antiquis agris progrediens, ſimul vel ſucceſsiuè in futurum extirpabuntur, agros antiquos

contingentes agrorum noualium huiusmodi decimas, Rector Parochialis Ecclesiæ huiusmodi, vel Clericus, aut Canonicus, vel alius quicunq; ratione beneficii per eum obtenti in villa vel territorio noualia huiusmodi euenerint, percipiat vt prius: & sicut antiquorum agrorum decimam percipiebat. Vbi verò intra gades & limites antiquę villæ in sylua aut merica, siue in agro, aut prato, intra syluam & mericam villa locabitur, siue construetur de nouo, aut nuncupabitur villæ antiquæ nomine, siue non: dictarum villarum decimæ noualium huiusmodi ad Archiepiscopi Episcopiq; Diœcesani, in cuius diœcesi noua villa ipsa existit, mensam spectent & pertineant. Si autem villa antiqua modo Polonico locata de inculto loco ad alium cultum locum & arabilem transferatur, & eius incolæ antiquos agros colentes, aliquid progressiuè extirpent, is decimam percipiat, ad quem antiquorum agrorum decimæ perceptio spectabat, autoritate & tenore præmissis, statuimus & decernimus: sicq; per quoscunq; iudices ac causarum Palacii Apostolici auditores, iudicari & interpretari debere, sublata eis & eorum cuilibet aliter iudicandi & interpretandi facultate, ac irritum & inane quicquid secus super his à quoquam quauis autoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus: non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, cæterisq; contrariis quibuscunq;. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, confirmationis, suppletionis, statuti, constitutionis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum. Anno incarnationis Dominicæ, Millesimo quingentesimo decimoquinto. Tertio Calendas Aprilis. Pontificatus nostri, anno tertio.

BVLLA EXEQVVTORIALIS super Noualibus.

LEO Episcopus, seruus seruorum Dei. Venerabilibus fratribus VVratislauiẽ & Olomucẽ Episcopis, Salutem & Apostolicam benedictionem. Hodie emanarunt à nobis literæ tenoris subsequentis. LEO Episcopus seruus seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam. Decet Romanum Pontificem, votis personarum sibi & Sedi Apostolicæ deuotarum, præsertim Regali & Archiepiscopali dignitate fulgẽtium, & per quæ dissensiones & iurgia tolluntur, libenter annuere &c. Cuius tenor de verbo ad verbum suprà immediatè habetur.

Quocirca Fraternitatibus vestris per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos aut alter vestrum, per vos vel alium seu alios, literas prædictas ac omnia & singula in eis contenta, vbi & quando expediens fuerit, & quotiens pro parte Sigismundi Regis, & Ioannis Archiepiscopi prædictorum super hoc requisiti fueritis, solenniter publicantes, ac eisdem Sigismundo Regi & Ioanni Archiepiscopo in præmissis efficaci defensionis præsidio assistentes, faciatis literas prædictas & in eis contenta huiusmodi inuiolabiliter obseruari: nõ permittentes Sigismundum Regem & Ioannem Archiepiscopum præfatos super illis, per quoscunq; cuiuscunq; status, ordinis, gradus, vel conditionis fuerint, contra tenorem literarum prædictarum quomodolibet molestari. Contradictores per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, cõpescendo: inuocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstañ ordinationibus supradictis, aut si aliquibus communiter vel diuisim ab Apostolica sede sit indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per literas Apostolicas, non facieñ plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datũ

Romæ apud ſanctum Petrum. Anno Incarnationis Dominicæ, Milleſimo quingenteſimo decimoquinto. Tertio Calendas Aprilis. Pontificatus noſtri, anno tertio.

PRIVILEGIVM DVCIS MAſouiæ in fauorem Epiſcopatus Poſnanieñ, de libera locatione & perceptione decimarum.

IN NomineDomini Amen. Nos VVladiſlaus Dei gratia Dux Maſouię Ruſsiæq; Princeps. Necnon terrarum Ploceñ, Raueñ, Sochaczouieñ, Goſtineñ, Vizneñ & Belzeñ. dominus & hæres.

Ad præſentium notitiam & futurorum memoriam perpetuò deducimus per hæc ſcripta. Quomodo peculiaris beneuolentiæ affectus & amor attrahit nos præcipuus, vt Eccleſiæ Poſnanieñ, quam progenitores noſtri, ex integerrimo humanitatis ſuæ zelo, largis munificentiæ ſuæ libertatibus refecerunt, atq; donis aç fauore, & beneuolentia reddamus alacres ac continui, ac vt ipſi Eccleſiæ & perſonis Spiritualibus ſibi ſubiectis, pacem opera & ſtudio noſtris teneremus, & quietem, ſolicitudo curæ noſtræ Ducalis compellit nos aſsidua, vnde nonnullas differentias, anfractus, & diſſenſiones, inter nos, Ducem VVladiſlaum, Nobilesq; terrigenas & ſubditos noſtros ſeculares, terrarum noſtrarum Maſouiæ, Diœceſis Poſnanieñ ab vna, & Reuerendum in Chriſto patrem dominum Andream Epiſcopum atq; Eccleſiam ſuam Poſnanieñ prædictam ab alia partibus, ſuper decimis manipularibus, & lini, & aliis cauſis & iniuriis hinc inde ſuſcitatis & exortis, per viam amicabilis concordiæ conſopire, præfatoq; domino Andreæ Epiſcopo, & Eccleſiæ atq; Clero ſuis, iuſtũ fauere, ſicut dignum eſt, & quietem in dictis decimis procurare volentes, conſuetudini aliàs per diuæ memoriæ prædeceſſores

ceſſores noſtros & ſubditos terrarum noſtrarum Maſouiæ, Diœceſis Poſnanienſis prædictæ, ac dominos Epiſcopos Poſnanieñ, Clerumq; ipſis ſubiectum in decimis huiuſmodi & earum decimatione ſeu ſolutione, à longe retroactis temporibus, vſq; hactenus tentæ & obſeruatæ inniteñ, ad talem cum domino Andrea Epiſcopo & Eccleſia ſua, & Clero ſibi ſubiecto cum Nobilibus terrigenis & ſubditis noſtris ſecularibus Diœceſis Poſnanieñ, ex certa noſtra ſcientia & fideli Baronum & Nobilium noſtrorum conſilio, atq; de vnanimi terrarum noſtrarum Nobilium terrigenarum & ſubditorum noſtrorum prædictorum voluntate & aſſenſu, amicabilem concordiam & vnionem deuenimus, perpetuò duraturam, prout in Articulis ſupradictis regulatum exiſtit & expreſſum.

Inprimis itaq; ſtatuimus, laudamus, & propter bonum pacis futuræ tenore præſentium decernimus: quòd exnunc, & perpetuò omnes & ſinguli ciues, oppidani, cmetones agros colentes noſtri Ducatus, necnon omnium & ſingulorum Nobilium terrigenarum, & terrarum noſtrarum quarumcunq; & quarumlibet, cuiuſcunq; gradus & conditionis exiſtant, more & conſuetudine terrarum noſtrarum Maſouiæ, hactenus inter nos, Epiſcopos Poſnanieñ, & Clerum ipſis ſubiectum, Nobilesq; terrigenas & ſubditos noſtros ſeculares, in decimis huiuſmodi & ipſarum ſolutione ſeu decimatione tentis & ſeruatis, decimas manipulares cuiuſcunq; & cuiuslibet grani & ſeminis, videlicet, ſiliginis, tritici, auenæ, ordei, piſæ, ſcruti, lenticulæ, ac etiam decimam lini, duntaxat per vnum groſſum præfato domino Andreæ Epiſcopo & Eccleſiæ ſuæ Poſnanieñ, ſeu Prælatis & Canonicis, & Presbyteris, Altariſtis, ac aliis perſonis Spiritualibus, quibus ipſæ iure debentur, dare & ſoluere tenebuntur & debebunt, abſq; vllo impedimento & interpretatione ampliori: & præterea Cmethones, ad ductum huiuſmodi decimarum, erunt & debebunt eſſe eidem domino Epiſcopo & Eccleſiæ ſuæ Poſnanieñ, ac aliis perſonis Spiri-

nis Spiritualibus perpetuò obligati: & nos Dux Wladislaus præno[illegible]inatus, ac Nobiles terrigenæ & subditi nostri non debebimus præfatum Andream Episcopum seu factores suos, ac alias personas Spirituales quascunq; & quaslibet, in locatione earundem decimarum quoquo modo impedire, sed licebit ipsis eadem apud emetones, quos ad id sibi nouerint vtiliores, locare quietè & securè, omni nostro seu Officialium, terrigenarum & subditorum nostrorũ impedimento procul moto. Nobiles verò de agris prædialibus ac aliis, quòd suis duntaxat propriis colunt aratris, ipsorũ Plebanis quorũ curę iure subsunt Parochiali, decimas manipulares in grano quolibet, vt præmissum est, & semine, prout moris est atq; iuris, annis singulis dabunt effectiuè: non tamen ad ductum earum tenebuntur emetones. Poterint tamen Plebani eadem decimas liberè, si voluerint, ad horrea sua conducere, ac de ipsis, prout ipsis expedierit, disponere.

Item. Quoties factores præfati Domini Andreæ Episcopi seu successorum suorum Episcoporum Posnanieñ, aut etiam Prælatos, Canonicos, Presbyteros, Altaristas, & alias personas Spirituales, decimas suas in terris nostris Masouiæ, prædictæ Diœcesis Posnanieñ decimare contigerit, volumus & decernimus, quòd circa decimationem huiusmodi ipsis nõ inferantur dispendia, ne ab eo, quod ipsorum est, excludantur, talem obseruari morem & consuetudinem, quòd, postquã frumenta omnia cuiuslibet grani, more solito, in campis in toto fuerint messa, & ritè collecta, extunc factores, seu decimarum collectores præfati Domini Andreæ Episcopi & successorum, & Prælatorum, Canonicorum & Presbyterorum, Altaristarum, aut aliarum personarum Spiritualium, in primo agro ciuitatis, oppidi & villæ, computatis nouem capeciis, decimum capete de quolibet grano & semine pro decima tollent: & sic facient immediatè de eodem ab alio quolibet, eiusdem villæ, ciuitatis seu oppidi agro progressiuè: denique co-

niq; coloni, messores, siue conuenti ad metendum laboratores, expeditis & solutis decimis, de communi collectura id quod ipsos concernet, pro laboribus eorum recipient & colligent.

Item. Omnes Sculteti siue Aduocati, Plebei, & Nobiles, tam in villis nostris Ducalibus, quàm Nobilium nostrorum, Diœcesis Posnanien prædictæ, & in Iure Teuthonico Chelmen residen, seu locati, prout & cæteri Cmethones agros colentes, præfato Domino Andreæ Episcopo & successoribus suis Episcopis Posnanien, seu illis personis Spiritualibus, ad quas illæ decimæ de iure dignoscuntur pertinere, de agris Aduocatiarum siue Scultetiarum suarum decimæ sint obnoxii, & obligati: exceptis Nobilibus, quibus nos pro eorum seruitiis aliquos agros in villis siue bonis nostris iure hæreditario nobilitati duxerimus dandos, & qui coram nobis, & non Iure Teuthonico prædicto, citati respondebunt, qui Nobiles decimam more aliorum Nobilium terrarum nostrarum Masouiæ prædictarum dare non sint adstricti. Volumus præterea, decernimus, & laudamus, quòd liceat præfato Domino Andreæ Episcopo & successoribus suis, ac aliis personis Spiritualibus, decimas ipsorum liberè, cessante impedimento, cum straminibus tam in campis quàm in horreis vendere: & emptor decimæ huiusmodi, quam & quas emerit, siue ipsam aut ipsas triturauerit, aut non, nihilominus ipsam aut ipsas decimas pro se cum straminibus recipiet, & quò voluerit liberè adducet: eo saluo, quodsi fortè præfatus Dominus Andreas Episcopus Posnanien, aut aliæ personæ Spirituales, decimas huiusmodi, pro se & vsibus ipsorum triturantium: extunc medietatem straminis, ex huiusmodi triturationc prouenientis, pro se tollent, reliquam verò medietatem illi cmetoni, apud quem decima stabit reposita, relinquere debebunt & tenebuntur.

Item. Liceat præfato Domino Andreæ Episcopo, & aliis

personis Spiritualibus, absq; vllo impedimento, siue aresto nostro, seu Officialium nostrorum, aut etiam terrigenarum nostrorum, Nobilium, vel procuratorum ipsorum decimas liberè vendere, illi seu illis, cui vel quibus voluerint, aut vtilius potuerint: nec debebunt, per nos Ducem Wladislaum seu Officiales, aut etiam Nobiles & terrigenas nostros prædictos, vel eorum procuratores, alia propinquitate, aut alia quacũq; occasione in venditione huiusmodi quoquo modo impediri.

Item. Dominus Andreas Episcopus prædictus & successores sui ac aliæ personæ Spirituales, decimas suas hyemales, aliâs Oziminy, incipieñ à principio messis, vsq; ad festum Sancti Bartolomei: annonas verò, aliâs, Iarzyny, à festo Sancti Bartolomei vsq; ad festum Natiuitatis Mariæ, immediatè sequeñ, falcastratas etiam decimare tenebuntur & debèbunt. Quodsi factores præfati domini Episcopi, seu aliarum personarum Spiritualium, ante festa præscripta, videlicet, S. Bartolomei & Natiuitatis Mariæ ad decimationem huiusmodi venire noluerint, seu neglexerint auisati, extunc ille Cmetho, apud quem decima stare debet, cum duobus Scabinis ciuitatis, oppidi, aut villæ, post lapsum dictorum festorum, mox dictam decimam indemniter in horreum suum conducet & conduci procurabit.

Item. Testamenta per quamcunq; personam Spiritualem aut secularem, cuiuscunq; gradus, status, conditionis, & præeminentiæ fuerint condita, exnunc & perpetuò iuxta sacrorum Canonum sanctionem, debent per exequutores debitæ demandari exequutioni, absq; nostro & successorum nostrorum siue Officialium impedimento, & aresto. In cuius rei testimonium Sigillum nostræ Mtãtis est appensum, Sigilloq; minori cæra rubea à tergo impresso. Actum & datum in Sochaczow, feria secunda infra octauas Ascensionis Domini, Anno eiusdem, Millesimo quadringentesimo quadragesimo sexto. Præsentibus ibidem Magnifico, Strenuis & Nobilibus Dominis,

Dominis, dignitariis noſtris, Andrea de Czechomice Palatino Maſouiæ, Saſino de Sczawno Ploceñ, Gotardo de Ribno Sochaczouieñ, Adamo de Ziczko Goſtineñ, Zauiſio Raciazneñ, Caſtellanis, Boruta de Giglovo Pincerna, Ioanne de Kutno Succamerario Goſtineñ, Staniſlao de Strzegocin Plocen, Grzywkone de Mikolaiovo Sochaczouieñ, Nicolao de Trambki Goſtineñ, Iudicibus. Ioanne Ieſz Vexilifero, Abrahamo de Kretkovice Dapifero Sochaczouieñ, Goliaſz Marſalco noſtro, & Staniſlao Cancellario noſtro Viſneñ, qui præſentia habuit à nobis in commiſsis.

DE STATV MONACHORUM & Canonicorum regularium.

Ex antiquis.

COmpaternitatem à Monachis & Monialibus contrahi diſtrictiùs inhibemus, ſtatuentes, vt ſi aliqua clauſtra Monialium ad inopiam tantam deuenerint, quòd ipſi de prouentibus Monaſterii ſuſtentari non poſſunt, & ab amicis panem, vinum, denarios, vel aliquid huiuſmodi tranſmittatur eiſdem, non hæc priùs recipiant, quàm Abbatiſæ & Magiſtræ ſuæ id ſignificent, vt de eius arbitrio, quod de hoc quod miſſum eſt fieri debet, ſtatuatur, & labores earum veniant in cõmune. Idem de Monachis volumus irrefragabiliter obſeruari.

Nullus Monachus in Abbatem, vel ad aliquod officium, niſi dudum profeſſus fuerit, aſſumatur: & ſi aliter ſunt aſſumpti, à ſuis remoueantur officiis, & alii ſubſtituantur eiſdem: quod de Monialibus etiam decernimus obſeruandum.

Nouitii iam adulti, ſi poſt annum probationis in manus Abbatis facere profeſsionem recuſauerint, de Monaſterio expellantur. Quod etiam de Monialibus obſeruetur.

Præcipimus, vt Abbates, Præpoſiti, Priores Monachorum, Ca-

rum, Canonicorum regularium, necnon Abbatiſæ, Magiſtræ, & Prioriſæ Monialium tam in ſeipſis, quàm in ſubditis, prout cuiuſcunq; ſpectat ad officium, vitam & conuerſationem exhibeant, ac habitum deferant regularem, ſeipſos ac ſuos ſubditos habentes, præcipuè quæ ipſorum profeſsioni obuiant, & ordinis honeſti non congruunt, puta, circa exquiſitum ornatum, vel notabilem exceſſum in veſtibus, cibis, & potibus, equitaturis, & lectiſterniis, annulis, & ſimilibus ſuperfluitatibus, ſeu taxillorum, alearum, & ſaccorum ludis, & corearum laſciuiis, totaliter cohibentes, iuxta diſpoſitionem ſuæ regulæ, & ſacrorum Canonum inſtituta, ſolicitè prouidentes, quòd nullus Monachus vel Canonicus regularis, ſeu Monialis, niſi ratione adminiſtrationis, ſeu officii poſſeſsionis, reditus, vel aliquid quicquam proprii habeant: quinimò illud quod cuilibet ſingulari perſonæ ex ſuo labore vel artificio, aut parentum amicorum ſuorum largitione obuenit, ſuperioribus manibus offeratur, vt per ipſius prouidentiam circumſpectam, emolumentis huiuſmodi communicatis, ſingularium perſonarum neceſsitas ſubleuetur. Apoſtatasq; ſuos requirant & repetant, ac ipſos carcerum pœnis afficiant, & voluntariè reuertentes paternè ſuſcipiant, ſalua ſemper pœnitentia regulari. Adiicientes, quòd mitris magnis ad modum perſonarum ſecularium non vtantur. Et quoniam quidam religioſi tantummodò ſuæ nationis ſeu idiomatis perſonas, & non alias, ad ordinem recipere frequentius conſueuerunt: & cùm in hoc non debeat acceptio fieri perſonarum, volumus & ſtatuimus, vt quaſcunq; perſonas, dummodo ſint idoneæ, cuiuſcunq; nationis vel idiomatis fuerint, indifferenter ſuſcipere teneantur, & ad hoc faciendum per ſuos Ordinarios compellantur.

Et quia inhoneſtum exiſtit, quòd Canonici regulares, vel Monachi, diuerſis veſtibus veſtiantur, cùm ex hoc proueniat inuidia, murmur, & ſcandalum inter ipſos, ſtatuimus, quòd omnes

omnes Monastica vel regulari Canonica, & sub eadem professione morantes, indifferenter vno & eodem vestiario induantur: prohibentes expressè, ne quis eorum vestes aliquas alicuius coloris, nisi tantummodò albi vel nigri, seu grisei, habere præsumant. Quibus brutnicum, glaucum, rubeum, leonatum, & alium quencunq; pannum notabiliter delicatum interdicimus vniuersis, vt vestes nõ habeant breuitate vel longitudine deformatas. Qui verò in prædictis excesserint, per suos Diœcesanos vel superiores castigentur, salua discretione vel distinctione diuersorum ordinum seruata inter Monachos siue Canonicos, siue conuersos.

Et quia, sicut audiuimus & vidimus, quidam Monachi & Canonici regulares, sicut Clerici & laici seculares consueuerunt incedere, in animarum suarum periculum & scandalum plurimorum, præcipimus, vt Canonici regulares, sine superpliciis vel tunicis lineis seu cappis clausis, Monachi verò sine cappis aut cucullis seu scapularibus, extra domos suas, de cætero non incedant, nec etiam intra domum. Si verò contra facere præsumpserint, administrationem habentes, eam ipso facto amittant, & Monachus siue Canonicus regularis per Abbatem, Priorem, Præpositum puniatur. Et si negligens fuerit, per Episcopum suppleatur.

Statuimus, vt à die quatuor Coronatorum, vsq; ad diem Natalis Domini, à carnibus, omnes Monachi cuiuscunq; sint ordinis, præter infirmos & debiles, & delicatos, cum quibus Abbates discretione præuia poterint dispensare, abstineant: omnibus diebus absq; Dominicis ieiunantes. Poterit tamen Abbas ex causa, cum aliquibus, vt aliquando bis comedant, dispensare: nec comedant ter in die nisi pueri & infirmi, vel qui in refectorio degent à Septuagesima vsq; in Pascha, quantum ad esum carnium.

Idem præcipimus firmiter obseruari, ne comedant extra domos suas in Parochiis, nisi quando procuratio ab aliquibus debe-

bus debetur eisdem. Canonicos regulares, suam regulam regulariter præcipimus obseruare. Præcipimus etiam, quòd nullus Canonicus regularis, diebus Lunæ & Mercurii, carnes in refectorio comedat, nisi festum fuerit nouem lectionum. Similiter silentium in claustro & dormitorio firmiter præcipimus obseruari. Horis debitis & statutis, in loco, vbi adminus duo vel tres Monachi aut personæ regulares Canonicæ commorantur: ita scilicet, quòd nullus audeat loqui, nisi voce adeò submissa, quod tertius audire non poterit, vel non possit.

Quoniam sicut audiuimus, quidam Monachi, & Canonici regulares aliquorum Monasteriorum consueuerunt extra septa Monasterii tam patenter quàm latenter, tam turpiter quàm damnabiliter per terram sæpiùs diuagari. Statuimus, quòd nullus, excepto Capellano, & illis quibus ex necessitate administratio competit, septa Monasterii sui exire audeat, nisi priùs ab Abbate, Priore, vel Præposito: & si Abbas, vel Prior, aut Præpositus præsentes non fuerint, ab eorum Vicariis vel aliis potestatem habentibus, eis specialiter licentia sit concessa: quibus Abbas seu Prior, vel Præpositus, vel eorũ Vicarii, sine causa necessaria vel rationabili exeundi licentiam non concedant, nec etiam obtenta licentia sine socio quispiam exire præsumat. Si verò Abbates, Priores, Præpositi, vel alii regulares Prælati, seu eorum Vicarii, in aliquo præmissorum negligentes inuenti fuerint, vel remissi, per suspensionis vel maioris vindictæ sententiam à Diœcesanis suis se nouerint puniendos.

Prohibemus, ne Monachi vel Canonici regulares Ecclesias ad curam recipiant, vel conducant, aut sine licentia Diœcesanorum Episcoporum vel aliorum Ordinariorum in Parochialium Ecclesiarum Capellis existant, sed ad sua Monasteria redeant, & donec redierint alibi non celebrent.

Si quis

Si quis religiosus inuentus fuerit cum canibus & auibus venatoriis, cuicunq; occupanti conceduntur à nobis.

Matthiæ Drzeuicii. Anno 1530.

SAcra Synodus ad bonum publicum decreuit exequutioni demandandum Statutum Prouinciale Petricouiẽ cap: 1. de conceſſ: præben: circa finem in nouis, vt ſcilicet Abbates in generali Academia ſuis ſumptibus quotannis ſcholares fouere teneantur. Alioqui contrafacientes pœna Statuti per dominos Ordinarios puniantur, ſecundum Statuti eiuſdem diſpoſitionem.

Ibidem. Anno 1532.

ECcleſia ſancta charitatem communem omnibus Clericis eſſe volens, ac diſcordiarum fomitem remouens, diſtinxit, Statuto Eccleſiaſtico per diuerſos ordines, ita vt alter in alterius meſſem falcem ſuam non mitteret. Quia tamen religioſi, præſertim mendicantes, ſeu obſeruantes, norma contemplationis & prædicationis non contenti, iura Plebanorum curatorum plerunq; præripiunt, in ſacramẽtis populo ſuæ curæ nõ ſubiecto miniſtrandis, in caſibusq; reſeruatis abſoluendis. Decernit itaq; ſancta Synodus, vt quilibet ſui ordinis officia & non aliena adminiſtret: in aliena officia præter Ordinarii admiſsionem ſe non immiſcendo, ſub pœna excommunicationis.

Ibidem. Petri Gamrati, Anno Domini, 1542.

DEcreuit hæc ſacra Synodus, vt Abbates & Præſati religioſi, iuxta Statuta Prouincialia & conſtitutiones Synodales, ſeruent fratres ordinum ſuorum in ſtudio generali

Craco-

Cracouieñ. Alii verò de maiori Polonia in ſtudio Poſnanienſi, præter Trzemeſzneñ & Vągroueceñ, qui Cracouiæ ſuos fratres tenere debent. Quod quidem facere teneantur Abbates prædicti, hinc ad ſex menſium decurſum, ſub pœna decem marcarum pecuniarum, annis ſingulis per Lociordinarios repetenda, & ſtudio Cracouieñ applicanda.

Eiuſdem. ibidem, Anno 1544.

PRætęrea, cùm Synodus ſupplicaret diligenter ąmis Dominis Archiepiſcopo & Epiſcopis, ne in confirmandis electis Abbatibus & Præpoſitis, quorumcunq; ordinum ſeſe difficiles, prætextu eiuſdem conſtitutionis Regni, præbeant: Maximè cùm experientia edoctum ſit, rem ipſam fore admodum Monaſteriis ipſis damnoſam, & libertati Eccleſiaſticæ contrariam, fueritq; per actus contrarios eidem conſtitutioni contrauentum. Promiſit libenter ąmus Dominus Archiepiſcopus, & promittit, quantum in ſe eſt, daturum ſe operam, vt in deſuetudinem conſtitutio illa veniat, & Præpoſitum Miechouieñ, Abbatemq; Vągroueceñ, confirmaturum ſe omnino recepit.

Nicolai Dzierzgouii. Lanciciæ, Anno Domini, 1547.

SAcra Synodus Statuta vetera innouando decreuit, quòd Priores & Guardiani Eccleſiarum Conuentualium exemptarum & non exemptarũ, quorumcunq; ordinum, illos quos muneri prædicandi vel confeſsionibus audiendis præficient, Lociordinario ſingulis annis præſentare teneantur, ſintq; adſtricti deinceps.

Eiuſdem. Petricouiæ, 1551.

ILle quoq; grauis & antea inauditus iniuriæ ictus Monaſteriis videtur eſſe inflictus, ab eis, qui deberent iura ac priuilegia

legia ipsorum manutenere, & illibata custodire, ea tamen illis sæpiùs ab illis irritantur & infringuntur, dum scilicet ab eisdem in Abbatias, titulo Commendarum, vel etiam Coadiutoriarum, seculares personæ, regulam nunquam professæ, de facto intruduntur, reuera non Monasteriorum neq; deuotionis causa, sed duntaxat, vt cupiditati & ambitioni illorum satis fieret. Quare decreuit sacra Synodus, vt R.mi domini Locorumordinarii, officii sui, quod tuendis iuribus Monasticis debent, sint memores: & ipsi ab intrudendis quouis modo & titulo in illa secularibus personis abstineant, & per alios quoscunq; id fieri non patiantur. Sed occurrente cuiuscunq; Abbatiæ, aut Præposituræ regularis vacatione, præcludendo viam improbo & ambitioso huiusmodi ingressui, statim vt intellexerint de vacatione Abbatiæ talis aut Præposituræ, viros maturos de gremio sui Capituli, pro die constituta electionis, ad Monasteria sic vacantia mittant, qui huiusmodi electioni interfint: diligenterq; Conuentus Monasteriorum admoneant, vt ad Abbatias aut Præposituras sic vacantes, viri pii, graues, & exemplares, regulæq; periti, ac vitæ sanctimonia conspicui, & ad res gerendas idonei eligantur & promoueantur. Si verò tales Conuentus merè, liberè, ac simpliciter, Secularem, in sacris tamen constitutum, postulare mutuo consensu voluerint, talis non priùs benedicatur, nec eius electio seu postulatio approbetur, quoad professionem omnium substantialium regulæ in manibus Ordinarii sui, habitu priùs regulari & tonsura susceptis, solenniter fecerit.

Cæterum, attendens sacra Synodus, religiosos, qui speciali voto alicui regulę atq; ordini se obstringunt, ab actiua vita & curis mundi huius solutos, soliq; illi cœlesti vitæ esse mancipatos, orationi & contemplationi vacare debere: Proinde decreuit, vt omnino Monasteriorum & Conuentuum Abbates & Præpositi, cæteriq; patres regulares, de instituendis

in sacris literis suis fratribus in Monasteriis eorum curam habeant, & vt binos & binos singulis bienniis in vniuersitate Cracouien, vt bonis imbuantur literis, ex præscripto Statutorum Prouincialium foueant, diligenterq; curent, vt ex studio reuocati, aliquem diligentiarum suarum fructum proferre, eumq; in Monasteriis suis aliis fratribus declarare valeant, aliquos in sacris literis authores probatos prælegendo. Ipsi quoq; Monachi & religiosi certis horis, quæ illis ab officiis diuinis supersunt, lectioni & recitationi diuinarum scripturarum intendant, & in illis se exerceant: ita, vt vrgente necessitate, inde ad regendas plebes, & ad prædicationem verbi Dei, administrationemq; sacramentorum, de licentia suorum superiorum, per Lociordinarios, iuxta dispositionem iuris communis assumi, & in partem solicitudinis curæ animarum vocari valeant.

Et quoniam in nonnullis Monasteriis priuilegia & tales dotationes reperiri dicuntur, per quæ illa Monasteria ex fundatorum ordinationibus, ad seruandum certum puerorum numerum Nobilium, arbitrio Ordinariorum deputandorum obligantur: ob id decreuit Sacra Synodus, vt singuli Ordinarii in suis Diœcesibus omniũ Monasteriorũ Priuilegia, certo ad id electo competenti tempore, per se aut aliquos, de medio Capituli sui ad id deputatos, reuideant, & ita diligenter superintendant, & sedulò curent, vt vbi vel in spiritualibus, vel in temporalibus ipsorum Priuilegiorum vsus intermissus fuerit, communicato consilio & assensu illius ordinis Comissariorum vel superiorum, Priuilegia ipsa in eorum dispositione conseruentur. Si autem aliqui Abbates suorum Priuilegiorum vsum huiusmodi amisisse per negligentiam reperti fuerint, super hoc Ordinarii sufficiens examen & informationem recipiant: ac vt id, quod neglectum est, in vsum & exequutionem deducatur, cum Capitulis suis prouideant.

Ex eisdem

Ex eisdem, Eiusdem.

COmmissarii & visitatores Monasteriorum, sic visitationes suas obeant, quòd Monasteria ipsa non grauent sumptibus. Veniantq; illuc non magno comitatu sed mediocri, iuxta præscriptum suorum Statutorum: & visitatione citra omnem moram absoluta, non amplius illic immorantes discedant: & vacante Abbatia sine præsentia dominorum de Capitulo eius Diœcesis, in qua est situm, deputatorum, ad electionem futuri Abbatis procedere deinceps non præsumant.

Eiusdem. Lanciciæ 1556.

AD Abbatias autem & Præposituras regulares (ad quas quorũdam secularium Clericorum recipi solet damnabilis ambitio) non nisi regulares & professi, iuxta dispositionem iuris communis deinceps eligantur, & non aliâs per Ordinarios benedicantur: in ipsosq; domini Locorumordinarii diligenter, iuxta veteres constitutiones Prouinciales, intendant, vt scilicet regulariter & sine scandalo viuant, habitumq; & tonsuram sui ordinis deferre non erubescant.

Fratres verò sui ordinis studere volentes, in studiis generalibus seruentur, & in Monasteriis certum numerum scholarium, & magistros, qui eos ac nouitios fratres eorum ordinis doceant, iuxta dispositionem eorundem Statutorum Prouincialium dudum super hoc editorum, teneant & habeant.

Capellas etiam suorum Monasteriorum, maximè Parochiales Ecclesias seu Præposituras, pensionibus indebitis non grauent, nec illis onera aliqua in eorum colatione seu præsentatione imponant: Quandoquidem sine aliqua diminutione conferri debent sacerdotia huiusmodi. De quo Reuerendissimi domini Locorumordinarii, vt super hoc diligenter in suis Diœcesibus intendant, Synodaliter sunt admoniti.

DE CAPELLIS MONA-chorum. Ex antiquis.

NVllus religiosus cuiuscunq; ordinis continuè deseruire valeat in Parochialibus Ecclesiis secularium vltra octo dies, absq; illius Parochialis Ecclesiæ Ordinarii licentia speciali. Qui verò tales scienter vltra dies octo, loco Capellanorũ ad celebrandũ, vel Ecclesiastica sacramenta ministrañ tenuerint, aut sustinuerint, sint ipso facto ab omniũ ordinũ exequutione suspensi. Quæ suspensio per Diœcesanos Episcopos (imposita tamen eis primitus super huiusmodi excessu seu transgressione pœnitentia competenti, ac iniuncto sibi, quòd in talibus vlterius non excedant) valeat relaxari.

DE IVRE PATRONA-tus. Ex antiquis.

AD extirpandam illam detestabilem corruptelam quorundam Ecclesiarum patronorum, qui Rectoribus eorum defunctis, spoliant domum & Ecclesiam rebus mobilibus & interdum immobilibus, in salutis propriæ dispendium & scandalum plurimorum. Statuimus, vt siue laicus siue Clericus hoc facere præsumpserit, sit à iure præsentandi ea vice suspensus, & Lociordinarius conferat Ecclesiam ista vice: vterq; etiam scilicet præsentans & præsentatus excommunicetur, & arctiùs euitentur, donec debita satisfactione restituant sic ablata.

Detestanda quorundam patronorum seu aduocatorum cupiditas, in tantum metas suæ potestatis excedit, quòd cùm aliqua Ecclesiastica beneficia vacare contigerit, quorum ad ipsos ius pertinet patronatus, nullam idoneitatem præsentandarum personarum, siue Ecclesiarum siue plebium vtilitatem attendentes: sed imitatores quærunt Clericos Simonis successores, quos recepta ab eis certa summa pecuniæ siue de ipsa in

ipsa in posterum persolueñ, aut promissione de remittendis sibi vel non repetendis etiam ab eis decimis, vel aliis Ecclesiæ iuribus, aut quodsi eis displicentiam fecerint, Ecclesias ipsas dimittere, & literas præsentationis & institutionis suæ ipsorum manibus tradere teneantur, aut similibus pactionibus præmissis, demum eos instituendos Episcopo repræsentant. Ne igitur huiusmodi execrabile genus mercationis ius sibi vendicet de cætero, contra Canonicas sanctiones, hoc sancto approbante Concilio definimus, quòd patronus Clericus vel laicus, qui ex conuentione vel pacto quolibet præmissorum, vel simili, deprehensus fuerit aliquem præsentasse, eo ipso pro illa vacatione ius præsentationis amittat, & protunc beneficium huiusmodi per eum, ad quem ipsius institutio pertinet, conferatur: præsentatus verò taliter, non solũ eodem beneficio sit indignus, sed ipso facto reddatur inhabilis ad sacros ordines, & ad quæuis Ecclesiastica beneficia obtinenda.

Ex Nouis.

IN beneficiis Iurispatronatus laicorum ad Ordinarium deuolutis, ius commune seruetur. Pro scamnis autem, Cathedris, & locis prioribus & honestioribus in Ecclesiis Parochialibus, materiam iurgiorum nobilitati sæpenumerò præbentibus: volumus, vt nobilitas in foro Ecclesiastico experiatur, quorum differentiæ vel potioritate Iurispatronatus, cùm patronos in Ecclesia præ cæteris honorare oporteat: aut xxx annorum præscriptione longissima, per Iudicem Ecclesiasticum terminetur.

DE CENSIBVS ET EXACTIonibus. In Synodo Lancicienſi prima.

Ex nouis.

DEcreuit Synodus, vt iucundus ingressus, qui vsitatiori vocabulo, receptio in Ecclesiam, dicitur, detur iuxta an-

liquam consuetudinem: modò id non procedat ex pacto, sed ab recepto exigatur. Pecunia autem taliter recepta, ad ornamenta Ecclesiæ conuertatur, & ratio de ea fiat domino Ordinarioloci & Capitulo.

In eadem.

INsuper constituit, vt grossi pro quitantiis à dantibus denarium S. Petri per collectores seu succollectores ad id constitutos non exigantur. In quo commisit Synodus Reuerendissimum dominum Episcopum Wratislauien collectorem eiusdem denarii per nuncium D. suæ auisari. Alioquin decreuit hoc summo Pontifici aut Cameræ Apostolicæ referendum, & rogandum, vt hoc prohibeatur, quia iste grossus nec in ratione computatur apud agentes Cameræ, nec ad vllam sedis Apostolicæ vtilitatem per succollectores exigitur, magno cum præiudicio Cleri.

In Synodo Lancicien secunda.

ARduis & legitimis persuasi rationibus, statuimus & interdicimus perpetuò, quòd deinceps nullus Ordinarius beneficium nouum super censibus in vim reemptionis, dictis vulgariter Widerkoffy, erigere: nec Clerici cuiuscunq; ordinis & status prædictos census emere, vel augere, in bonis ad expeditionem bellicam obligatis valeant in futurum: antiquis beneficiis duntaxat exceptis, ad quorum conseruationē noui & veteres census annecti & incorporari possunt. Maximè si summæ censuum capitales à censitis restituerentur, & pro eis noui census pro conseruatione antiquorum beneficiorum emerentur. Contrafacientes, hac pœna puniendi, vt si capitalis summa ad centum florenos vel infra se extendit, illā perdant: si supra centum florenos, tunc pœna centum florenorum puniantur.

In eadem.

ITem. Statuimus, vt bona Ecclesiarum, Episcopatuum, & beneficī-

beneficiorum per Archiepiſcopum, Epiſcopos, & quoscunq; Clericos, etiam regulares, non arendentur deinceps quibuſcunq; perſonis.

In eadem.

ET quoniam pleriq; iudices Eccleſiaſtici, eorumq; Cancellarii & Notarii, in exigendis ſalariis, pro iudicialibus & extraiudicialibus proceſsibus & literis, ſicut experientia docet, nimium ſe reddunt oneroſos, vt oppreſsi ſubditi huiuſmodi extorſiones nequeant ſupportare, & pleriq; cauſas eorum malunt derelinquere indefenſas, quàm onus talium depactationum ſuſtinere. Quod vel ex eo euenit, quia in Diœceſibus Prouinciarum noſtrarum non eſt taxa vniformis proceſſuum, ſed alibi maior & oneroſior, & alibi minor. Nos igitur attendentes, quòd parentes debent theſaurizare filiis, non deliciis faſtigioſis eorum ſubſtantiam abſorbere, ac cupientes pro diuerſitate cauſarum & litigantium facultatem, certum modum deificum, ſupportabilem & vniformem omnibus iudicibus Eccleſiaſticis, etiam Archiepiſcopis & Epiſcopis, eorum Cancellariis, Curiæ auditoribus, Officialibus, Notariis & Tabellionibus, in omnibus noſtræ Prouinciæ Diœceſibus, de cætero obſeruandum ſtatuere, hoc ſacro approbante Concilio, elegimus & deputauimus quatuor viros idoneos, videlicet, Ioannem Choinski Cracouien̄, Ioannem Gorski Poſnanien̄ Archidiaconos: Georgium Myſzkowski Canonicum Gneſnen̄, vtriuſq; Iuris Doctores, & Felicem Naropinski Canonicum VVladiſlauien̄, qui taxas omnium Diœceſum in vnam formam generalē in tota Prouincia noſtra obſeruandam redigerent & moderarentur. Qui obtulerunt nobis taxam Eccleſiæ metropolitanæ Gneſnen̄, inter alias minorem & honeſtiorem, quam adhuc in pleriſq; locis fecerunt moderatiorem. Quam in vim & formam Statuti

Prouinci-

Prouincialis inferi decreuimus, ab omnibus iudicibus præfatis eorumq; Notariis inuiolabiliter obseruandam: quam deinceps non Ecclesiæ tantùm, sed totius Prouinciæ Gnesneñ taxam dici & nominari volumus perpetuò & in æuum. Cõtrafacientes, pœna dupli parti læsæ, & pœna Synodali Ecclesiæ maiori applicanda, per superiorem irremisibiliter puniendi. Cuius tenor taxæ sequitur.

Taxa Processuum Iuris, Consistorii Spiritualis.

IN causis Ordinariis Citatio, vnus grossus, siue sit vnus vel plures Iudices apud Episcopos. Apud Officiales, medius grossus. Contumacia siue contra vnũ siue contra plures, vnus grossus. Aggrauatio, duo grossi: reaggrauatio, tres grossi: cõtra participantes quatuor grossi. Interdictũ quodlibet, & quotquot sunt personæ, sex grossi. A qualibet absolutione prædictarum censurarum, duo grossi. Instrumentum appellationis sedecem grossi. Remissoria pro examine testium, sex grossi: pro examine cuiuslibet testis super simplici propositione examinati, duo grossi. Si verò super articulis quãtumuis magnis, sex grossi. Si super interrogatoriis, nihil, si dantur ad numerum tredecem, vltra generalia, quæ in hoc numero tredecem computari non debent, sed tantum specialia. Si autem supra tredecem, tunc pro quolibet interrogatorio vnus grossus. Copiæ pro viginti quatuor rigis in media carta ex vtraq; parte scripta vnus grossus. Ab oblatis & admissionibus quorũcunq; processuum, nihil. A notis iudicialibus apud Ordinarios, medius grossus. Apud foraneos Officiales sex denarii. A notis obligationum & constitutionum, vnus grossus. Commissio sex grossi. Commenda simplex, quatuor grossi. Crida cum Cõmenda, sex grossi. Significatoria pro institutione, quatuor grossi. Exequutoriales sine sententia, sex grossi: cum sententia, duodecem grossi. Et in beneficialibus in pergameno, vnus florenus. Pro transsumpto senten-

pto ſententiæ definitiuæ ad Curiam Romanam vel alibi trãſportando, in pergameno & ſigillo appenſo, vna marca. Authoritas audiendi confeſsiones, duo groſsi. Indultum ad copulandum, duo groſsi. Ad celebrandum extra Eccleſiam, ſex groſsi. Carnes manducandum ex neceſsitate, duo groſſi. Dimiſſoria, duodecem groſsi. Subdelegatio cauſæ, duo groſsi. Pro confirmationibus teſtamentorum, ſi teſtamentum continet centum florenos, vna ſexagena. Si ſupra centum, ad quamcunq; ſummam non vltra quinq; floreni. Hoc prouiſo, quòd paruus exceſſus ſupra centum, non augeat taxam. De inſtitutionibus & prouiſionibus beneficiorum mos antiquus & bulla Prouincialis ſeruetur. Pro erectionibus beneficiorum à marca prouentus, medium florenum. Pro regeſtro in vno folio papyri, duo groſsi: ita quod medietas folii contineat rigas vigintiquatuor, & non minus, & ſcribatur ſcriptura comprehenſiua non extenſa. Citatio Apoſtolica, vnus ferto. Si in ea eſt inſertio Commiſsionis, aliàs ſex groſsi: & hoc ſi eſt in pergameno. Nam ab ea, quæ eſt in papyro, abſq; inſertione Commiſsionis, quatuor groſsi. Citatio per appellationem, ſex groſsi. Citatio cum inhibitione, duodecem groſsi. Citatio cum Compulſoria, duodecem groſsi. Compulſoria cum inhibitione, duodecem groſsi. Contumacia Apoſtolica & appellationis, ſex groſsi. Aggrauatio, octo groſsi. Reaggrauatio, decem: & contra participantes, duodecem. Interdictum quodlibet, & quotcũq; perſonas contineat, quindecem groſsi. Abſolutiones tam in Apoſtolicis quàm in appellationum cauſis ſoluantur ſecundum proportionem & taxam cenſurarum. Compulſoria, ſex groſsi. Inhibitio, ſex groſsi. Remiſſoriales pro examine teſtium, octo groſsi. Pro inſtrumento remiſsionis cauſæ ad priorem iudicem, habentem vim definitiuæ ſententiæ, media marca: ſi non habet vim definitiuæ ſententiæ, quindecem groſsi. Si à definitiua, vna marca. Citatio ad exequẽ-

dam sententiam, sex grossi. Exequutoriales, si in eis vna sententia inseratur, vna marca. Si duæ sententiæ, duæ marcæ; & sic consequenter. Subdelegatio causæ, quatuor grossi. Commissio ad causam, duodecem grossi. Absolutio cum inhibitione, media marca. Item. In causis, quæ regestrantur, non soluantur notæ. Etsi partes concordent, antequam regestrum scriptum fuerit, tunc procuratores tenentur ad solutionem notarum.

IN Causis Legationis natæ seruentur omnes taxæ prædictæ, quas in causis Apostolicis & Appellationum seruari decreuimus: hoc excepto, vt pro Commissionibus & Citationibus cum insertione querelæ, in forma Conquestus, vel sua nobis, ditiores soluant mediam marcam: & pauperes quindecem grossos.

In eadem.

ITem. Statuimus, si Iudices appellationis in vna Ciuitate cum Iudicibus, à quibus appellatum est, morari contigerit: tunc acta coram Iudice, à quo est appellatum, in dispendium partium regestrari non debent. Sed originalia ad Iudices ad quos appellatum est, Notarius causæ transportare tenebitur, à qua transportatione habebit tres grossos. Si autem in diuersis Ciuitatibus & locis eosdem morari contigerit, tunc etiam acta, quantumuis multarum instantiarum non regestrentur, sed transportentur originalia de loco ad locum: exceptis actis instantiæ vltimæ quæ regestrentur, & regestrata transportentur: originalibus penes Iudicem instantiæ vltimæ remanentibus.

DE MODO SOLVENDAE Contributionis. Ex Constitutionibus Dreuicii. 1530. Petricouiæ.

IN solutione contributionum deinceps constituendarum sanctæ

sancta Synodus rationem habere voluit, ad feuda Ecclesiarum. Itemq; ad ea bona vel decimas, quæ in gratiam cuipiam à quoquam datæ & concessæ fuerint, aut dabuntur in futurum, vt in solutione contributionis, quando eam laudari contigerit, eadem feuda & quæcunq; gratiæ, pro portione sua defalcentur, teneanturq; eorum feudorum vel gratiarum possessores, ad soluendum eandem contributionem: ita vt eam soluant, ad valorem prouentuum suorum feudorum, & gratiarum, seu estimationem illorum.

QVOMODO IN EXACTIONE Contributionis procedendum contra beneficiatos, præsentes vel absentes.

DEcreuit etiam Synodus, vt cùm durum sit pro exoluenda contributione cum his agere, qui vel dignitate Episcopali præditi, beneficia Ecclesiastica possident, vel alioquin procul absunt, contra eorundem beneficiorum quoscunq; factores seu procuratores per censuras procedatur: vt id quod Contributionis nomine debetur, integrè ad Collectores perueniat.

Petrus Gamratus. Petricouiæ. 1542.

QVia nonnulli Rectores Parochialium Ecclesiarum salaria Vicariis eorum ab antiquo constituta diminuere, (vt augeant sua commoda) consueuerũt: & cùm Presbyteros ad curam animarum exercendos idoneos minori precio habere non possunt, minus idoneos & quales possunt constituunt. Vnde vltra notam auariciæ qua arguuntur, multa alia scandala proueniunt, & negligentia in cura animarum admittitur. Statuit hæc sacra Synodus, nihil præter antiquam consuetudinem ab ipsis Rectoribus esse innouandum: & sala-

ria hiusmodi Vicariis suis & ministris Ecclesiarum, iuxta morem veterem liberè fore dimittenda.

Idem. Petricouiæ. 1544.

DIligentiùs cauebunt Reuerendissimi domini Archiepiscopus & Episcopi, ne ad ferendum defensionis subsidium nomine Cleri priùs consentiant, donec omnia Priuilegia, iura, libertates & immunitates Ecclesiasticæ, à quibus non parùm discessum est, restituantur, & in exequutionem ponantur. Quandoquidem ordo secularis non priùs consentit ad contributionem pro Regni defensione, ad quam illi de iure obligantur, nisi priùs exigant aliqua statuta pro libitu suo: multò magis conuenit, vt Clerus priusquam subeat onus subsidii, cui iure diuino & humano non est adstrictus, etiam contendat & adigat, Iura, Priuilegia, & libertates suas in robore conseruari, & vt debitæ exequutioni demandentur: quod literis Regiis & decreto Conuentus firmandum erit.

Nicolaus Dzierzgouius. Petricouiæ, Anno Domini 1551.

AD obuiandum nouo grauamini, quo Clerus affici incipit à quibusdã Ordinariis, Contributionem extra Synodum Prouincialem instituentibus in suis Diœcesibus: inhærendo decretis in Synodis prioribus factis, decernendum statuit, & decreuit hæc sancta Synodus, vt nullus Ordinariorum extra Synodum Prouincialem generalem quamcunq; & quocunq; nomine Contributionem appellatam in sua Diœcesi, sub pœna arbitraria per Synodum Prouincialem imponendam, statuat neq; decernat: nisi Capitulum & Clerus Diœcesis, visa Ecclesiæ necessitate, vel Pastoris sui, ad eam constitutionem expressè consenserit. In Synodo verò Prouinciali, vel etiam in Diœcesana, aliqua vrgente necessitate euidenti, quotienscunq; Contributio aliqua decernetur, illam quisq;

quisq; Ordinarius inprimis soluat in manus Collectorũ, per Lociordinarios cum Capitulis eligendorum. Alioquin ad soluendum eam Contributionem, nullus de Clero cogi debebit. Collectores verò per Episcopos & Capitula deligendi, debent esse iurati: & qui huiusmodi Contributionem nemini præter scientiam & assensum Episcopi & Capituli extradere audebunt.

Ex eisdem. Eiusdem.

QVia Vicarii Ecclesiarum omnium Cathedralium, præter VVladislauien̄, immunes sunt & exempti à Contributionibus, quoties decernuntur. Quare decreuit Synodus, vt Vicarii quoq; VVladislauien̄ prædicti aliis æquiparentur, à Contributioneq; instar aliorũ immunes habeantur.

Eiusdem. Ex eisdem.

DEcreuit insuper Sacra Synodus, vt Succollectores eo modo deputati, pecunias Contributionis ad Metropolitanas & Cathedrales Ecclesias semper deferant, & in manus generalium Collectorum consignent, ac rationem eisdem Collectoribus sufficientem faciant. Generales verò Collectores pecuniam omnem ex Contributione totius Diœcesis collectam, in Capitulis deponant, ac rationem sufficientem coram Capitulis, præsentibus tunc specialibus Ordinariorum Nunciis ad id deputatis, faciant. In Synodo verò Prouinciali tunc proximè futura, singula Capitula per Nuncios suos eidem Synodo de Contributione percepta rationem reddere erunt obstricti. Ad quamquidem Contributionem persoluendam sacra Synodus Reuerendissimum dominum Archiepiscopum Leopolien̄, & eius Suffraganeos, & vniuersum Clerum: similiter Reuerendissimos dominos Episcopos magni Ducatus Lituaniæ, & eorum Clerum, decreuit esse obligatos.

Omnes autem pecuniarum summas ex Contributione collectas, ad requisitionem Reuerendissimi domini Archiepiscopi Gnesnensis, Capitula dictarum Ecclesiarum suæ D. ℟mæ, mittere tenebuntur. Reuerendissimus autem dominus Archiepiscopus eandem totam Contributionem in thesaurum Sacræ Maiestatis Regiæ consignari curabit.

DE SVFFRAGANEIS.

In Synodo Petricouien quarta.

DEcreuit Sacra Synodus, vt Episcopis titularibus, qui vulgo Suffraganei appellantur, consecrantibus & ordines conferentibus, Notarii pro formatarum exactione sedenceps temperent: quibus idcirco is modus exigendi præscribitur, vt à literis Formatæ Acoliti, vnum: Subdiaconi, duos: Diaconi, tres: Sacerdotis, quatuor grossos recipiant. Alioquin, in contrafacientes, pœna excõmunicationis Concilii Prouincialis lata est ipso facto. Suffraganei verò, consecrationes, ordinum collationes, insuper Basilicarum, altarium, Cimiteriorum, aliorumq; locorum, vestium & vasorum consecrationes gratuitò faciant: & non amplius quàm procurationem, hoc est, alimoniam sui, personarum, equorumq; suorum necessariam, & non superfluam, in eodem loco percipiant. Quos domini Lociordinarii honestis stipendiis, ne egeant, prouidere tenebuntur.

DE CONSECRATIONE

Ecclesiæ vel Altaris.

SI Ecclesiam pollui humani sanguinis aut seminis effusione, aut publicè excõmunicatum in ea scienter sepeliri contingat:

contingat: ipsius Ecclesiæ Cimiteriũ, si contiguum sit eidem, censetur esse pollutum: & antequam per Episcopum reconcilietur, in ea non debeant diuina celebrari, vel aliquis sepeliri.

Ex nouis Ioannis Laski. In Synodo Petricouien quarta.

EXecrationes sacrorum locorum, iuri communi innitendo, Sacra Synodus, propter Clerum simplicem, tunc contingere declarat, cùm aut sanguis humanus abundans ex vi illata in sacro loco effunditur, etiamsi in terram effluere non permittatur, vt potè, cùm in scutellam vel vestem recolligatur, aut si fortè quispiam, absq; sanguinis effusione, illic interfectus, vel enormiter fustigatus percussusq; sit. Vel cùm semen humanum in sacro loco libidonosè effusum sit, præmissorumq; sufficiens probatio appareat. Execratorem autem arbitrio Lociordinarii puniendum: qui in pœna infligenda rationem habebit personæ, loci, temporis, & delicti.

De Celebra-

DE CELEBRATIONE Missarum, & officiorum Diuinorum.

CVM celebratio Missarum, & potestas clauium ligandi & soluendi, non ex vita & merito, sed ex officio dependeat Sacerdotũ. Ideo statuimus, vt si quis laicus vel Clericus vtriusq; sexus, cuiuscũq; dignitatis, religionis, vel status existat, ausus sit, præsumptione damnabili, publicè prędicare, vel occultè docere, credere, vel tenere pertinaciter, quòd Sacerdos in mortali peccato existens, non possit conficere corpus Christi, seu si sit ligatus, quòd non possit soluere vel ligare suos subditos à peccatis, pro incredulo & hæretico habeatur: quem errorem huius sacri Concilii approbatione damnamus, & damnatum dudum nunciamus, anathematizamus, & penitus reprobamus.

Damnamus insuper, anathematizamus, & reprobamus omnes articulos Ioannis Vikleff, Ioannis Hus, & sequacium eorundem: & præsertim errorem illorum, qui eadem præsũptione damnabili, audent publicè prędicare vel occultè docere vel tenere, quòd de necessitate salutis laici sunt communicandi sub vtraq; specie, scilicet, panis & vini: qui error per decretum sacri Concilii Constantien̄ est damnatus. Quod sequitur in hæc verba.

Decretum Sacri Concilii Constantiensis, de Communione sub vtraq; specie.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filii & Spiritus sancti. Amen. Cùm in nonnullis partibus quidam temerariè asserere præsumant, populum Christianum debere sacrum Eucharistię Sacramentum sub vtraq; panis & vini specie suscipere. Et non solùm sub specie panis, sed etiã sub specie vini populum laicum passim communicant, etiam

post cœ-

post cœnam, vel aliâs non ieiunum, & communicandum esse pertinaciter asserunt, contra laudabilem Ecclesiæ consuetudinem rationabiliter approbatam, quam tanquam sacrilegam damnabiliter reprobare conantur. Hinc est, quod hoc præsens sacrum Constantiense generale Concilium in Spiritu sancto legitimè congregatum, aduersus hunc errorem saluti fidelium prouidere satagens, matura plurium doctorum tam diuini quàm humani iuris deliberatione præhabita, declarat, decernit, & definit. Quòd licèt Christus post cœnam instituerit, & suis Apostolis ministrauerit sub vtraq; specie panis & vini hoc venerabile Sacramentum, tamen hoc non obstante, sacrorum Canonũ autoritas laudabilis, & approbata consuetudo Ecclesiæ seruauit, & seruat, quod huiusmodi Sacramentum non debet confici post cœnam, neq; à fidelibus recipi non ieiunis, nisi casu infirmitatis, vel alterius necessitatis à iure vel ab Ecclesia concesso vel admisso. Et sic hæc consuetudo ad vitandum aliqua pericula & scandala est rationabiliter introducta. Et licèt in primitiua Ecclesia huiusmodi Sacramentum reciperetur à fidelibus sub vtraq; specie, postea tamen decretum fuit, vt à conficientibus sub vtraq; specie, à laicis verò tantummodo sub specie panis suscipiatur: cùm firmissimè credendum sit, & nullatenus dubitandum, integrum Christi corpus & sanguinem tam sub specie panis, quàm sub specie vini veraciter contineri. Vnde cùm huiusmodi consuetudo ab Ecclesia & sanctis Patribus rationabiliter introducta, & diutissimè obseruata, sit habenda pro lege, quam non licet reprobare, aut sine Ecclesiæ autoritate pro libito innouare. Quapropter, quòd hanc consuetudinem aut legem obseruare sit sacrilegum aut illicitum: censeri debet erroneum, & pertinaciter asserentes oppositum præmissorum, tanquam hæretici arcendi sunt, & grauiter puniendi per Diœcesanos locorum, seu Officiales eorum, aut inquisitores hæreticæ prauitatis, in Regnis seu Prouinciis, in quibus contra hoc decre-

tum aliquid forsan fuerit attentatum aut præsumptum, iuxta Canonicas & legitimas sanctiones in fauorem Catholicæ fidei, contra hæreticos & eorum fautores salubriter adinuentas. Datum Constantiæ die sexta Mensis Iulii. Anno Domini, Millesimo quadringentesimo decimo quinto.

Ex antiquis.

SI cui per nos, aut Suffraganeos nostros aliquid conceditur, quòd in altari viatico diuina coram ipso possint officia celebrari, non in loco ventoso, seu aliquo periculoso, vel inhonesto, hoc fieri debere intelligimus. Vnde si quis Presbyterorum occasione concessionis huiusmodi contra præmissa, diuina celebrare præsumpserit, eo ipso incurrat pœnam Synodalem.

Plures Missas vna die, excepta solennitate Natalis Dñi, Sacerdoti celebrare non licet.

PRohibitum Constitutionibus Canonicis inuenimus, vt nullus Sacerdos plures Missas debeat dicere vna die, excepta solennitate Natiuitatis Domini, & in casibus specialiter reseruatis. Quia tamen Sacerdotum auaritia, ausu temerario, vt plures oblationes capiant, in diuersis Ecclesiis præsumunt dicere plures Missas, præsenti Statuto firmiter prohibemus, vt nullus Sacerdos de cætero, duas Missas vno die, nisi vt prẽmittitur, audeat celebrare: contrarium faciens, ad arbitrium superioris puniatur. Item, abusum illum, qui in quibusdam Ecclesiis solitus est obseruari, videlicet, quòd Presbyter cantato Introitu, & Kyrieleison, in vno altari, mox ad aliud ad id faciendum se conuertit, & sic deinceps. Et cum hoc auaritiam sapere videatur, propterea abusum prædictum penitùs reprobamus. Adiicientes, quòd duæ vel plures Missæ, vbi voces mutuæ se confundunt, in

vna

vna & eadē Ecclesia, simul & semel nullo modo decantentur.

Ordinamus etiam & statuimus, vt deinceps, nedum in Cathedralibus, verùmetiam in Collegiatis Ecclesiis, omnes horæ Canonicæ, per Vicarios ipsarum Ecclesiarum decantentur, vt eo amplior ad Ecclesias populi deuotio excitetur. Quodq; in altari maiori cuiuslibet Ecclesiæ Cathedralis, non nisi Canonicus eiusdem Ecclesiæ Missam audeat celebrare: nisi per consuetudinem in aliquibus Ecclesiis contrarium sit introductum.

Cùm Doctor gentium, lumenq; glorioſum Ecclesiæ asserat, vnicuiq; nostrum gratiam à Domino datam, quam non conuenit alicui, maximè in sortem Domini vocato, in vacuum recepisse: propter quod miramur & dolemus, de nonnullis nostræ Prouinciæ Episcopis, Abbatibus, Præpositis, ac aliis Clericis, dignitates, personatus, officia, Canonicatus, & alia Ecclesiastica beneficia, curam præsertim animarum habentia obtinentibus, qui &si sacris Canonum institutis vrgentibus, ad sacros Clericorum ordines promouentur, aliqui tamen gratiam, quam in collatione prædictorum ordinum assequuntur, sacrarum videlicet Missarum officia, in quibus nostræ redemptionis recensetur memoria, in suæ salutis ac animarum, pro quibus huiusmodi offerre tenentur sacrificia, dispendium, raro vel nunquam non sine graui scandalo celebrando exequuntur, acsi propter alicuius criminis latentis obstaculum, ab exequutione Sacerdotalis officii, suspendi viderentur. Cùm autem beneficium datur propter officium, in quo præcipuè circa frequens ministerium venerabilis Eucharistiæ Sacramenti, Deo dignè & laudabiliter seruiatur, hoc sacro approbante Concilio, volentes hunc torporem à Prælatis & Clericis huiusmodi virga seu baculo pastoralis animaduersionis excutere, statuimus, vt de cætero Episcopi, & Abbates, Præpositi, & alii (vt præfertur) Ecclesiastica beneficia, qualiacunq; sint, obtinentes, Subdiaconi

ad Diaconatus, & Diaconi consequenter ad Presbyteratus gradum, impedimentis Canonicis cessantibus, infra vnius anni spatium ascendere non postponant. Dum verò in Sacerdotio fuerint constituti, infra sex mensium decursum, à tempore quo Presbyteratus ordinem susceperint: Hi verò, qui actu sunt Sacerdotes facti, à die publicationis præsentium, infra similem sex mensium terminum, vel si eo citius fieri poterit, ad prædictorum ordinum exequutionem, videlicet ad peragenda veneranda Missarum officia, tam reuerenter, quã deuotè, iuxta suasum Apostoli seipsos probando, præparare debeant, ac totiens de illo pane edere, & de calice bibere, quotiens & quando hoc ipsis Deus inspirauerit, & suæ ac proximi saluti putauerint expedire: ita tamen, vt si frequentiùs id fieri commodè non posset, saltem in festis maioribus anni, nisi forent Canonico impedimento prohibiti, quod suo superiori, vel de ipsius licentia confessori idoneo reuelabunt, deuotiùs sicut poterint officiare teneantur. Transgressores autem huius salubris constitutionis, si Episcopi fuerint, pro quolibet anno in centum, si Abbates nõ exempti in viginti quinq; marcis vsualibus, Præpositi verò & alii beneficiati, præsertim curam animarum habentes, decimam partem fructuum beneficiorum, pro media parte fabricæ illarum Ecclesiarum, vbi beneficiati fuerint, residuam verò pro exequutore præsentis nostræ constitutionis, loci scilicet Ordinario, vel cui hæc sollicitudo commissa fuerit, conuertenda, præsenti irrefragabili Statuto decernimus puniendos. Ad cuius sollicitam fidelemq; obseruantiam Episcoporum nostrorum, & aliorum vices ipsorum gerentium, qui pro tempore fuerint, conscientias oneramus.

Ex Nouis. In Synodo Lancicienſi prima & ſecunda.

PErpetuo prohibemus edicto, ne Clerici nouiter ordinati, ad

ti, ad nouas Missas mendicent per se, vel alium, seu alios, cum Cleri totius scandalo, leuitate, & dedecore, ac contra Canonicas sanctiones. Et non plus quàm vna die in conuiuiis primitiarum se occupent. Contrafacientibus, pœna arbitraria imponenda.

In Synodo Petricouien prima.

NE ex varietate, quæ in Pontificalibus antiquis inuenitur, aliquando error committi valeat, ob rubricarum defectum, Statuimus, quòd de cætero Pontificale iuxta ritum Romanæ Ecclesiæ, tempore bonæ memoriæ Innocentii octaui Papæ impressum, in conferendis ordinibus, & consecrationibus Episcoporum, virginum, & benedictionibus, officiisq; diuinis, & aliis ceremoniis in tota prouincia obseruetur. Salua tamen consuetudine rationabili in aliquibus Ecclesiis, præsertim illa, ne concelebretur per ordinandos Sacerdotes in ordinum collatione, suo Episcopo ordinanti. In Missa etiam ablutio manuum post præfationem fieri poterit. Ac sermo post Patrem, & confessio in vulgari, loco latini post sermonem, & tunc publicatio indulgentiarum, quas Pontifex concedit, per prædicatorem fiat. Benedictiones etiam solennes ante Agnus Dei consuetæ, & post Missam nihilominus priuatæ: ac solennitates, circa introductiones pœnitentium publicè, more consueto fieri poterint.

In Eadem.

HOC etiam præcipimus, vt omnes Spirituales in peragendis Missis, & horis Canonicis, Rationale diuinorum, quantò magis poterint, iuxta suæ Diœcesis ritum bonum se conforment. Quem libellum omnis curatus, & cui facultas suppetit, Statuta Prouincialia, Sacramentale, Summam Angelicam habere, & iuxta doctrinam bonam in ipsis traditam viuere curent.

In eadem.

STatuimus præterea, iuri innitentes, ne Clerici alienarum Diœcesum, sine literis commendatitiis sui Episcopi ministrare permittantur, aut sui Vicarii generalis: transgressores pœnis condignis puniendi. Literas autem tales gratis decernimus eis dandas.

In Synodo Lancicienſi prima.

ET quia nonnulli indocti Sacerdotes, legere nescientes, & aliquando Pseudosacerdotes non ordinati, consueuerunt Missas legere adeò demissa voce, vt nequaquam à populo astante audiri possunt, hac arte insufficientiam suam tegendo: & quod est peius, Corpus Domini non consecrando, idololatriamq; committendo, quo ira Dei prouocatur, & populus astans ludificatur, meritisq; condignis defraudatur. Quare Synodus constituit, vt Missæ lectæ à Sacerdotibus, eleuata voce & sonora legantur, vt ab astantibus benè audiri possint, sub pœna suspensionis ab officio. Consueuerunt etiam nonnulli Sacerdotes parum morati, abstergere sudorem in capite & facie, illo sacullo, in quo calix seruari solet, cum magna nausea astantis populi: quod etiam Synodus a modo facere prohibuit. Rogauitq; Dominos Ordinarios locorũ, vt ista in Diœcesi sua quisq; prohibeat & prouideat.

In eadem secunda.

ITem. Statuimus, vt Ordinarii mittant Processus per Diœceses, mandantes Plebanis & aliis Clericis quibuscunq;, vt non admittant ad celebrandas Missas, & diuina officia, Presbyteros peregrinos, vagos, & ignotos. Ac etiam Monachos non mendicantes quorumcunq; ordinum, Apostatas similiter vagos & ignotos. Contrafacientes pœna Synodali irremissibiliter puniendi.

Ex Statutis

Ex Statutis Matthiæ Drzeuicii. Petricouiæ, Anno 1530.

QVoniam iura disponunt, beneficium dari propter officium, ad horas deniq; Canonicas, Domino Deo veluti certum pensum quotidie persoluendas, quemq; beneficii possessorem arctissimis vinculis esse obstrictũ. Altero namq;, quod patrimonio Christi beneficio scilicet seruatur, altero quidem ordine sacro, cui horæ Canonicæ annexæ sunt insignitus. Pleriq; tamen Clerici, etiam insignes, tantam de se Domino Deo obligationem minimè curantes, in graue animarum suarũ periculũ, inq; decoris Cleri perniciem, maliciosum illum seruũ Euangelicum imitati, qui talentum lucri faciendi causa à Domino sibi commissum habens, in terram defodit, nullum Domino fructum, quin potiùs ex negligentia damnum, sibiq; ob hoc Domini cum pernicie indignationem attulit, tamen horarum diuinarum censum minimè persoluere, idq; præcioſum talentum à Domino Deo lucrandi causa illis commissum, negligere non horrescunt. Proinde hæc sacra Synodus dominos Ordinarios orat, hortatur, atq; eorũ conscientiæ iniungit diligenter, in Clero, eos tales perquirant, ac iustis ex arbitrio eorum pœnis percellant, quo & hi etiam inuiti in Dei nomine ad debitum obsequium adigantur. Aliiq; tantam insanam animi indulgentiam exemplo pœnæ diffugiant.

Nicolai Dzierzgouii. Petricouiæ, Anno Domini, 1551.

STatutis prioribus inhærendo, decreuit sancta Synodus, vt nullus Presbyterorum in aliqua Ecclesia, sine licentia Prælati eiusdem Ecclesiæ, audeat peragere sacra, & verbum Dei prædicare, sub pœna Synodali.

De Baptismo

DE BAPTISMO.

Ex antiquis.

BAptiſmus cum honore & reuerentia celebretur, & cum magna cautela, maximè in diſtinctione verborum, & prolatione, in quibus tota virtus Sacramenti conſiſtit, ſcilicet, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen. In vulgari laicos doceant Sacerdotes frequenter, qualiter cùm opus fuerit debeant baptizare, patrem & matrem etiam pueri in ſumma neceſsitate, ſimiliter doceant poſſe baptizare. Dicant etiam laicis, quòd nomen puero non imponant. Forma autem verborum prædicta ab eo qui baptizat, integrè, continuè, ordinatè, & ſine interpoſitione aliqua proferatur. Interrogetur autem laicus, qui ſic ipſum baptizauit diligenter à Sacerdote, quid dixerit, quid fecerit, & ſi eum inuenerit modo diſcreto, & debito baptizaſſe, allato puero ad Eccleſiæ fores, ſuppleatur quod deeſt, ſcilicet, pabulum ſalis, & aurium linitio cum ſaliua, & tunc à Sacerdote nomen puero imponatur. Exorciſmi tamen non dicantur: ſed ſuper fontem, ſine immerſione tamen, omnia fiant, quæ ſolent fieri. Si verò dubium fuerit ſub qua forma puer baptizatus fuerit, tunc Sacerdos omnia faciat, & immergens dicat: Si tu es baptizatus, ego te non rebaptizo: ſi autem non es baptizatus, ego te baptizo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen. Ad eleuàndum puerum de fonte, duo tantùm patrini recipiantur. Vnus etiam, vel vna ſufficit.

Vide decretũ Conc: Trid. Et Agenda nuper edita.

Ex Conſtitutionibus Nicolai Dzierzgouii. Petricouiæ, 1551.

RVteni aliiq; Schiſmatici, quicunq; ad gremium & vnionem ſanctæ matris Eccleſiæ venire, & ſacrum baptiſma ſuſcipere voluerint, baptizentur iuxta formam in Pontificali contentam. De cuſto-

DE CVSTODIA EVCHARISTIÆ. Ex antiquis.

STatuimus, vt in cunctis Ecclesiis, Eucharistia, Crisma, Oleum Sacrum, aqua Baptismi, sub fidei custodia, sub seris, & reuerenter obseruentur, ne possit ad illa temeraria manus extendi, pro nefandis aliquibus exercendis. Si vero is ad quem spectat custodia, ea incautè reliquerit, tribus mensibus ab officio suspendatur: & si per eius incuriam aliquod nefandum inde contigerit grauiori subiaceat vltioni.

Relinqui nolumus incorrectum, quòd quidam Clerici Ecclesias sic exponunt suppellectilibus propriis & etiam alienis, vt potius domus laicæ quàm Dei basilicę videantur, non considerantes, quòd Dominus in Euangelio non sinebat, vt vas transferretur per templum. Sunt autem alii, qui non solum Ecclesias dimittunt incultas, verumetiam vasa ministerii & vestimenta ministrorum ac pallas altaris, necnon & ipsa corporalia tam immunda relinquunt, quòd interdum aliquibus sunt horrori: firmiter prohibemus, ne huiusmodi suppellectilia in Ecclesiis reponi admittãtur, nisi inter hostiles incursus, aut incendia repentina, seu alias necessitates vrgentes, ad eas habeatur refugium: sic tamen, vt necessitate cessante res in pristina loca reportetur. Præcipimus quoq; vt altaria, vasa, corporalia, ac vestimenta prædicta, munda & nitida conseruentur. Nimis enim videtur absurdum in sacris sordes negligere, quæ dedecerent etiam in profanis. Et ideo contrarium faciens, pœnam vnius marcæ incidit ipso facto.

Ex Statutis Nicolai Dzierzgouii. Louicii, Anno 1556.

CVm per incautam custodiam, Sacræ Eucharistiæ Corporis Dominici, & aliorum Sacramentorum, sicut ex-

perientia didicimus, nephariis hominibus quandoq; præstatur ad sacrilegia & maleficia occasio. Proinde Statutũ vetus de custodia huiusmodi decreuimus innouandũ, vt Rectores, custodes, & vicecustodes, seu vt vocant Sacristę Ecclesiarum ciboria seu sacraria, vbi recondunt Sacrosanctum Corpus Domini nostri Iesu Christi, similiter Oleum sacrum, & Crisma, necnon fontem baptismalem, in bona clausura & custodia seruent, & claues sacrarii ipsi penes se vel abdito loco in Ecclesia sub pœna carcerum, & suspensionis ab officio, & beneficio ad vnius anni decursum, teneant, ne ad illa cuiq; facilis pateat aditus. Alioqui, si cuius incuria aliquod eiusmodi nefandum (quod absit) facinus, per impios admissum fuerit, grauiori animaduersione ferientur. Locorum autem Archidiaconi, seu illi ad quos visitatio Parochiarum de iure vel consuetudine spectat & pertinet, de custodia huiusmodi diligenter perquirant, & illam videant, vt si minus cautè aliquem id obseruari compererint, tales seu talem ad Locorumordinarios deferant irremissibiliter puniendos. Similiter Rectores ipsi Ecclesiarum, & eorum Vicarii, seu illi ad quos administratio Sacramenti Eucharistiæ pertinet, vt illam reuerenter, & nõ tumultariè communicantibus distribuant, & videant diligenter cui illã administrent, vultumq; pecoris sui agnoscant, ne scilicet alienis Parochianis, & ignotis hominibus, eisq; peccata sua non confessis, nec diligenter, an veritatem Corporis Domini in ea contineri credant, examinatis, & conscientiis eorum minimè probatis, seu discussis, eam conferant & concedant, ac illa concessa statim ibidem in sui præsentia communicantes, ipsos ablutionem sumere faciant, sub pœna superiùs descripta.

DE OBSERVATIONE IEIUNIORUM. Ex antiquis.

AD hoc etiam prohibemus, ne quis adultus pariter & discretus,

scretus, ordinaria & statuta ieiunia, vt quadragesimale, quatuor temporum, & vigiliarum, præsumat infringere, nec huiusmodi necessaria ieiunia, prætextu votiui & extraordinarii ieiunii, cùm tale damnum tali lucro nolit Deus compensare, in alia ieiunia commutare.

Volentes succurrere erroribus, quos experientia docente didicimus temporibus nostris in aliquibus Diœcesibus Gnesneñ Prouincię exoriri, statuimus, quòd vigilia beati Matthiæ Apostoli, si in dies Carnispriuii euenerit, quo ad ieiunium & alia, ab hominibus obseruetur, & in aliam diem per quempiam nullatenus transferatur.

DE ECCLESIIS AEDIFICANDIS. Ex antiquis.

ECclesiam seu basilicam, de nouo nullus ædificet, nec antiquam transferat, nisi per Episcopum vel eius Commissarium in locum structuræ ponatur lapis primarius benedictus: aliâs ædificium diruatur, & ædificans temerarius Clericus vel laicus canonicè puniatur. Nec Episcopi socii Diœcesanorum, seu Vicarii, qui Suffraganei communiter appellantur, huiusmodi primarium lapidem ponant, maximè in locis, in quibus Ecclesiæ alias non fuerunt: nec ædificatas consecrent, sine Diœcesani licentia speciali: qui ex officio suo tenetur prouidere, ne Ecclesia errigatur sine dote congrua, luminaribus & ornamentis, & absque Ecclesiæ notabili detrimento. Cùm autem eiusmodi Episcopo per Diœcesanum committitur, vt in Diœcesi sua Ecclesiarum construendarum primarios lapides ponat, seu constructas consecret, in tali generali mandato non comprehenduntur Collegiatæ Ecclesiæ, nisi de ipsis specialem fecerit mentionem. Talis verò Episcopus, nisi de speciali Diœcesani commissione, non potest ipsius subditos soluere vel ligare.

Item. Cùm Episcopi fundant Ecclesias, aut fundatas dotare voluerint, statuimus, vt dos in perpetuam memoriam habeatur in scriptis, & sub sigillo Prælati & Patroni litera diligentiùs conseruetur. Si quæ autem pro vsibus eiusdem Ecclesiæ decimæ fuerint deputatæ, sub certa limitatione terræ, & quantitate valoris debent assignari, ita vt excrescentiæ (si quæ forent) in posterum ad mensam Episcopi reuertantur. Hoc autem ad Ecclesias Cathedrales nolumus extendi.

Quicunq; beneficia Ecclesiastica obtinent, adiuuent ad tecta Ecclesiæ reficienda, vel Ecclesias emendandas, & cum eis collectores Ecclesiarum, pro fabricis Ecclesiarum, quosquidem vitricos appellant, deputati, qui sint omni exceptione de plebe maiores: & ndem eleemosynas fidelium inconsultis Ecclesiarum rectoribus non expendant.

Ad decus & honorem Ecclesiarum Cathedralium attendentes, statuimus, quòd consuetudo in nostra Prouincia iam diutius obseruata, qua Pontifices duas, & Capitula Ecclesiarum Cathedralium tertiam, partes, pro fabrica Ecclesiarum contribuunt, robur obtineant perpetuæ firmitatis: ipsamq; hoc approbante sacro Concilio confirmamus. Et vt æqualitas cuilibet obseruetur, decernimus, quòd Capitula Ecclesiarum prædictarum, ponant beneficiis ipsorum iustam & ordinatam taxam: saluo, quod si ex iusta causa contigerit Clero, pro subsidio fabricæ collectam imponi: illa ne alter pr altero prægrauetur, parte pro aliqua non debeat computari: sed ea non obstante nihilominus quilibet contribuat suam partem.

Ad diuini cultus ampliationem, ad viarum quoq; iniustitiæ ac controuersiæ præclusionem, quodq; Rectores Ecclesiarum & aliæ Spirituales personæ militantes Deo, curis se non implicent secularibus, carnalia spiritualibus, inutilia vtilioribus præferendo: volumus & ordinamus, quòd singulis annis infra octauas Natiuitatis Christi, aliquo dierum dictæ octauæ ipsi Re-

ipsi Rectores, vel alii curati communiter & diuisim quilibet in Parochia sua, cum patrono Ecclesiæ, si patronus ibi fuerit, & commodè adesse poterit, vt cum Parochianis vel saltem cum aliquibus de senioribus Parochianorum, seu Parochiæ duos viros de statu laicali fide dignos eligant, ac deputent: qui sic deputati viri Ecclesiastici, vel vitrici Ecclesiæ nominati, ea quæ pro fabrica seu structura, & aliis censibus, seu necessariis Ecclesiæ quoquo modo à Christifidelibus offerentur, diligenter conseruent, & cum consilio Rectoris exponant fideliter, ac dispensent: qui etiam huiusmodi oblata cum Rectoribus cuiuslibet Ecclesiæ describere personas offerentium, tempus, & quotam oblationem, ne ipsis apponi possit vsurpatio, tenebuntur, & in fine anni suis successoribus, sic vt præfertur iterum electis, & Rectori Ecclesiæ, ac aliquibus de senioribus Parochianis, de huiusmodi receptis & expositis, etiam si ipsi de consensu Rectoris & Parochianorum in eodem officio remanserint, singulis annis rationem facere sint adstricti: ad quam etiam faciendam eos & eorum quemlibet obligamus. Et vt in præmissis cesset omnis suspicio, & veritas appareat, volumus, quòd vnus liber seu quaternus penes Rectorem Ecclesiæ, & alter penes dictos viros duos Ecclesiasticos, in quibus libris siue quaternis, huiusmodi oblationum summæ, ac distributiones, siue dispensationes eorundem (vt præmittitur) conscribantur, habeantur, remaneant, & seruentur: prauitatibus simoniæ, vsuræ, & cuiuslibet alterius impietatis, atq; dilapidationibus cessantibus penitùs & semotis. Verùm si dicti viri Ecclesiastici, seu vitrici Ecclesiæ singulis annis rationem (sic vt præmissum est) facere contempserint, aut friuolè obmiserint, Rectores Ecclesiæ trina monitione per se, vel fide dignos ipsis præmissa, Ordinarioloci, quando citiùs commodè poterint, sub pœna Synodali, eosdem denuncient, animaduersione debita puniendos.

Nicolai Dzierzgouii. Petricouiæ, Anno 1551.

ONera fabricæ Ecclesiarum Cathedralium, iuxta dispositionem Statutorum Prouincialium, principaliter incumbunt Reuerendissimis dominis Ordinariis, vt potè, qui duas illorum partes ferre obligantur: Ex consequenti verò Capitulis partem tertiam dare debentibus. Nihilominus tamen prauitate & vitio temporum iam inoleuit, quòd nonnulli domini Ordinarii, solutionem fabricæ non præstant: atq; ita neq; à Capitulis expenditur. Interea verò Ecclesiæ stillicidiis peruiæ corumpuntur, deformantur, & nisi maturè eis consultum fuerit, pleræq; breui collabentur. In quibusdam quoq; Ecclesiis, vt in Posnanien & aliis, sunt quædam maiora onera, vt potè vestes, & vasa sacra, organa, cãpanæ, vinum, cæra, oleum, & alia, quæ domini Episcopi curare & ferre deberent, non tamen vt debent, aliquid ferre volũt, quin ea in Capitula reiiciunt. Quare decreuit Synodus, vt deinceps domini Episcopi, in ferendis tam fabrica, quàm aliis oneribus, non sint remissi & negligentes, quin ea quæ debent, liberè ferant, aut si ab istis oneribus liberi & absoluti in futurum esse velint, assignent Decimarum suarum Episcopalium partem Capitulis, vnde talia onera supportent: quemadmodum in aliquibus Ecclesiis est factum.

DE IMMVNITATE Ecclesiarum. Ex antiquis.

LIcèt laicis in Ecclesias Ecclesiasticasuè personas, ac eorum bona, omnis autoritas sit sublata, tam iure Canonico quàm ciuili: Nonnulli tamen laici nitentes in vetitum, immunitates eorum diuersis conatibus infringere moliuntur. Nos super his volentes eorum ausum reprimere, autoritate huius

huius sacri Concilii, sub obtestatione diuini iudicii & maledictionis æternæ, districtiùs inhibemus, ne de cætero ad huiusmodi temerarias manus præsumant extendere, quòd videlicet aliquem confugientem ad Ecclesiam, quantumcunq; maleficium commiserit graue, iudex laicus, seu quiuis alius, quam tamcũq; secularem dignitatem obtinens, seu potestatem exercens, de Ecclesia violenter prẽsumat extrahere, immunitatem Ecclesiæ taliter violando: Sed potiùs ad instantiam Rectoris Ecclesiæ, ad quam fugit, recurrat, vt eidem vitam & membra illæsa conseruet, & ipsum pecuniaria vel alia disciplina puniat mitiori. Nisi malefactor ad Ecclesiam fugiens publicus latro fuerit, vel nocturnus depopulator agrorum, aut si in ipsa Ecclesia vel eius Cimiterio homicidium vel membri trũcationem sub spe immunitatis perpetrauerit: tales enim cuiuslibet immunitatis Priuilegio sunt indigni.

Item. Vt experientia rerum magistra demonstrante didicimus, secularis potestas ad tantum sæuire non veretur, quòd Episcopos ab ipsorũ sedibus bannit, proscribit, potenter expellit & persequitur: Ad extremum contra Deum & sacrorum Canonum sanctiones, ex quo sæpissimè ad tantam deueniunt egestatem, quòd in vilipendium Pontificalis dignitatis, non habent vbi caput reclinent, & vitam sustentent. Propter quod præsentis Concilii autoritate statuimus, & inuiolabiliter præcipimus obseruari, vt quotiescunq; alicui ex Episcopis Prouinciæ nostræ supra dicta, vel alterum illorum accidere contingat, alii omnes comprouinciales Episcopi in talibus persequutionibus ipsum consiliis, subsidiis, fauoribus, & auxiliis, posequi & adiuuare teneantur, vt ad suam sedem liberè reuertatur. Adiicientes, quòd, donec redire nequiuerit, Episcopus comprouincialis quicunq; ad ipsius requisitionem secundum possibilitatem in suis domibus eundem procurare sit adstrictus.

Mandamus, vt Capitulum: Quoniam vt intelleximus: de immuni-

immunitate Ecclesiarum lib: sexto. publicetur: quod sequitur sub hac forma. Statuimus, ne quis impetratores literarum Apostolicarum, vel alios ad forum Ecclesiasticum recurrentes, super causis, quæ ad idem forum de iure vel antiqua consuetudine pertinere noscuntur, ad desistendum vel in foro seculari de quæstionibus huiusmodi litigandũ, per eorundem iudicum Ecclesiasticorum, vel impetrantium seu litigantium, aut volentium litigare, aut propinquorum ipsorum, seu illarum rerum, aut Ecclesiarum suarum etiam captione, modisue aliis compellat, seu compelli faciat, seu procuret; nec per se, aliosue impediat, quominus corã iudicibus Ecclesiasticis delegatis seu ordinariis querulantes de causis, quæ (vt præmissum est) ad cognitionem pertinent eorundem, possint publicè iustitiam obtinere, nec ad prædicta facienda det auxilium, consilium vel fauorem. Si quis verò contra præsumpserit, excommunicationi se nouerit ipso facto subiacere, à qua, nisi tam iudici, cuius cognitio fuerit impedita, integraliter, vel iurisditio vsurpata, quàm parti, quæ turbata in prosequutione sui iuris fuerit, de iniuriis, damnis, expensis, & interesse integrè fuerit satisfactum, nullatenus absoluatur.

Eos qui temporale dominium obtinentes, suis subditis aliquando interdicunt, ne Prelatis aut Clericis, seu personis Ecclesiasticis, quicquam vendant, aut emant aliquid ab eisdem, nec ipsis bladum molant, coquant panem, aut alia obsequia exhibere, necnon aquam & pascua prohibent, cùm talia in derogationem Ecclesiasticæ libertatis præsumant, eo ipso excommunicationis sententiæ decernimus subiacere. Quod etiam ad eos, qui oblationes, ne liberæ fiant, inhibent directè vel indirectè, duximus extendendum.

Insuper statuimus, vt Capitulum: Quanquam, de censibus libro sexto, & Clementina, Præsenti, eodem titulo, ab omnibus publicentur & obseruentur, sub hac forma. Si vniuersitas, vel singularis persona Ecclesias vel Ecclesiasticas

personas

personas compulerit soluere pedagia, vel guidagia, seu telonea, vel exactiones pro rebus suis, quas negociationis causa non deferunt, vel pro personis, singulares sunt excommunicati, & vniuersitas interdicta, nec eis prodest contraria consuetudo: & per Diœcesanos, quibus hoc constat, debent tales excommunicati publicè denunciari.

Excommunicamus omnes, qui de cætero seruari fecerint Statuta edita, & consuetudines introductas contra Ecclesiæ libertatem: nisi ea de Capitularibus suis infra duos menses, post huiusmodi publicationem sententiæ, fecerint ammoueri.

Item. Excommunicamus Statutarios, & scriptores Statutorum ipsorum, necnon potestates, consules, rectores, & consiliarios locorum, vbi de cætero huiusmodi Statuta & consuetudines Ecclesiæ fuerint obseruatæ: necnon & illos, qui secundum ea præsumpserint iudicare, vel in publicam formam scribere iudicata.

Cùm ad ministrorum Ecclesiæ sustentationem, & subuentionem egenorum sint prouentus & res Ecclesiasticæ deputatæ, prohibemus, vt nulli cum turba vel exercitu in bonis & villis Ecclesiæ, quæ vtiq; absq; graui dispendio Ecclesiarum, & inibi habitantium destructione non modica nequaquam fieri possunt, faciunt stationes. Alioquin principales personæ turbarum vel exercituum prædictorum, ipso facto, monitione præmissa, sententiam excommunicationis incurrunt: & loca, ciuitates, castra, villæ, & oppida, quibus præsunt, tamdiu, donec satisfecerint, Ecclesiastico subiaceant interdicto.

Item. Cùm ad aures nostras frequens clamor peruenerit, quòd quidam nobiles & potentes tam laici quàm Clerici, sub specie hospitalitatis, bona Monasteriorum & Ecclesiarum, seu Ecclesiasticarum personarum, deuorant & deuastant nimis frequenter, & cum effrenata multitudine hospitantur, vt longioris temporis victum breuis hora consumat, sub pœna excommunicationis districtè præcipimus, vt omnes de Pro-

uincia Gnesneñ, tam Clerici quàm laici, ab huiusmodi Monasteriorum & Ecclesiarum grauaminibus abstineant. Qui verò ab huiusmodi grauaminibus non abstinuerint, seu à prædictis Monasteriis vel Ecclesiis contra religiosorum vel secularium Clericorum voluntatem quicquam extorserint, vel ex vana seu simulata confidentia, annonam, seu alias res Clericorum, absq; eorum mandato contrectare præsumpserint, eisdem vsq; ad satisfactionem condignam, præmissa monitione, introitus Ecclesiæ denegetur. Episcopi tamen vel alii, quibus de iure vel approbata & præscripta consuetudine procuratio debetur, ipsum poterint recipere: Seruato moderamine Concilii generalis.

Quoniam nonnunquam Consules ciuitatum & Rectores, necnon & alii, qui habere potestatem videntur, tot onera frequenter imponunt Ecclesiis, vt deterioris conditionis factum sub eis Sacerdotium videatur, quàm sub Pharaone fuerit, qui legis diuinæ notitiam non habebat: ille quidem omnibus aliis seruituti subiectis, Sacerdotes & possessiones eorum in pristina libertate dimisit, & de publico eis alimoniam ministrauit: isti verò onera ferè vniuersa imponunt Ecclesiis, & tot angariis eos affligunt, vt eis (quod Hieremias deplorat) competere videatur: Princeps prouinciarum facta est sub tributo. Vel quædam fossata, vel expeditiones, seu alia quælibet sibi arbitrantur agenda, de bonis Ecclesiarum & Clericorum & pauperum Christi vsibus deputatis, volunt facere cuncta compleri, & iurisditionem etiam & authoritatem Prælatorum ita euacuant, vt nihil potestatis eis in suis videantur hominibus remansisse. Quocirca sub anathematis districtione fieri de cætero talia prohibemus. Si autem Consules aut alii de cætero ista commiserint, & commoniti desistere noluerint, tam ipsi quàm fautores eorum excommunicationi se nouerint sub iacere: nec communioni reddantur, donec satisfactionem fecerint competentem.

Aduersus

Aduersus Consules, & Rectores ciuitatum, & alios, qui Ecclesias, & viros Ecclesiasticos taliis seu collectis, & exactionibus aliis aggrauare nituntur, volens immunitati Ecclesiasticæ Lateranense Concilium prouidere, præsumptionem huiusmodi sub anathematis districtione prohibuit: transgressores & fautores eorum excommunicationi subiacere præcepit, donec satisfactionem impenderint competentem.

Verùm si quando fortè Episcopus simul cum Clericis tantam necessitatem vel vtilitatem prospexerit, vt absq; vlla coactione ad releuandas vtilitates vel necessitates communes, vbi laicorum non suppetunt facultates, subsidia per Ecclesias duxerint conferenda, prædicti laici humiliter & deuotè recipiant cum gratiarum actione. Propter imprudentiam tamen quorundam, Romanus Pontifex priùs consulatur, cuius interest communibus vtilitatibus prouidere. Quia verò nec sic quorundam malitia contra Dei Ecclesiam conquieuit, adiicimus, vt constitutiones & sententiæ, quæ à talibus vel de ipsorum mandato fuerint promulgatæ, inanes & irritę habeantur, nullo vnquam tempore valituræ. Cæterum, quia fraus & dolus alicui patrocinari non debent, nullus vario decipiatur errore, vt infra tempus regiminis sustineat anathema, quasi post illud non sit ad satisfactionem debitam compellendus. Nam & ipsum qui satisfacere recusauerit, & successorem ipsius, nisi satisfecerit, infra mensem manere decernimus Ecclesiastica censura conclusum, donec satisfecerit competenter: cùm succedant in onere, qui substituuntur in honore.

Item. Cùm contra violatores Ecclesiarum vel Cimiteriorum pœnæ sint à Canonibus constitutæ, & peccatis nostris exigentibus, in hæc tempora deuenimus, quòd à magnatibus terræ, nec timor Deo, nec honor Ecclesiis impendatur: Prę-cipimus, vt talibus, qui Ecclesias vel Cimiteria effractionibus seu aliis rapinis violant, eis Diœcesani Episcopi nullo modo

parcant, sed tales excommunicent, & excommunicatos denuncient ad satisfactionem condignam: & præcipuè principi exercitus, per quem factæ fuerint: & si principum ibi nullus personaliter fuerit, tunc pœna specialiter promulgetur in illos, qui principales in exercitu fuerint: nec aliquo modo lata in eos sententia excommunicationis relaxetur, donec de damnis & iniuriis fuerit satisfactum. Is verò qui in Ecclesia, vel Cimiterio, aliquem grauiter læserit, vulnerauerit, vel occiderit, excõmunicationis sententiam incurrat ipso facto.

Adhæc statuimus, & sub pœna excommunicationis iam prolatæ sententiæ prohibemus, vt nullus in villis Ecclesiæ, seu apud homines earundem villarum, podvodas accipere præsumat, nisi in tribus casibus: si videlicet traditio ducis, vel alicuius castri subita timeatur: vel si exercitus in terram ingrediens fuerit nunciatus: & in his scriptis casibus, qui ipsos podvodas acceperit, prima oportunitate sibi occurrente, sine qualibet fraude dimittat in eo loco & relinquat vbi ab his, quorum fuerunt, absq; difficultate possent reperiri. Qui autem præter hos casus, in villis, vel ab hominibus præfatis ipsas receperint, vel casu licito acceptas detinuerint, vel alienauerint, vel vsibus propriis aliquo tempore deputauerint, tamdiu in locis in quibus Diœcesano expedire videbitur, denuncientur excommunicati, donec ipsis podvodis restitutis, damnum, quod inde ipsorum domini passi fuerint, ex integro persolutum sit.

In Synodo Petricouiensi quarta. Ex nouis Ioannis Laski.

VT Nundinæ & fora annalia, & hebdomadalia, quæ in festis solennibus, forsan ex Priuilegiis, vel praua consuetudine, cum Dei indignatione, solita sunt in aliquibus locis contra præcepta diuina, & Ecclesiæ instituta celebrari, pro die al-

die altera sequenti feriali, quo festum non celebratur, immediatè transferantur & celebranda publicentur. Ad quod etiam Seculares vt inducantur, curandum erit, ne diuinæ maiestatis indignationem, Canonum Statutorumq; Prouincialium pœnas incurrere possint.

Decretum Synodale.

SI in Comitiis Regni publicis quandocunq; instaretur, vt Clerus Priuilegia libertatum suarum, præsertim, de non eundo ad bellum, publicè monstrare debeat temerè & absq; causa, id Domini Archiepiscopus & Episcopi non faciant, nisi subesset causa vrgens.

Ne Clerici & Monachi secularibus negociis se immisceant. Ex antiquis.

MVlta sunt negocia secularia, de quibus pauca perstringamus, ad quæ pertinet omnis carnalis concupiscentia. Quicquid plùs iusto appetit homo, turpe lucrum est: munera iniusta accipere, vel etiam dare, pro aliquo seculari quæstu precio aliquem conducere: Conuentiones vel lites vel rixas amare: in placitis secularibus disputare, excepta defensione orphanorum aut viduarum: conductores aut procuratores esse secularium rerum, turpis verbi vel facti esse iocularorem, vel iocum secularem diligere, aleas amare, ornamentum inconueniens proposito suo quærere, & in deliciis viuere velle, gulam & ebrietatem sequi, pondera iniusta vel mensuras habere, negocium iniustum exercere. Nec tamen iniustum negocium est dicendum, propter diuersas necessitates. Quia legimus sanctos Apostolos negociatos fuisse, & in regula Benedicti præcipitur prouideri, per quorũ manus negocia Monasterii

nasterii procurantur: canes vel aues sequi ad venandum, & omnibus quibuslibet causis superfluis interesse. Ecce talia & his similia ministris altaris Domini, necnon & Monachis omnino contradicimus. De quibus ait Apostolus: Nemo militans Deo implicet se negociis secularibus.

Sed nec procurationes villarum aut iurisditiones etiam seculares sub aliquibus principibus & secularibus viris, vt iustitiarius eorum fiat, Clericorum quisquam exercere præsumat. Si quis autem aduersus hæc venire tentauerit, quia contra doctrinam Apostoli dicentis: Nemo militans Deo implicet se negociis secularibus: seculariter agit, ab Ecclesiastico fiat ministerio alienus, pro eo quòd officio Clericali neglecto, fluctibus seculi, vt potestatibus placeat, se ingerit. Districtiùs autem decernimus puniendum, si religiosorum quisquam aliquid prædictorum ausus fuerit attentare.

Ex Nouis.

DEcretum est, Clericos extra necessitatem victus & amictus negociationibus sese immiscentes, Priuilegio Clericali, quo ad bona, quibus negociantur, iuuari non debere, & insuper pœna arbitraria esse puniendos.

CONSTITVTIONVM SYNODALIVM PROVINCIAE GNESNENSIS. LIBER QVARTVS.

DE SIMONIA. Ex Antiquis.

LICET Heli summus Sacerdos in se bonus fuerit, quia tamen non ignorans filios suos iniustè ac contra legem DEI agere, prout ad eius spectabat officium, non correxit, cæsis in bello filiis, ipse de sella corruens fractis ceruicibus expirauit. Proinde, ne aliena labe Episcopos nostræ Prouinciæ contaminari contingat: statuimus, & sub obtestatione diuini iudicii præcipimus, quòd omnes Episcopi eiusdem nostræ Prouinciæ, Suffraganeos, si eis opus fuerit, tales prospiciant, qui famæ bonæ, ac integræ opinionis existant, quodq; ipsi Episcoporum Suffraganei à consecratione Ecclesiarũ, & altarium, ac vasorum sacrorum, seu benedictione vestimentorum, & apparamentorum ad diuinum cultum spectantium, nec directè, nec indirectè, aut quolibet quæsito doli vel fraudis commento, exigere quicquam, præter procurationem à iure concessam, sub

ſam, ſub interminatione maledictionis æternæ præſumant, ſed ipſi Epiſcopi, eoſdem ſuos Suffraganeos, certis ſtipendiis fulcitos habeant, & ipſis prouideant, vt ſtatum habeant dignitati & ordini competentem.

Statuimus etiam, quòd Epiſcopi, aut eorum Suffraganei, ante reconciliationem Eccleſiæ vel Cimiterii, pro reconciliatione eorundem nullũ faciant pactum, nec aliquam exigant ſolutionem, præter procurationem debitam expenſarum. Reconciliatione autem facta, pœnam licitè poterint exigere à violatoribus Eccleſiarum vel Cimiteriorũ, & contra ipſos procedere per cenſuras, quæ pœna ſic exacta debebitur pro media parte Eccleſiæ Cathedrali pro fabrica, & pro alia media parte Eccleſiæ violatæ, ſi Epiſcopus procurabitur expenſis Rectoris Eccleſiæ, vel alterius reconciliationem procurantis. Alioquin ſi Epiſcopus ipſam reconciliationem ſuis ſumptibus faciet & expenſis, ſibi debebitur tota pœna, quam etiam reconciliationem Epiſcopus vel ſuus Suffraganeus requiſitus, tenebitur facere infra tres menſes. De pœna autem exigenda à violatoribus, arbitrio Diœceſani duximus relinquendum.

Veritatis eſt verbum organo Dominicæ vocis emiſſum, Gratis accepiſtis, gratis date. Proinde volentes Simoniacam hæreſim de finibus noſtræ Prouinciæ præſenti prouiſione ſalutifera eminus propellere, & abuſum, qui circa ordinationes Clericorum obſeruabatur: Statuimus, quòd ab ordinandis Clericis, Acolitis, Subdiaconis, Diaconis, & Presbyteris, nulla fiat exactio pro formatis, nec pro examine & intitulatione. Portent tamen ordinandi ſecum ceram cum pergameno, in quo ſibi formata conſcribantur.

Licèt ſacris Canonibus, ne pro inſtitutionibus aliquid exigatur, cautum ſit, tamen Notarii Curiarum, tam noſtræ, quàm Cõepiſcoporum noſtrorum, & aliorum Prælatorum, in exigendo ſalario, ex coruptella antiquitùs introducta, metas rationis

tas rationis excedunt. Nos igitur grauamina Cleri nostræ Prouinciæ considerantes, & depactationes ipsius in inuestituris fore illicitas, quas licèt in toto, prout optaremus, tollere non possumus, easdem saltem refrenare volentes, hac sacra Synodo approbante, prohibemus, quòd deinceps pro literis Inuestiturarum ad beneficia, quantæcunq; magnitudinis redituum beneficium existat, dicti Notarii Curiarum vltra duos florenos auri Hungaricalis exigere non præsumant. Quodsi beneficium sit mediocre vel exile, salarium Notario diminuetur, & arbitrio Ordinarii cõmittatur, in quo conscientiam eius oneramus. Si quis verò Notariorum, in præmissa exactione excesserit, pœna dupli, ad requisitionem grauati per Ordinarium puniatur, per eundem in vsus pauperum conuertenda. Episcopus verò, qui ad requisitionem grauati huiusmodi Notarios in præmissis reformare infra mensem neglexerit, ab ingressu Ecclesiæ tamdiu sit suspensus, donec prædictam pœnam dupli, quam suus Notarius, vel alius suo nomine, vltra taxam impositam extorserat, in vsum pauperum Christi distribuat fideliter. Super quo conscientiam eius oneramus.

Nullus de non petendo beneficio ab ordinatore seu præsentatore, cautionem vel promissionem aliquã interponat, quia hoc Simoniacum est, & contra Canonicas sanctiones.

Verùm quia aliqui Sacerdotes ex simplicitate, siue iuris ignorantia, quidam ex auariciæ vitio, quod ferè omnium oculos excœcauit, dum Eucharistiam, Oleum infirmorum, & Baptisma paruulorum, Crisma, Oleum sacrum, Sepulturam, aut alia Sacramenta Ecclesiastica, suis subditis administrant, precium extorquent ab ipsis: pro sui erroris & reatus defensione, longam illius loci consuetudinem prætendentes, nec aduertentes, quòd diuturnitas temporis, peccatum non diminuit, sed augmentat. Nos inhærentes Concilio Thuronensi, quod huiusmodi consuetudinem maximè detestatur, ne

pro huiuſmodi, aut aliquibus Sacramentis conferendis, aliqua de cætero munera, quantumcunq; modica, per Sacerdotes, vel Prælatos, à ſuis ſubditis, tanquam debitum exigantur, ſub pœna trium marcarum Synodali approbatione, huius ſacri Concilii diſtrictiſsimè prohibemus: niſi huiuſmodi munera, ſpontè & charitatiuè à Chriſtifidelibus offerantur. Volumus tamen, vt laici vtriuſq; ſexus, per Epiſcopos, aut Officiales eorum, ad conſuetudines laudabiles, pia deuotione fidelium introductas, ſeruandas, per cenſuram Eccleſiaſticam compellantur.

In Synododo Petricouienſi.

Ex nouis.

STatuimus etiam decernentes, quodſi Epiſcopi, & Suffraganei Prouinciæ huius, à conſecrationibus quarumcunq; rerum, benedictionibus, reconciliationibus, aut formatis, directè vel indirectè, aut quolibet quæſito doli, vel fraudis cõmento exigerent, præter procurationem, & taxam à iure & Statuto Prouinciali conceſſam, pœna arbitrali per Archiepiſcopum puniendos, in quo per Capitulum Eccleſiæ, aut per Vicarium accuſabuntur.

Prouideantur tamen Suffraganei per ſuos Epiſcopos in victu & amictu, neceſsitatibusq; aliis, pro conditione eorũ competentibus, quorũ conſcientiæ præſentibus ſint oneratæ.

Ne Prælati ſub annuo cenſu, ſuas vices exponant.

QVamuis per ſacrorum Canonum Statuta ſit ſalubriter prohibitum, ne Prælati, vices & iuriſditiones ſuas, ſub annua ponant penſione. Nonnulli tamen Prouinciæ noſtræ Epiſcopi, & alii Prælati, iuriſditionem obtinentes, ſpretis ſacris inſtitutis, cupiditatis ſuę laxatis habenis, officia ſua, & iuriſdi-

& iurisditionis exercitium, sub annuo precio locare Officialibus, seu Vicariis ipsorum non verentur, in subuersionem iustitiæ, & depactationem subditorum. Nos igitur talibus abusibus viam præcludere cupientes, hac sacra approbante Synodo statuimus, quòd quicunq; Pontifex aut Prælatus huiusmodi officia aut iurisditionem deinceps locare præsumpserit, Episcopus suspensionem à diuinis, inferior verò Prælatus excommunicationis sententiam incurrat ipso facto. Officialis verò seu Vicarius huiusmodi iurisditionem conducens, eo ipso etiam nouerit se sententia excommunicationis innodatum. A quibus sententiis, nisi priùs absolutionis beneficium, à nobis, vel à nostris successoribus valeant obtinere, donec vterq; eorum, tam Prælatus locans, quàm Officialis, seu Vicarius conducens iurisditionem prædictam, summam pecuniarum, pro qua huiusmodi locatio facta fuerit, integraliter persoluat, medietatem in vsus pauperum Scholarium circa Ecclesiam Cathedralem degentium, aliam verò medietatem pro fabrica eiusdem Ecclesiæ dispensandam.

DE REFORMATIONE Academiæ Cracouiensis. In Synodo Lancicienſi prima.

QVoniam Vniuersitas, seu Schola generalis Cracouiensis famatissima, in amplitudine nominis sui, propter nonnullas nouas, & ægrè tolerandas consuetudines, promouendorumq; ad aliquos gradus insolitas depactationes, in ipsa hac nostra tempestate per incuriam temporum, pedetentim decrescere videtur, cum magno dedecore & iactura Reipub: Placuit Synodo, vt Reuerendissimi in Christo Patres, dominini Archiepiscopus Gnesneñ, & Cracouieñ ac Præmisslieñ Episcopi moderni, Cracouiam descendentes reformationem faciant, vigore Breuis Apostolici ad hoc habiti, omnesq; il-

nesq; illas ineptias in ea natas tollant & depellant, faciantq; in omnibus ita bonam reformationem, quo Schola ipsa pristinæ claritudini restituatur, & Scholares promouendi releuentur ab excogitatis & superuacaneis impensis circa promotiones suas. Et præsertim, vt ordinatio fieret noua, ad Collegiaturas & Lectores, talis, quæ in eruditione faceret conditionem meliorem. Quodsi forsan omnes eò descendere nõ possint, duo, vel vnus eorum id faceret: aut si forsan nullus ipsorum eò descendere posset, deputarent aliquos viros dignos & doctos, antiquarum consuetudinum illius Scholę scios, ad hoc faciendnm: & quicquid facient, tota illa Vniuersitas æquo animo suscipere debeat & teneatur.

DE SCHOLIS, MAGISTRIS, & Scholaribus. In Synodo Lancicensi secunda.

QVoniam Ecclesia Dei, sicut pia mater, prouidere tenetur, ne pauperibus, qui parentum opibus iuuari non possunt, studendi & proficiendi opportunitas subtrahatur, vt sic Respub: & Ecclesia doctrinis illuminetur, & virorum eruditorum ingeniis decoretur. Hoc sacro approbante Concilio decernimus, vt Locorumodinarii non solùm in Metropolitanarum, Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum Scholis, Rectores, Magistros in artibus seruent & foueant, foueriq; & seruari faciant, verumetiam in maioribus & minoribus oppidis Baccalaureos, vbi Magistri sustentari non possunt. In aliis verò locis inferioribus, Scholares maturos, idoneos & doctos: prouidentes, vt Rectores Scholarum seruent in Scholis idoneos, benè morigeratos, & minimè licentiosos discipulos, quos dirigant bono regimine, & laudabili disciplina. Si autem aliqui essent ex eis incorrigibiles, eosdem Ordinariis, vel eorum Officialibus deferant puniendos.

In Syno-

In Synodo Petricouiensi quarta.

Ex nouis.

SCHolares vagos, eos videlicet, qui Scholam dereliquerint, remisseq; & licentiose vixerint, ex ciuitatibus, & oppidis esse propellendos.

Petri Gamrati. Petricouiæ, 1542.

QVia verò viam omnis virtutis & veritatis, Christifidelibus, ab ipsis cunabulis instituendis, & rectè educandis, per Magistros & Præceptores monstrari conuenit, vt iuuentus Christiana in Scholis triuiis, & doctrinis sanis, & melioribus imbuatur præceptis, cùm plurimùm referat, à iuuenta, sic vel sic institui: Decreuit hæc sacrosancta Synodus, vt omnes Scholæ particulares in tota Prouincia, in ciuitatibus, & oppidis visitentur diligenter per suos Plebanos, bis ad minus annis singulis. Et vbi Plebani in eiusmodi visitatione fuerint negligentes, Archidiaconi seu alii, ad quos visitatio pertinet, in suis visitationibus de hoc inquirant, & si quid erroris negligentia Plebanorum in Scholis admissi deprehensum fuerit, id totum in Plebanos redundabit, per Ordinarios, pro qualitate & quantitate erroris, pœna condigna puniendos.

Eiusdem ibidem.

IN quibus quidem Scholis, non legantur omnino libri Martini Luteri, Melanthonis & sequacium, ne ex eorũ lectione iuuentus ab ipsis incunabulis inficiatur. Verùm legantur in eisdem Scholis & triuiis diligenter libri Euangeliorum, Epistolæ Pauli, Catho Moralis, Isocrates, Officia beati Ambrosii, Decem Præcepta, Hymni, Sequentiæ, Ascensii officium per quadragesimam, Cicero, Vergilius, AEsopus, Opera Senecæ, & alii Oratores, & Pòetæ approbati, & in fide Catholica minimè suspecti.

Curentq; Archiepiſcopi & Epiſcopi, eorumq; in Spiritualibus Vicarii, omnes Scholas reformare diligenter, præſertim Vniuerſitatem ſtudii Cracouienſis, velut matrem & alumnam omnium Studioſorum, in moribus & diſciplina. Et vt deinceps in veſtibus ſecularibus & laicalibus non incedant, ſed gerant habitum decentem, Clericalem: & Rectores Scholæ, ſub pœna trium marcarum, ſuſcipere, aut ſeruare non præſumant Scholares, ſolùm in veſtitu Clericali. Rector verò Vniuerſitatis ſtudii Cracouienſis, ſub pœna ſimili trium marcarum Loci ordinario ſoluenda, Scholares ſtudii Cracouienſis ad id compellat.

Eiuſdem ibidem.

INquiratur etiam diligenter per Archidiaconos, & inquiſitores, de Pædagogis in domibus Nobilium & Ciuium, ne aliquos libros ſuſpectos legant pueris eorundem, & eos in ſacra fide corrumpant.

Eiuſdem ibidem.

PRo reformanda Vniuerſitate Cracouienſi matre noſtra, & prouentibus Lectorum augendis, & aliunde vocandis, Legiſtæ, & duobus literarum humaniorum Profeſſoribus, Reuerendiſsimus dominus Archiepiſcopus Gneſnenſis, inhærendo deliberationi in proximè præterita Synodo factæ, promiſit in hac ſacra Synodo ſe daturum centum Ducatos auri in auro, ratione Eccleſiæ Gneſnenſis: Ratione verò Eccleſiæ Cracouienſis, ſimiliter centum in auro Ducatos. Cuiauienſis centum florenos in moneta per mediam ſexagenam: & Plocenſis ſimiliter etiam centum: Poſnanienſis ſimiliter centum, per mediam ſexagenam, ex Decreto & ordinatione Synodi, ꝛmo domino Poſnanienſi, & reliquorum dominorum Epiſcoporum Nuncis conſentientibus, dare, & ſoluere debebunt.

debebunt. Ad quod Capitula Ecclesiarum prædictarum consensus suos præstare polliciti sunt, attento, quòd hoc sanctũ propositum in totius Regni vtilitatem publicam vergere dinoscatur: & quòd absentes domini Episcopi admoneantur vigore præsentis Synodi, vt decretum præsens exequatur. Et Capitulorum consensus obtineant, sub pœna centum aureorum Vngaricalium, per Synodum seu alias Reuerendissimum dominum Archiepiscopum, à singulis exigenda ad vnius anni decursum.

Domini verò Abbates in eadem Synodo præsentes, propter absentium aliorum Abbatum & Religiosorum, & quòd ea de re cum fratribus suis tractatus & consilia non habuerunt, distulerunt hoc negocium in aliam deliberationem & responsionem. Debent autem domini, Archiepiscopus & Episcopi, precibus supplicibus diligenter instare apud Sacrã Regiam Maiestatem, vt eius Maiestas, ad tam sanctum & laudabile, & necessarium opus, de suis prouentibus, aliquem censum perpetuum, prædictæ Vniuersitati constituat.

Ex eadem.

ET quia multorum Nobilium & Plebeorum filii contra edictum Regni publicum, Vitebergam, & ad alias Vniuersitates Germaniæ hæresi infectas, studiorum gratia hactenus proficiscuntur, & ibidem commorantur. Decreuit hæc sancta Synodus contra tales monitorium speciale & generale, vt infra certum tempus, arbitrio domini Archiepiscopi & Episcoporum modernorum, Vniuersitates prædictas deserant, sub pœna priuationis beneficiorum, si beneficiati existunt: si autem non beneficiati, pœna arbitraria per dominos Lociordinarios imponenda. Decreuit etiam Monitorium contra parentes, tutores, & alios eisdem in præmissis sumptus & impensas probabiliter facientes, ne id de cætero faciant, sub pœna, in Regiæ Maiestatis edicto expressa. Rogandaq; Sa-

daq; Sacra Regia Maiestas est per Nuncios Synodales, vt cõtra tales edicta in prioribus Comitiis facta, exequi, & omnes ex Vniuersitatibus prædictis, pœnis grauioribus reuocare dignetur.

Ex Louicieñ. 1556.

QVoniam plurimùm Reipub: interest, vt Scholarum recta esset institutio, in quibus iuuentus Christiana, & in virtutibus Catholicæ disciplinæ, & in bonarum literarum doctrina, à probis & Catholicis Magistris & præceptoribus Deum timentibus educari possit: quandoquidem multũ refert, à iuuenta, sic vel sic aliquem institui. Proinde sacra Synodus vetera Statuta innouando, ad præcludendam viam agendis hæresibus, ne iuuentus ipsa ad studia Germanica & hæresi suspecta ex hac Prouincia mittatur, vbi non sine graui dispendio animarum agere possit, demumq; nonnisi peste hæretica imbuta domum reuerti: decreuit diligenter agendũ cum Sacra Maiestate Regia in proximo Conuentu Varssouieñ de restaurandis Vniuersitatibus, & studiis generalibus Cracouiensi & Posnanieñ, eisdemq; reformandis, & meliùs prouideñ. Præterea vt quoq; eadem Maiestas Regia publicum edictum de reuocandis his, qui Vitembergam, aut Regiummontem, vel alia suspecta studia profecti sunt, edat & promulget, sub pœnis grauioribus. Quo autem ad Scholas alias particulares, iniungit sacra Synodus dominis Locorumordinariis, vt Statuta Prouincialia vetera & noua, quæ de illis clarè disponunt, diligenter exequantur, atq; illas iuxta eadem Statuta prouideant: & Scholas Kozmineñ, Secemineñ, Pinczouieñ, aliasq; illis similes, per nouatores hæresum recens erectas, cũ eorum Pædagogis & Pseudomagistris iuuentutem corrumpentibus explodi, & proscribi autoritate Regia procurent.

Ex Sy-

Ex Synodo Varssouiensi. Ioannis Przerembski. 1561.

VT autem certum seminarium Clericorum, & Sacerdotum (quorum inopia maximè hoc tempore Ecclesia laborat) instituatur. Decreuit hæc sancta Synodus, vt Scholæ in vniuersum omnes, tam particulares, quàm vniuersales, & præsertim studium Cracouiense, reformentur. Inprimis itaq; vniuersale studium Cracouiense iuxta dispositionem statutorum R̃mus dominus Episcopus Cracouiensis, vna cum suo Venerabili Capitulo reforment, Scholam quoq; Posnanien sem, per R̃mum olim Ioannem Lubranski fundatam, R̃mus dominus Posnanien sis Episcopus, cum suo Venerabili Capitulo similiter reformet, & in meliorem statum restituat, ac pecunia ex Stauisineñ bonis reposita, censum certum emat, ex eaq; edificia Collegii ipsius restauret, & idoneos Magistros in ea foueat.

Cæteri verò R̃mi domini Lociordinarii, Scholas particulares, tam circa Metropolitanas, Cathedrales, & Collegiatas, quàm etiam in Parochialibus Ecclesiis reformare curent, ac dominos Scholasticos, aut illos Prælatos, ad quos de iure, vel erectione, aut fundatione prouisio Scholarum pertinet, Magistros & Præceptores, honestis salariis, præsertim si habeant Prælaturas suas benè dotatas, prouideri compellant. Si verò aliqua dotatio antiqua, particularibus Scholis per Parochos, aut alios quosuis fuerint adempta, per visitatores suos illam dotationem restitui mandent.

Statuit præterea hæc sancta Synodus, vt singuli R̃mi domini Locorumordinarii curarent, vt in loco aliquo Diœcesum suarum commodo Collegium instituerent, in eoq; certum numerum Scholarium, de victu & amictu prouiderent, ac stipendiis certis illos, qui ingenio & diligentia in discendo præstarent, contentarent. Ex quorum numero aliqui succes-

 sisuè,

ceſsiuè, iuxta vniuſcuiuſq; ætatem, ac qualitatem, ad ſacros ordines promoueri, & poſt ſuſceptos ordines, ad officia, & munia Eccleſiaſtica obeunda, beneficiaq; prouehi poſsint. Hac enim ratione certum ſeminarium idoneorum Clerorum hæc ſancta Synodus futurum eſſe ſperat.

Idem. Ex eadem.

ITem negligentias Ordinariorum Doctorum in Eccleſiis corrigendo, & ad officium ſuum eos reuocando, ſtatuit Sancta Synodus, vt ipſi Doctores Ordinarii, qui in Eccleſiis Metropolitanis, & Cathedralibus, ad legendum in Theologia, & Iuriſprudentia, ſtatutis temporibus, iuxta diſpoſitionem ordinationis ſuarum Præbendarum ſunt conſtituti, per Capitula Eccleſiarum moneantur, quo officio ſuo ſatisfaciant. Quodſi verò ter per Capitula ſua Capitulariter admoniti, officio ſuo non intenderint, per ꝓximos dominos Lociordinarios, Præbendis & Canonicatibus ſuis priuentur, & alii diligentiores in eorum locum ſurrogentur.

DE IVDAEIS.

Ex Antiquis.

ITem omnibus Chriſtianis huius Prouinciæ ſub pœna excommunicationis diſtrictiùs inhibemus, ne Iudæos vel Iudæas, ſecum ad conuiuandum recipiant, vel cum eis manducare vel bibere præſumant, aut etiam cum ipſis in nuptiis ſuis, vel neomeniis ſaltare vel tripudiare præſumant, nec Chriſtiani carnes venales ſeu alia cibaria à Iudæis emant, ne fortè per hoc Iudæi Chriſtianos, quos hoſtes ſuos reputant, fraudulenta machinatione venenent. Adiicientes, vt ſi de cætero, quocunq; prætextu, Iudæi à Chriſtianis graues, ſeu non moderatas vſuras extorſerint, Chriſtianorum participium ſubtrahatur, donec de immoderato grauamine ſatisfecerint competenter:

competenter: Vnde Christiani, si opus fuerit, per censuram Ecclesiasticam compellantur ab eorum cõmerciis abstinere. Principibus autem iniungimus, vt propter hoc Christianis non sint infensi, sed potiùs à tanto grauamine Iudęos studeant cohibere.

Vt autem Iudęi à Christianis valeant euidenter discerni: statuimus, & inuiolabiliter præcipimus obseruari, quòd omnes & singuli Iudęi, vtriusq; sexus, in terris nostræ Prouinciæ, portent vnum circulum de panno rubeo, pro signo assutum, siue consutum ante pectus, à parte sinistra, in veste superiori, quam communiter & regulariter portent desuper vestes suas, aliâs cum extra domos habitationis suæ exeunt, & incedunt, vel in publico, quocunq; modo apparent, aut exhibent, vel ostendunt, & huiusmodi signum, infra mensem assumere teneantur, à die publicationis constitutionis præsentis. Quodsi in eiusmodi signo assumendo infra terminũ supradictum, aut etiam de cætero, deferendo, prout superiùs est expressum, Iudæi præfati vel ipsotum aliqui contumaces fuerint vel rebelles, extunc Christianorum, omne emptionis & venditionis commercium, & quodlibet alium participium sibi penitus nouerint interdictum, aliâs ad arbitrium Lociordinarii puniendi.

Item. Cùm adhuc terra Polonica sit in corpore Christianitatis noua plantatio, ne fortè eo facilius populus Christianus, à cohabitantium Iudęorum superstitionibus, & prauis moribus inficiatur, quo leuius atq; citius Christiana religio, in fidelium cordibus, in his partibus est plantata, districtè præcipimus, vt Iudęi in hac nostra Prouincia Gnesnensi commorantes, inter Christianos permixti non habitent, sed in aliquo sequestri loco Ciuitatis, vel villæ, domos suas sibi contiguas, siue coniunctas habeant, ita quòd à communi habitatione Christianorum, sepe, muro, vel fossato, Iudęorum habitatio separetur. Præcipimus autem, vt per Episcopum

Diœcesanum, & per dominum temporalem, tam Christiani quàm Iudæi, quorum domus intermixtæ sunt, vt ad venditionem seu permutationem earum, ad arbitrium bonorum virorum, censura qua conuenit compellantur.

Interim autem, si Sacramentum altaris, ante domos Iudæorum deferri contingat, ipsi Iudæi audito sonitu, primo intra domos suas se recipiant, & fenestras ac ostia sua claudant. Postquam autem hæc separatio facta fuerit, decernimus vt Iudæi, in vna Ciuitate vel villa, vnicam tantum habeant Synagogam.

Item. Præcipimus, vt Iudæi Sacerdoti Parochiali, infra cuius Parochiæ terminos manserint, pro eo, quod loca in quibus Christiani habitare deberent occupant, iuxta quantitatem damni, quod ei ex hoc inferunt, ad arbitrium Diœcesani loci, omnes prouentus refundere compellantur.

Prohibemus etiam, ne stubas & balnea Christianorum frequentent, nec seruos, nec ancillas, aut nutrices, seu quæcunq; mancipia, die noctuq; in suis domibus retinere præsumant, nec ad recipiendum theloneum, seu aliud publicum officium aliquatenus assumantur. Si quis verò Iudæus, cum aliqua Christiana, fornicationis vitium deprehensus fuerit commisisse, quoadusq; decem marcas adminus pro emendatione soluerit, districto carceri mancipetur, & mulier Christiana quæ tantum damnatum coitum peregit, per Ciuitatem fustigata, de ipsa Ciuitate, sine spe redeundi penitus expellatur.

Petri Gamrati. 1542. Petricouiæ.

SAcrosancta Synodus secum expendens, quæ & quanta discrimina Christianis, & Ecclesiis, ex frequentia Iudæorum, vndequaq; ex Regnis, & vicinis dominiis pulsorum, in Regnum Poloniæ receptorum, imminent, qui sacra profanis miscere non verentur, ne quid deterius ex illorum frequentia eueniat, quod formidandũ esset: decreuit agendum esse apud

esse apud Sacram Maiestatem Regiam, vt numerum & multitudinem Iudęorum in Prouincia Gnesnensi, & præsertim in Ciuitate Cracouiensi, ad numerum certum, quem locus illis designatus caperet, dignetur redigere.

In aliis quoq; locis, vbi priùs non fuerunt, illis incolatum prohibere, efficereq; vt domos à Christianis non emant, & quas emerunt, rursus reuendant Christianis infra tempus certum, quas nisi reuenderent, infra certum tempus per Maiestatem Regiam præfixum, illis sint priuati. Synagogas nouas vbiq;, etiam Cracouiæ, muro extructas, destrui facere mandent. Licèt enim in memoriam Passionis Saluatoris nostri, Iudæi ab Ecclesia tolerentur, tamen eorum numerus augeri debet minimè, qui iuxta sacrorum Canonum dispositionem veteres Synagogas reformare, nouas autem, præsertim ex muro, minimè construere possunt. Et ne Christianæ nutrices ablactent fœtus eorum, vel econtra, id omninò districtius, sub pœnis grauissimis inhibeatur, authoritate Sacræ Regiæ Maiestatis: quamuis & Ordinarii habeant potestatem, à iure illis permissam talia inhibendi. Præterea ne in foris publicis, Ciuitatum, aut Oppidorum, in Ponticis aut mercimoniis, res venales exponant, sed illas in domibus eorum duntaxat vendant. Præterea habitum à Christianis distinctum, vt olim hîc fuit, & passim in omnibus aliis Prouinciis obseruatur, deferant: seruitores & mancipia Christiana habere prohibeantur, & si quæ habeant, dimmittere, & libertate donare adigantur. In Ciuitate autem Cracouiensi, præter sex testudines, pro rebus eorum conseruandis, deinceps apud Christianos non habeãt iuxta compactata, inter primum in Christro patrem, & Magnificum, dominos, Episcopum & Palatinum Cracouiẽ desuper facta, & per Sacram Regiam Maiestatem confirmata.

Iudæi, & Schismatici ex authoritate, & admissione, dominorum temporalium, in plerisq; locis publica gerunt officia,

& qui Christianis subiecti sunt, in Christianos ratione huiusmodi officiorum, habent imperiũ, & exercent iurisditionem.

Ruteni etiam, ad fidem Romanæ Ecclesiæ conuersi, ad ritum suum veterem impunè redeunt, & rebaptizantur, matrimonia cum orthodoxis contrahunt, & cum illis cohabitant: dum interdictum Ecclesiasticum ab illis, vti meritò debet, seruatur, illi campanas pulsant, processiones suas & cæremonias publicè exercent. Wladica Leopoliensis, qui antea non erat, de nouo est institutus. Iudæi diebus Sacris labores suos publicè exercent, & negociantur, contra sacrum Canonem, & iuris publici sanctiones, in scandalum multorum, atq; oppresionem & contemptum Christianæ libertatis. Agendum erit apud Sacram Maiestatem Regiam, vt id prohibeat, atq; huic, edicto suo Regio caueat. Nihilominus Ordinariilocorum, pœnas à sacris Canonibus, & Statutis Ecclesiæ, tam contra Schismaticos, quam contra Orthodoxæ fidei vtriusq; sexus homines extendant.

Eiusdem. Petricouiæ.

ET cum sit res magni scandali, & pessimi exempli, quòd Schismatici, Mosci, Turcæ, Tartari, Iudæi, & Armeni, quorum magna est frequentia in Ducatu Lituaniæ, seruos, & mancipia Christiana habere debeant, vnde ex tali consortio, & ex commixtione pleriq; à fide Orthodoxa abeunt, & subuertuntur. Commonendam duximus Sacram Regiam Maiestatem, vt talibus ita prouideatur, seuerissimisq; pœnis inhibeatur, ne de cætero liceat alicui prædictorum, & præcipuè Iudæis, Christianum mancipium habere, & cum illis, seu aliâs commisceri. Quod ꝛmi domini Episcopi, sua, & præsentis Synodi authoritate, debent & tenentur super his diligenter inquirere, & contra delinquentes ad pœnas iuris procedere.

De Hære-

DE HAERETICIS.

Ex Antiquis.

HAEretici quarumcunq; sectarum, & credentes ipsorum erroribus, necnon receptatores, defensores, & fautores eorum excommunicati sunt, quos vniuersi fideles Christi, maximè Parochiales Presbyteri, Diœcesano loci, vel inquisitori hæreticæ prauitatis, denunciare tenentur, vt pro suis demeritis vltionem accipiant, ne fidelium corda, eorum doctrinis pestiferis, corrumpantur.

Remedia contra Hæreticos.

PRimum remedium. Quòd literæ Ordinariorum dirigantur ad omnes Ecclesiarum Rectores præceptiuè, & sub pœna excommunicationis, quòd omnem diligentiam faciant in inquirendo, si qui ibi fuerint, qui nouam doctrinam suspectam denunciant, Clerici, vel laici, & personæ vtriusq; sexus: qui si reperti fuerint, quòd intiment suis Ordinariis, vel Archidiaconis secretò, & si præsentare eos poterint, vinctos repræsentent, & quòd moneant in genere omnes & singulos suos Parochianos, vt si aliqui sciunt, vel habent suspectos de prauitate hæretica, eos sibi denuncient.

Secundum remedium. Quòd Ordinarii scribant, requirentes Principes, Nobiles, Capitaneos, necnon communitates Ciuitatum, & villarum, ac earundem communitatum Rectoribus, & Procuratoribus, quibus in hoc committant vices suas, vt quoscunq; Clericos, vel laicos inuenerint hæreticos, vel suspectos, aut doctrinas nouas prædicantes, seu suggerentes, aut receptantes, & maximè defendentes, etiamsi per Rectores Ecclesiarum non fuerint requisiti, dummodo de singularitate doctrinæ ipsorum appareat, vinctos transmittant Episcopo, vel eius Officiali, aut Vicario, seu alteri Commissario, ad hoc deputato.

Tertium

Tertium remedium. Quòd nullus Rector Parochialis Ecclesiæ, suspectum prædicatorem, vel prædicare volentem admittat, aut in adiutorium curæ suæ aliquatenus recipiat.

Quartum remedium. Quòd Rectores Parochialium Ecclesiarum, vel illi, qui potestatem habent ponendi Rectores scholaribus, non dent recturas nisi & cognitis, & de hæresi non suspectis, neq; diffamatis. Quodq; præcipiatur Rectori sub pœna excommunicationis, quòd ad Scholas suas venientem de Bohemia, vel aliâs vndecumq; cuiusq; nationis fuerit in Scholis manere, non admittat, nec eum recipiat: receptum verò si solus poterit, Episcopo, vel Officiali repræsentet, vel potestati seculari intimet, quod eundem requirat, & in fauorem fidei ipsum vinctum adducat. Et videant Rectores Ecclesiarum scholares, si quid in Scholis de hac secta conferunt aut eam laudant seu defendunt: quos dum tales esse cognouerint, faciant, prout superiùs est præmissum.

Quintum remedium. Requirant Episcopi dominum Regem, Principes & potestates seculares, vt inquisitores hæreticæ prauitatis, circa extirpationem hæresis, foueant, adiuuent, & defendant, auxiliis etiam brachii secularis, iuxta formam iuris communis.

Sextum remedium. Quòd fiat mandatum, ex parte Episcoporum sub pœna excommunicationis, vt nullus qui potestatem habet, tanquam pater in filios, vel tanquam dominus in seruos, vel tanquam paterfamilias in aliquem de familiis, conferat aliquod subsidium in pecunia, vel rebus aliis quibuscunq; infectis prauitate hæretica, ad standum in Bohemia, vel aliâs vbicunq;, aut venientibus de eodem loco, vbicunq; hîc in Prouincia existant.

Septimum. Quòd domini Episcopi dirigant & expediant visitatores literatos, integræ opinionis Archidiaconos, vel alios qui visitent totam Diœcesim, inquirendo de fautoribus, receptatoribus, & defensoribus prauitatis hæreticæ,

Ioannis

Ioannis Huſs, & ſpecialiter, quòd faciant ſibi libros præſentari, tam per Rectores Parochialium, quàm eorum prædicatores. Circa quos videndos diligentiam habeant, an aliqua ſuſpecta ſint in eiſdem libris inſerta: & ſi inuenerint, extunc eoſdem ſuſpectos de hæreſi, ſi poterint, vinctos repræſentent. Alioquin faciant vt ſuperiùs eſt præmiſſum.

Octauum & vltimum. Quòd poſtquam ſuſpecti de hæreſi capti fuerint, extunc omnes libri eorum inquirantur, & areſtentur, & præſententur Epiſcopo, vel Officiali, aut inquiſitori. Et videtur dominis, quòd Ordinarii, quibus hoc ex officio competit ſuæ dignitatis, ſi quos hæreticos ſciuerint delatos, vel repertos, in officio ſuo minimè torpeſcant, nec vnus per alium ſe excuſent, ſed mutuo ſe iuuent. In Proceſſu verò contra tales, ſeruetur forma Sexti, & Clementinarum, ac iuris communis, & practica, quam ipſi inquiſitores hæreticæ prauitatis ſeruare conſueuerunt.

Ex nouis. In Synodo Petricouieñ prima.

STatuimus etiam, ne Hæreticos, Schiſmaticos, Tartaros Turcos in ſeruitio domeſtico, circa ſe Spirituales, cuiuscunq; ſtatus & conditionis fuerint, foueant, & mediante hac ſacra Synodo, inhibemus. Ordinarii autem, ſi apud aliquos tales inuenerint, abſq; contradictione aliqua, eoſdem recipiendi facultatem habebunt, ſeruitio vili, per eoſdem in bonis Eccleſiæ applicandos.

In Synodo Lancicieñ ſecunda.

EXcommunicamus & anathematizamus, omnem hæreſim extollentem ſe aduerſus hanc ſanctam, Orthodoxam, & Catholicam fidem, Eccleſiamq; Romanam, condemnantes hæreticos vniuerſos, quibuſcunq; nominibus cenſeantur, & præſertim Luteranos nouiter exortos, & Huſsitas

quosdam, quasi postliminii iure reuersos. Damnati verò, præsentibus secularibus potestatibus, iuxta Bullæ Apostolicæ, sacræ Maiestatis Regiæ generale decretum, & Canonica instituta, relinquantur animaduersione debita puniendi, Clericis priùs à suis ordinibus degradatis, ita quòd bona taliter damnatorum, si laici fuerint confiscentur: si verò Clerici, applicentur Ecclesiis, à quibus stipendia receperunt. Qui autem inuenti fuerint sola suspicione notabiles, nisi iuxta considerationem suspicionis, qualitatemq; personæ, propriam innocentiam, congrua purgatione monstrauerint, anathematis gladio feriantur, & vsq; ad satisfactionem condignam ab omnibus euitentur, ita quod si per annum in excommunicatione perstiterint, extunc velut hæretici condemnentur. Deinde vt Impressores librorum in nostra Prouincia, nihil prorsus imprimere, & Bibliopolæ, vel alii quicunq; exponere ac vendere deinceps audeant, ex libris vndecunq; adductis, nisi illos Ordinarii, vel per eos costituti viderint, & tam imprimi, quàm vendi permiserint. Contrafacientes autem, si reperti fuerint libros hæreticos impressisse, adduxisse, seu vendidisse, pœnis supradictis subiaceant.

Tenor verò Bullæ Apostolicæ præfatæ sequitur, & est talis.

Bulla Apostolica, contra errores Martini Lutheri, & sequacium.

LEO Episcopus seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Exurge Domine, & discerne causam tuam, memor esto improperiorum tuorum, eorum quæ ab insipientibus fiunt tota die. Inclina aurem tuam ad præces nostras, quoniam surrexerunt vulpes, quærentes demoliri vineam, cuius tu torcular calcasti solus: & ascensurus ad Patrem, eius curam, regimen & administrationem Petro, tanquam Ca-

quam Capiti, & tuo Vicario, eiusq; successoribus, instar triumphantis Ecclesiæ commisisti. Exterminare nititur eam aper de sylua, & singularis ferus depascit eam. Exurge Petre, & pro Pastorali cura præfata, tibi vt præfertur diuinitus demãdata, intende in causam Sanctę Romanę Ecclesiæ, matris omnium Ecclesiarũ, ac fidei magistræ, quam tu iubente Deo, tuo sanguine consecrasti, contra quam, sicut tu præmonere dignatus es, insurgunt Magistri mendaces, introducentes sectas perditionis, sibi celerem interitum superducentes: quorum lingua ignis est, inquietum malum, plena veneno mortifero: qui zelum amarum habentes, & contentionibus in cordibus suis gloriantur, & mendaces sunt aduersus veritatem. Exurge tu quoq; Paule quæsumus, qui eam tua doctrina, ac pari martyrio illuminasti, atq; illustrasti, iam enim surgit nouus Porphirius, quòd sicut ille olim Sanctos Apostolos iniustè momordit, ita hic sanctos Pontifices prædecessores nostros, contra tuam doctrinam eos non obsecrando, sed increpando mordere, lacerare, aut vbi causæ suæ diffidit, ad conuitia accedere non veretur: morem hæreticorum, quorum (vt inquit Hieronymus) vltimum præsidium est, vt cùm conspiciant causas suas damnatum iri, incipiant virus serpenti lingua diffundere, & cum se vinctos conspiciant, ad contumelias prosilire. Nam licèt hæreses esse ad exercitationem fidelium tu dixeris oportere, eas tamen ne incrementum accipiant, neuè vulpeculæ coalescant, in ipso ortu te intercedente, & adiuuante extingui necesse est. Exurgat deniq; omnis Sãctorum, ac reliqua vniuersalis Ecclesia, cuius vera sacrarum literarum interpretatione posthabita, quidam, quorum mentem pater mendacii excœcauit, ex veterum hæreticorum instituto, apud semetipsos sapientes, scripturas easdem aliter, quàm Spiritus Sanctus flagitet, proprio duntaxat sensu, ambitionis, auræq; popularis causa, teste Apostolo, interpretantur, imò verò torquent, & adulterant, ita vt iuxta Hieronymum,

mum, iam non sit Euangelium Christi, sed hominis, aut, quod peius est, Diaboli. Exurgat inquam præfata Ecclesia sancta Dei, vna cum beatissimis Apostolis præfatis, apud Deum omnipotentem intercedat, vt purgatis ouium suarum erroribus, eliminatisq; à fidelium finibus hæresibus vniuersis, Ecclesiæ suæ sanctæ, pacem & vnitatem conseruare dignetur. Dudum siquidem, quod præ animi angustia, & mœrore exprimere vix possumus, fide dignorum relatu, ac fama publica referente, ad nostrum peruenit auditum, imò verò, proch dolor, oculis nostris videmus, ac legimus, multos ac varios errores, quosdam videlicet, iam per Concilia ac prædecessorum nostrorum constitutiones damnatos, hæresim etiam Græcorum, & Bohemicam expresse continentes, alios verò respectiuè, vel hæreticos, vel falsos, vel scandalosos, vel piarum aurium offensiuos, vel simplicium mentium seductiuos, à falsis fidei cultoribus, qui per superbam curiositatem, mundi gloriam cupientes, contra Apostoli doctrinam, plus sapere volunt, quàm oporteat, quorum garrulitas (vt inquit Hieronymus) sine scripturarum authoritate non haberet fidem, nisi viderentur peruersam doctrinam, etiam diuinis testimoniis, malè tamen interpretatis, roborare: à quorum oculis Dei timor recessit, humani generis hoste suggerente, nouiter suscitatos, & nuper apud quosdam leuiores, in inclita natione Germanica seminatos. Quod eo magis dolemus ibi euenisse, quòd eandem nationem, & nos, & prædecessores nostri in visceribus semper gesserimus charitatis. Nam post translatum ex Græcis à Romana Ecclesia, in eosdem Germanos imperium, idem prædecessores nostri, & nos eiusdem Ecclesiæ, aduocatos, defensoresq; ex eis semper accipimus. Quos quidem Germanos, Catholicæ veritatis verè germanos, constat hæresium acerrimos oppugnatores semper fuisse: cuius rei testes sunt, laudabiles illæ constitutiones Germanorum Imperatorum, pro libertate Ecclesiæ, proq; expellendis,

pellendis, exterminandisq; ex omni Germania hæreticis, sub grauissimis pœnis, etiam amissionis terrarum & dominiorum, contra receptatores, vel non expellentes olim editæ, & à nostris prædecessoribus confirmatæ, quæ si hodie seruarentur, & nos, & ipsi, vtiq; hac molestia careremus. Testis est in Concilio Constãtien Husitarum, ac Wicleuistarum, necnon Hieronymi Pragensis damnata, & punita perfidia. Testis est totiens contra Bohemos Germanorum sanguis effusus: Testis deniq; est, prædictorum errorum, seu multorum ex eis, per Colonien, & Louanien Vniuersitates, vt potè agri Dominici piissimas religiosissimasq; cultrices, non minus docta, quàm vera & sancta confutatio, reprobatio, & damnatio. Multa quoq; alia allegare possemus, quæ ne historiam texere videamur, prætermittenda censuimus. Pro Pastoralis igitur officii diuina gratia nobis iniuncti cura, quam gerimus, prædictorum errorum virus pestiferum vlteriùs tolerare, seu dissimulare, sine Christianæ religionis nota, atq; Orthodoxæ fidei iniuria, nullo modo possumus. Eorum autem errorum aliquos præsentibus duximus inserendos, quorum tenor sequitur, & est talis.

Hæretica sententia est, sed vsitata. Sacramenta nouæ legis iustificantem gratiam illis dare, qui non ponunt obicem. In puero post Baptismum negare remanens peccatum, est Paulum & Christum simul conculcare. Fomes peccati etiamsi nullum adsit actuale peccatum, moratur exeuntem à corpore animam ab ingressu cœli. Imperfecta charitas morituri, fert secum necessariò magnum timorem, qui se solo satis est facere pœnam Purgatorii, & impedit introitum Regni. Tres esse partes pœnitentiæ, Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem, non est fundatum in sacra scriptura nec in antiquis Sanctis Christianis Doctoribus. Contritio quæ paratur per discussionem, collectionem, detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ

ſuæ, ponderando peccatorum grauitatem, multitudinem, fœditatem, ammiſsionem æternæ beatitudinis, ac æternę damnationis acquiſitionem, hæc Contritio facit hipocritam, imò magis peccatorem. Veriſsimum eſt Prouerbium, & omnium doctrina de Contritionibus hucuſq; data præſtantius: de cætero non facere ſumma pœnitentia: optima pœnitentia, noua vita. Nullo modo præſumas confiteri peccata venialia, ſed nec omnia mortalia, quia impoſsibile eſt, vt omnia mortalia cognoſcas. Vnde in primitiua Eccleſia ſolum manifeſta mortalia confitebantur. Dum volumus omnia purè confiteri, nihil aliud facimus, quàm quòd miſericordiæ Dei nihil volumus relinquere ignoſcendum. Peccata non ſunt vlli remiſſa, niſi remittente Sacerdote credat ſibi remitti, imò peccatum maneret, niſi remiſſum crederet: non enim ſufficit remiſsio peccati, & gratiæ donatio, ſed oportet etiam credere eſſe remiſſum. Nullo modo confidas abſolui, propter tuã contritionem, ſed propter verbũ Chriſti: Quodcunq; ſolueritis &c. Hic inquam confide, ſi Sacerdotis obtinueris abſolutionem, & crede fortiter te abſolutum, & abſolutus verè eris, quicquid ſit de contritione: ſi per impoſsibile confeſſus non eſſet contritus, aut Sacerdos non ſerio ſed ioco abſolueret, ſi tamen credat ſe abſolutum, veriſsimè eſt abſolutus. In Sacramento Pœnitentiæ, ac remiſsione culpæ, non plus facit Papa, Epiſcopus, quàm infimus Sacerdos, imò vbi non eſt Sacerdos æquè tantum quilibet Chriſtianus, etiamſi mulier aut puer eſſet. Nullus debet Sacerdoti reſpondere ſe eſſe contritũ, nec Sacerdos requirere. Magnus eſt error eorum, qui ad Sacramenta Euchariſtiæ accedunt huic innixi, quòd ſint confeſsi, quòd non ſint ſibi conſcii alicuius peccati mortalis, quòd præmiſerint orationes ſuas, & præparatoria, omnes illi ad iudicium ſibi manducant & bibunt, ſed ſi credant & confidant ſe gratiam ibi conſequuturos, hæc ſola fides facit eos puros, & dignos.

Conſultum

Consultum videtur, quòd Ecclesia in cõmuni consilio statueret, laicos sub vtraq; specie communicandos: nec Bohemi communicantes sub vtraq; specie sunt hæretici, vel schismatici.

Thesauri Ecclesiæ, vnde Papa dat indulgentias, nõ sũt merita Christi, & Sanctorum. Indulgentiæ sunt piæ fraudes fidelium, & remissiones bonorum operum, & sunt de numero eorum, quæ licent, & non de numero eorũ quæ expediunt.

Indulgentiæ his, qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem pœnæ pro peccatis actualibus, debitæ apud diuinam iustitiam.

Seducuntur credentes indulgentias esse salutares & ad fructum Spiritus vtiles.

Indulgentiæ necessariæ sunt, solum publicis criminibus, & propriè conceduntur duris solummodo & impatientibus.

Sex generibus hominum indulgentiæ nec sunt necessariæ, nec vtiles, videlicet mortuis seu morituris, infirmis legitimè impeditis, his qui non commiserunt crimina, his qui crimina commiserunt, sed non publica, his qui meliora operantur.

Excommunicationes sunt tantùm externæ pœnæ, nec priuant hominem communibus spiritualibus Ecclesiæ orationibus. Docendi sunt Christiani, plus diligere excommunicationem, quàm timere. Romanus Pontifex Petri successor, non est Christi Vicarius super omnes totius mundi Ecclesias, ab ipso Christo in beato Petro institutus. Verbum Christi ad Petrum. Quodcũq; solueris super terrã &c. extenditur duntaxat ad legata ab ipso Petro. Certum est in manu Ecclesiæ, aut Papæ prorsus non esse statuere articulos fidei, imò nec leges morum, seu bonorum operum. Si Papa cùm magna parte Ecclesiæ sic vel sic sentiret, nec etiam erraret, adhuc non est peccatum, aut hæresis contrarium sentire, præsertim in re non necessaria ad salutem, donec fuerit per Concilium

cilium vniuersale alterum reprobatum, alterum approbatum. Via nobis facta est enarrandi, authoritatem Conciliorum, & liberè contradicendi eorum gestis, & iudicandi eorum decreta, & confidenter confitendi, quicquid verum videtur, siue probatum fuerit, siue reprobatum à quocunq; Concilio. Aliqui articuli Ioannis Hus, condemnati in Concilio Constantien, sunt Christianissimi, verissimi, & Euangelici, quos nec vniuersa Ecclesia posset damnare. In omni opere bono iustus peccat. Opus bonum optimè factum, est veniale peccatum. Hæreticos comburi, est contra voluntatem spiritus. Præliari aduersus Turcas, est repugnare Deo, visitanti iniquitates nostras per illos. Nemo est certus, se non semper peccare mortaliter, propter occultissimum superbiæ vitium. Liberum arbitrium post peccatum, est res de solo titulo, & dum facit quod in se est, peccat mortaliter. Purgatorium non potest probari ex sacra scriptura, quæ sit in Canone. Animæ in Purgatorio non sunt securæ de earum salute, saltem omnes, nec probatum est vllis aut rationibus, aut scripturis, ipsas esse extra statum merendi, aut agendæ charitatis. Animæ in Purgatorio peccant sine intermissione, quamdiu quærunt requiem, & horrent pœnas. Animæ ex Purgatorio liberatæ suffragiis viuentium, minus beantur, quàm si per se satisfecissent. Prælati Ecclesiastici, & Principes seculares non malefacerent, si omnes saccos mendicitatis delerent.

Qui quidem errores respectiuè, quàm sint pestiferi, quàm pernicioſi, quàm scandalosi, quàm piarum & simplicium mentium seductiui, quàm deniq; sint contra omnem charitatem, ac S. R. Ecclesiæ matris omnium fidelium, & magistræ fidei reuerentiam, atq; neruum Ecclesiasticæ disciplinæ, obedientiam scilicet, quæ fons est & origo omnium virtutum, sine qua facilè vnusquisq; infidelis esse conuincitur, nemo sanæ mentis ignorat. Nos igitur in præmissis, vt potè grauissimis propensiùs (vt decet) procedere, necnon huiusmodi pesti, mor-

sti morboq; cancerosо, ne in agro Dominico, tanquam vepris nociua, vlterius serpat, viam præcludere cupientes, habita super prædictis erroribus & eorum singulis diligenti trutinatione, discussione, ac districto examine, maturaq; deliberatione, omnibusq; ritè pensatis, ac sæpius ventilatis, cum Venerabilibus fratribus nostris, S. R. Ecclesiæ Cardinalibus, ac regularium ordinum Prioribus seu Ministris generalibus, pluribusq; aliis Sacræ Theologiæ, necnon vtriusq; Iuris Professoribus siue Magistris, & quidem peritissimis, ceperimus eosdem errores respectiuè (vt præfertur) aut articulos non esse Catholicos, nec tanquam tales esse dogmatizandos, sed contra Catholicæ Ecclesiæ doctrinam, siue traditionem, atq; ab ea, veram diuinarum scripturarum receptam interpretationem, cuius authoritati, ita acquiescendum censuit Augustinus, vt dixerit, se Euangelio non fuisse crediturum, nisi Ecclesiæ Catholicæ interueniisset authoritas. Nam ex eisdem erroribus, vel eorum aliquo, vel aliquibus, palam sequitur, eandem Ecclesiam, quæ Spiritu Sancto regitur, errare, & semper errasse. Quod est vtiq; contra illud, quod Christus discipulis suis in ascensione sua (vt in sancto Euangelio Matthæi legitur) promisit dicens: Ego vobiscum sum vsq; ad cosumationem seculi. Necnon contra sanctorum Patrum determinationes, Conciliorum quoque, & Summorum Pontificum expressas ordinationes, seu Canones, quibus nō obtemperasse omnium hæresum & schismatum, teste Cypriano, fomes & causa semper fuit. De eorundem itaq; Venerabilium fratrum nostrorum consilio, & assensu, ac omnium & singulorum prædictorum matura deliberatione præhabita, authoritate omnipotentis Dei, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & nostra, præfatos omnes, & singulos articulos, seu errores, tanquam (vt præmittitur) respectiuè hæreticos, aut scandalosos, aut falsos, aut piarum aurium offensiuos, vel simplicium mentium seductiuos, & veritati Ca-

tholicæ obuiantes, damnamus, reprobamus, atq; omnino reiicimus, ac pro damnatis, reprobatis, & reiectis, ab omnibus vtriusq; sexus Christifidelibus haberi debere, harum seriè decernimus & declaramus. Inhibentes in virtute sanctæ obedientiæ, & sub maioris excommunicationis latæ sententiæ pœna: Necnon quo ad Ecclesiasticas & regulares personas, Episcopalium omnium, etiam Patriarchalium, Metropolitanarum, & aliarum Cathedralium Ecclesiarum, Monasteriorum quoq;, & Prioratuum, etiam Conuentualium, & quarumcunq; dignitatum, ac beneficiorum Ecclesiasticorum secularium, aut quorumuis ordinum regularium, priuationis, & inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda. Quo verò ad Conuentus, Capitula, seu domos, ac pia loca secularium, vel regularium, etiam mendicantium, necnon vniuersitatis, etiam studiorum generalium, quorumcunq; Priuilegiorum, Indultorum, à Sede Apostolica vel eius Legatis, aut aliâs quomodolibet habitorum, vel obtentorum, cuiuscunq; tenoris existant: Necnon nominis & potestatis, studium generale tenendi, legendi, ac interpretandi, quasuis scientias, & facultates, & inhabilitatis, ad illa, & alia in posterum obtinenda. Prædicationis quoq; officii, ac ammissionis studii generalis, & omnium Priuilegiorum eiusdem. Quo verò ad seculares eiusdem excommunicationis, necnon ammissionis cuiuscunq; Emphiteosis, seu quorumcunq; feudorum, tam à Romana Ecclesia, quàm aliâs quomodolibet obtentorum, ac etiam inhabilitatis ad illa, & alia in posterũ obtinenda. Necnon quod omnes & singulos superius nominatos, inhibitionis Ecclesiasticæ sepulturæ, inhabilitatisq;, ad omnes & singulos actus legitimos, infamiæ, & diffidationis, & criminis læsæ Maiestatis, & hæreticorum, & fautorum eorundem, in iure expressis pœnis eo ipso, & absq; vlteriori declaratione, per omnes & singulos supradictos, si (quod absit) contrafecerint incurrendis: à quibus vigore cuiuscunq; facultatis, ac clausularum,

130

clausularum, etiam in cõfessionalibus quibusuis personis, sub quibusuis verborum formis contentarum, nisi à Romano Pontifice, vel alio ab eo ad id in specie facultatem habente, præterquàm in mortis articulo constituti absolui nequeant. Omnibus & singulis vtriusq; sexus Christifidelibus, tam laicis quàm Clericis secularibus, & quorumuis ordinum regularibus, & quibuscunq; personis, cuiuscunq; status, gradus, vel conditionis existant, quacunq; Ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate, etiam sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Cardinalibus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, Patriarchalium, Metropolitanarum, & aliarum Cathedraliũ, Collegiatarũ, ac inferiorũ Ecclesiarum, Prçlatis, Clericis aliisq; personis Ecclesiasticis, secularibus, & quorumuis ordinum, etiam mendicantium, Regularibus, Abbatibus, Prioribus, vel ministris generalibus, vel particularibus, fratribus seu religiosis, exemptis & non exemptis, Studiorum quoq; vniuersitatibus, secularibus, & quorumuis ordinum, etiam mendicantium regularibus, necnon Regibus, Imperatoribus, Electoribus, Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Capitaneis, Conductoribus, Domicellis, omnibusq; Officialibus, Iudicibus, Notariis Ecclesiasticis & secularibus, Communitatibus, Vniuersitatibus, Potestatibus, Ciuitatibus, Castris Terris, & locis eorum, vel earum Ciuibus, habitatoribus, & incolis, ac quibusuis aliis personis Ecclesiasticis, vel regularibus (vt præfertur) per vniuersum orbem vbicunq;, præsertim in Alemania existentibus, vel pro tempore futuris, ne præfatos errores, aut eorum aliquos, peruersamq; doctrinam huiusmodi asserere, affirmare, defendere, prædicare, aut illi quomodolibet publicè, vel occultè, quouis quæsito ingenio, vel colore, tacitè vel expressè fauere præsumant. Insuper quia errores præfati & plures alii continentur in libellis, seu scriptis cuiusdam Martini Luter, dictos libellos, & omnia dicti Martini scripta, seu

prædicationes in Latino, vel quocunq; alio idiomate reperiantur, in quibus dicti errores, seu aliquis eorum continentur, similiter damnamus, reprobamus, atq; omnino reiicimus, & pro omnino damnatis, reprobatis, ac reiectis, vt præfertur, haberi volumus. Mandantes in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœnis prædictis, eo ipso incurrendis, omnibus & singulis, vtriusq; sexus Christifidelibus superiùs nominatis, ne huiusmodi scripta, libellos, prædicationes, seu cædulas, vel in eis contenta capitula, errores, aut articulos supradictos continentia, legere, asserere, prædicare, laudare, imprimere, publicare, siue defendere, per se, vel alium, seu alios, directè vel indirectè, tacitè vel expressè, publicè vel occultè, aut in domibus suis siue aliis publicis vel priuatis locis tenere quoquo modo præsumant: quinimo illa statim post harum publicationem, vbicunq; fuerint per Ordinarios, & alios supradictos diligenter quæsita, publicè, & solenniter, in præsentia Cleri, & populi sub omnibus & singulis supradictis pœnis comburant. Quod verò ad ipsum Martinum attinet, bone Deus, quid prætermisimus? quid non fecimus? quid paternæ charitatis omisimus, vt eum ab eiusmodi erroribus reuocaremus? Postquàm enim ipsum citauimus, mitiùs cum eo procedere volentes, illum inuitauimus, atq; tam per diuersos tractatus, cum Legato nostro habitos, quàm per literas nostras hortati fuimus, vt à prædictis erroribus discederet, aut ad nos, oblato etiam saluo conductu, & pecunia ad iter necessaria, sine metu, sine timore aliquo, quem perfecta charitas foras mittere debuit, veniret, ac Saluatoris nostri, Apostoliq; Pauli exemplo, non in occulto, sed palàm, & in facie loqueretur. Quod si fecisset, pro certo (vt arbitramur) ad cor reuersus, errores suos cognouisset, nec in Romana Curia, quam tantoperè vanis maleuolorum rumoribus, plusquàm oportuit tribuendo vituperat, tot reperisset errata: docuissemusq; cum luce clariùs, sanctos Romanos Pontifices prædeces-

sores

decessores nostros, quos præter omnem modestiam iniuriosè lacerat, in ipsorũ Canonibus seu Constitutionibus, quas mordere nititur, nunquam errasse. Quia iuxta Prophetam, nec in Galahad resina, nec medicus deesset, sed obaudiuit semper, & prædicta citatione, omnibusq; & singulis supradictis spretis, venire contempsit, ac vsq; in præsentem diem contumax, atq; animo indurato, Censuras vltra annum sustinuit. Et quod deterius est, addens mala malis, de citatione huiusmodi notitiam habens, in vocem temerariæ appellationis prorupit ad futurum Concilium, contra Constitutionem Pii secundi, ac Iulii secundi, prædecessorum nostrorum, qua cauetur, taliter appellantes, hæreticorum pœna plectendos (frustra etiam Concilii auxilium implorauit, qui illi se non credere palàm profitetur) ita vt contra ipsum tanquam de fide notoriè suspectum, imò verè hæreticum, absq; vlteriori citatione, vel mora ad condemnationem, & damnationem eius, tanquam hæretici, ac ad omnium & singularum suprascriptarum pœnarum, & Censurarum seueritatem procedere possemus. Nihilominus de eorundem fratrum nostrorum consilio, omnipotentis Dei imitantes clementiam, qui non vult mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat, omnium iniuriarum hactenus nobis, & Apostolicæ sedi illatarum obliti, omni qua possumus pietate, vti decreuimus, & quantum in nobis est agere, vt proposita mansuetudinis via, ad cor reuertatur, & à prædictis recedat erroribus, vt ipsum tanquam filium illum prodigum, ad gremium Ecclesiæ reuertentem benignè recipiamus. Ipsum igitur Martinum, & quoscunq; ei adhærentes, eiusq; receptatores, & fautores, per viscera misericordiæ Dei nostri, & per aspersionem sanguinis Dñi nostri Iesu Christi, quo, & per quem, humani generis redemptio, & sanctæ matris Ecclesiæ ædificatio facta est, ex toto corde hortamur, & obsecramus, vt ipsius Ecclesiæ pacem, vnitatem, & veritatem, pro qua ipse Saluator tam instanter

orauit ad patrem, turbare desistant, & à prædictis tam pernicioſis erroribus prorsus abstineant. Inuenturi apud nos, si effectualiter paruerint, & paruisse per legitima documenta nos certificauerint, paternæ charitatis affectum, & apertum manſuetudinis, & clementiæ fontem. Inhibentes nihilominus eidem Martino exnunc, vt interim ab omni prædicatione, seu prædicationis officio omnino desistat: Alioquin, vt ipsum Martinum, si fortè iustitiæ, & virtutis amor à peccato non retrahat, indulgentiæq; spes ad pœnitentiam non reducat, pœnarum terror coerceat disciplinæ: eundem Martinum, eiusq; adhærentes, complices fautores, & receptatores, tenore præsentium requirimus, & monemus, in virtute sanctę obedientię, & sub prædictis omnibus & singulis pœnis, eo ipso incurrendis, districtè præcipiendo, mandamus, quatenus infra sexaginta dies, quorum, pro primo viginti, pro secundo viginti, reliquos viginti dies, pro tertio & peremptorio termino assignamus, ab affixione præsentium in locis infrascriptis, immediatè sequentes numerandos: Ipse Martinus, complices, fautores, adhærentes, & receptatores prædicti, à præfatis erroribus, eorumq; prædicatione ac publicatione, & assertione, defensione quoq;, & librorum seu scripturarum editione, super eisdem, siue eorum aliquo omnino desistant, libros q; ac scripturas omnes & singulas, præfatos errores, seu eorum aliquos quomodolibet continentes comburant, vel comburi faciant. Ipse etiam Martinus errores, & assertiones huiusmodi, omnino reuocet, ac de reuocatione huiusmodi, per publica documenta, in forma iuris valida, in manibus duorum Prælatorum consignata, ad nos infra alios similes sexaginta dies trasmittenda vel ipsummet (si ad nos venire voluerit, quod magis placeret) cum præfato plenissimo saluo Conductu, quem exnunc concedimus, deferenda, certiores nos efficiat, vt de eius vera obedientia, nullus dubitationis scrupulus valeat remanere. Aliâs si

(quod

(quod absit) Martinus præfatus, complices, fautores, adhærentes, & receptatores prędicti, secus egerint, seu præmissa omnia & singula, infra terminũ prædictum, cum effectu non adimpleuerint, Apostoli imitantes doctrinam, qui hæreticũ hominem post primam & secundam correctionem vitandum docuit. Exnunc, prout extunc, & econuerso, eundem Martinum, complices, & adhærentes, fautores, & receptatores præfatos, & eorum quemlibet, tanquam aridos palmites in Christo non manentes, sed doctrinam contrariam, Catholicæ fidei inimicam, siue scandalosam, seu damnatam, in non modicam offensam diuinę maiestatis, ac vniuersalis Ecclesiæ, & fidei Catolicæ detrimentum, & scandalum, dogmatisantes, & prædicantes: Claues quoq; Ecclesiæ vilipendentes, notorios, & pertinaces hæreticos, eadem authoritate fuisse & esse declarantes eosdem vt tales, harum serie condemnamus, & eos pro talibus haberi, ab omnibus vtriusq; sexus Christifidelibus supradictis, volumus, & mandamus, eosq; omnes & singulos, omnibus supradictis, & aliis contra tales à iure inflictis pœnis, tenore præsentiũ subiicimus, & eisdem irretitos fuisse, & esse decernimus, & declaramus. Inhibemus præterea, sub omnibus & singulis præmissis pœnis, eo ipso incurrendis, omnibus & singulis Christifidelibus superius nominatis, ne scripta, etiam præfatos errores non continentia, ab eodem Martino quomodolibet condita vel edita, aut condenda, vel edenda, seu eorum aliqua, tanquã ab homine Orthodoxæ fidei inimico, atq; ideo vehementer suspecta legant. Et vt eius memoria omnino deleatur de Christifidelium consortio, legere, asserere, prædicare, laudare, imprimere, publicare, siue defendere, per se, vel alium, seu alios, directè vel indirectè, tacitè vel expresè, publicè vel occultè, seu in domibus suis, siue aliis locis publicis vel priuatis, tenere quoquo modo præsumant, quinimo illa (vt præfertur) comburant. Monemus insuper omnes & singulos Christifideles supradictos, sub

ctos, sub eadem excommunicationis latæ sententiæ pœna, vt hæreticos prædictos, declaratos, & condemnatos, mandatis nostris non obtemperantes, post lapsum termini supradicti euitent, & quantum in eis est euitari faciant, nec cum eisdem vel eorum aliquo, commercium, aut aliquam conuersationem seu cõmunionem habeant, nec eis necessaria ministrent. Ad maiorem præterea dicti Martini, suorumq; complicum, fautorum vel adhærentium, aut receptatorum prædictorum, sic post lapsum termini prædicti declarationem hæreticorum, & condemnatorum confusionem: vniuersis & singulis vtriusq; sexus Christifidelibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Patriarchalium, Metropolitanarum, & aliarum Cathedralium, Collegiatarum, ac inferiorum Ecclesiarum, Prælatis, Capitulis, aliisq; personis Ecclesiasticis secularibus, & quorumuis ordinum, etiam mendicantium (præsertim eius congregationis, cuius dictus Martinus est professus, & in qua degere vel morari dicitur) Regularibus, exemptis, & non exemptis, necnon vniuersis, & singulis Principibus, quacunq; Ecclesiastica, vel mundana fulgentibus dignitate, Regibus, Imperatoribus, Electoribus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Capitaneis, Conductoribus, Domicellis, Communitatibus, Vniuersitatibus, Potentatibus, Ciuitatibus, Terris, Castris, & locis, seu eorũ habitatoribus, Ciuibus, & incolis, omnibusq; aliis & singulis supradictis, per vniuersum orbem, præsertim in eadem Alemania constitutis mandamus: quatenus, sub prædictis omnibus & singulis pœnis, ipsi vel eorum quilibet præfatum Martinum, complices, adhærentes, receptantes, & fautores personaliter capiant, & captos ad nostram instantiam retineant, & ad nos mittant. Reportaturi pro tam bono opere, à nobis & sede Apostolica, remunerationem, præmiumq; condignum, vel saltem eos, vel eorum quemlibet de Metropolitanis, Cathedralibus, Collegiatis, & aliis Ecclesiis, Domibus, Mona-

bus, Monasteriis, Conuentibus, Ciuitatibus, dominiis, Vniuersitatibus, Communitatibus, Castris, Terris, ac locis respectiuè, tam Clerici, & regulares, quàm laici omnes, & singuli supradicti omnino expellant. Ciuitates verò, dominia, terras, Castra Villas, Comitatus, Fortalicia, Oppida & loca quæcunq; vbilibet consistentia earum, & eorum respectiuè, Metropolitanas, Cathedrales, Collegiatas, & alias Ecclesias, Monasteria, Prioratus, Domus, Conuentus & loca religiosa, vel pia, cuiuscunq; ordinis (vt præfertur) ad quæ præfatum Martinum vel aliquem ex prędictis declinare contigerit, quamdiu ibi permanserit, & triduo post recessum, Ecclesiastico subiicimus interdicto. Et vt præmissa omnibus innotescant: mandamus insuper vniuersis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Patriarchalium, Metropolitanarum, & aliarum Cathedralium ac Collegiatarum Ecclesiarum Prælatis, Capitulis, aliisq; personis Ecclesiasticis, secularibus, & quorumuis ordinum supradictorum, Regularibus fratribus, Religiosis, Monachis, exemptis & non exemptis, supradictis, vbilibet, præsertim in Alemania constitutis: quatenus ipsi, vel eorum quilibet, sub similibus Censuris, ac pœnis, eo ipso incurrendis, Martinum, omnesq; & singulos supradictos, qui elapso termino huiusmodi, mandatis, seu monitis nostris non paruerint, in eorum Ecclesiis, Dominicis & aliis Festiuis diebus, dum inibi maior populi multitudo ad diuina conuenerit, declaratos hæreticos, & condemnatos publicè nuncient, faciantq; & mandent ab aliis nunciari, & ab omnibus arctiùs euitari. Necnon omnibus Christifidelibus, vt eos euitent, pari modo, sub prædictis Censuris, & pœnis, & præsentes literas, vel earum transumptum, sub forma infrascripta factum, in eorum Ecclesiis, Monasteriis, Domibus, Conuentibus, & aliis locis, legi, publicari, atq; affigi faciant. Excõmunicamus quoq; & anathematizamus omnes & singulos cuiuscunq; status, gradus, con-

 ditionis,

ditionis, præeminentiæ, dignitatis aut excellentiæ fuerint, qui quominus præsentes literæ, & earum transumpta, copiæ, seu exemplaria, in suis terris, & dominiis legi, affigi, & publicari, possint, fecerint, vel per se, vel alium, seu alios, publicè vel occultè, directè vel indirectè, tacitè vel expressè, quoquo modo procurauerint. Postremò quia difficiliter foret præsentes literas ad singula quæq; loca deferri, in quibus necessarium foret, volumus & Apostolica authoritate decernimus, quòd earũ transumptis, manu publici Notarii confectis & subscriptis, vel in alma Vrbe impressis, & sigillo alicuius Ecclesiastici Prælati munitis, vbiq; stetur, & plena fides adhibeatur, prout originalibus literis staretur & adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Et ne præfatus Martinus, omnesq; alii supradicti, quos præsentes nostræ literæ quomodolibet concernunt, ignorantiam earundem literarum, & in eis contentorum omnium, & singulorum prætendere valeant, literas ipsas in Basilica Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, necnon Cathedralium Ecclesiarum, Brandeburgen, Misnen, & Merspurgen valuis affigi, & publicari debere volumus. Decernentes, quòd earundem literarum publicatio sic facta, super dictum Martinum, omnesq; alios & singulos prænominatos, quos literæ huiusmodi quomodolibet concernunt, perinde arctent: acsi literæ ipsæ die affixionis & publicationis huiusmodi eis personaliter lectæ & intimatæ forent. Quũ non sit verisimile, quòd ea quæ tam patenter fiunt, debeant apud eos incognita remanere: non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, seu si supradictis omnibus, & singulis, vel eorũ alicui, aut quibusuis aliis, à sede Apostolica prædicta, vel ab ea potestatem habentibus, sub quauis forma, etiam confessionalis, & cum quibusuis etiam fortissimis clausulis, aut ex quauis causa, seu grandi consideratione, indultum, vel concessum existat, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per literas Aposto-

ras Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales id importantes, de indulto huiusmodi mentionem, eiusdem indulti, tenores, causas, & formas, perinde ac si de verbo ad verbum insererentur: ita vt omnino tollatur præsentibus, pro expresis habentes. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ damnationis, reprobationis, reiectionis, decreti declarationis, inhibitionis, voluntatis, mandati, hortationis, obsecrationis, requisitionis, monitionis, assignationis, concessionis, condemnationis, subiectionis, excõmunicationis, & Anathematizationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrũ. Anno incarnationis Dominicæ, Millesimo quingentesimo vigesimo septimo. Decimo Kalendas Iulii. Pontificatus nostri, anno octauo.

EDICTVM SIGISMVNDI Regis, contra Hæreticos.

Sigismũdus Dei gratia Rex Poloniæ, magnus Dux Litvaniæ, Russię Prussiæq; Dñs & hæres. &c.

MAnifestum facimus, omnibus & singulis, cuiuscunq; status, & ordinis, subditis nostris: necnon etiam aduenis quibuscunq; in Regno, & dominiis nostris vbilibet existentibus. Quia cum humanis ingeniis, præsertim vulgi, ad res nouas ac insolentes propensis, necesse sit cùm alia mala pleraq;, tùm verò schismata & hæreses emergere, necesse item sit illas, per eos qui diuinis ac humanis institutis præpositi sunt, tanquam zizania ex agro putari & eradicari. Si quidem sola

dem sola est religio, quæ legibus ac institutis suis, homines in disciplina, in virtute, ac in fide, erga Deũ, & homines continet ac regit, Quaq; in norma, & obseruatione sua veteri, turbata & dissoluta, turbari ac dissolui necesse est vniuersa: quod postea, vt in multis exemplis constat, in seditiones vergere, ac in perniciem rerum publicarum, earumq; rectores redundare solet. Nos pro officio Christiani Principis, eam ipsam religionem, à sanctis Patribus ordinatam, ac per sanctam Romanam Ecclesiam directam, nobisq; à maioribus nostris per manus traditam, ac per nos deniq; & gentes nostras, multo sanguine, & clarissimis gratia Dei victoriis, hactenus defensam, etiam à labe hæretica, his temporibus, in vicinia emergente, integram ac immaculatam, in Regno & dominiis nostris conseruare volentes, publicis edictis mandamus, ne qui libri Lutheri cuiusdam, eiusq; sequaciũ quorũcunq;, quos sua insolentia in reprobũ egit sensũ, quiq; prętextu libertatis Christianę, prætextu vitiorum ordinis Ecclesiastici, & scandalorũ, quę ab hominibus, & ab iis qui de hominibus assumpti ac perinde infirmi sunt, venire necesse est, tanquã sub melle virus suũ in vulgus spargunt, & scriptis ac sermonibus famosissimis, non solum mores salubres, ac instituta Ecclesiastica, sed ipsos etiam sanctos Patres turpissimè proscindunt, & sacra prophanis miscent, nequaquam ad Regnum & dominia nostra inferantur, & legerentur, neué quis dogma ipsum pestiferum, ac iampridem damnatum, approbare, profiteri, vel tueri auderet, sub pœna capitis, & confiscatione bonorum omnium. Ad quæ postea edicta nostra exequenda, modum etiam oportunum statuere volentes delegauimus in Prætorium Ciuitatis nostræ Regiæ Cracouiensis, nonnullos primarios nostros, tam Spirituales, quàm etiam seculares Consiliarios, qui cum Consulibus, ac Officialibus Ciuitatis, sic edicta ipsa nostra exequenda statuerent. Vt inprimis, quandocunq; oportunũ videretur ꝛmo domino Episcopo Cracouiensi, fieret per inqui-

per inquisitores eius cum decurionibus, quos Consulatus, in tota Ciuitate, ad huius negocii, aliorumq; excessuũ tollendorum custodiã delegit, per omnes, & singulas domos, testudines, ac cistas diligens scrutatio fiat: & vbi aliqui libri hæretici inuenirentur, illinc pœna edicti exigeretur. Deinde vt Impressores librorum, nihil prorsus imprimere, & Bibliopolæ, vel alii quicunq; exponere, ac vendere deinceps, ex libris vndecunq; adductis, nisi illos Rector Vniuersitatis, vel aliquis per Ordinarium constitutus prior viderit, & tam imprimi quàm vendi permiserit, sub pœnis prædictis. Vt autem & reliquæ Ciuitates nostræ hoc exemplo insistant, ac vnusquisq; tempori præmoneretur, ne ipsa mandata nostra Regia transgrediatur, & ignorantiam prætendere possit: Nos hanc ipsorum Consiliariorum, simul ac Consulatus Cracouieñ ordinationem, per has literas nostras, omnibus testatam esse volumus. Mandantes omnibus aliis Ciuitatibus Regni, & dominiorum nostrorum, vt cùm modum edicta nostra exequendi faciant, cum Lociordinariis, aut eorum delegatis, ordinationes oportunas, easq; diligentissimè exequantur, pro gratia nostra aliter non facturi. Datum Cracouiæ Sabbato ante festum natalis Sanctissimæ Virginis Mariæ Dominæ nostræ. Anno domini, Millesimo quingentesimo vigesimo tertio. Regni autem nostri, decimoseptimo.

Ioannis Laski Lanciciæ Statutum, sed per Matthiam Drzeuicium successorem eius promulgatum. Anno Domini, 1527.

DEcreuit hæc sacra Synodus, vt ꝛmi domini Archiepiscopus, & Episcopi, pro exterminio sectæ Lutheranæ ex Diœcesibus comprouincialibus, & præsertim Wratislauieñ, & Cuiauieñ, intendant, procedendo contra notorios, & suspectos de hæresi, secundum Decreta sacrorum

Canonum, Statutotum Prouincialium, veterum & nouorum, omni timore postposito, solum Deum, fidem eius, ac religionem sanctam, præ oculis habentes, non parcentes præterea laboribus & expensis. Cum ipsi sunt in fidei materia positi, tanquam signum ad sagittam, & de plebe sibi commissa cõdignam Deo in districto examine reddituri sunt rationem, & sanguis ouium de manibus eorum requiretur. Quam rem vt faciliùs, & commodiùs aggredi valeant: suscepit hæc Synodus Statuta omnia Prouincialia, cum Bullis Apostolicis insertis, in diuersisq; Synodis, & per primum in Christo patrem dominum Ioannem de Lasko, Archiepiscopum Gnesnensem, Primatem, Legatumq; natum, tempore præsidentiæ suæ fœlicis confecta, approbata, Synodaliq; authoritatæ & decreto, cum Statutis huius Prouinciæ, vetustioribus conformata, digesta, in vnumq; volumen redacta, ac nouiter impressa, & per memoratum dominum Archiepiscopũ in præsenti Synodo publicata. Quæ eadem Synodus pro approbatis, & publicatis habere voluit, decernens eisdem robur perpetuæ firmitatis. Et vt domini Archiepiscopi, Episcopi, aliiq; Iudices Ecclesiastici, & Clerus Prouinciæ vniuersus, secundum illa viuant, & gubernentur, pœnis inibi contentis irremissibiliter puniendi.

Eiusdem. Petricouiæ, Anno 1530.

INnouantes Constitutiones, tam iuris communis, quàm Statutorum Prouincialium anteriorum, eisq; addendorum; sacra hæc Synodus decreuit, arctissimeq; iniunxit, vt Ordinarii harum Prouinciarum his iniquissimis temporibus, diligentiùs exactiusq;, quàm vnquam antea, de hæresi Lutherana, aliaq; quapiam peruersa doctrina, in suis Diœcesibus inuigilent, iniungantq; hæresium inquisitoribus, vt vbi suspitio aliqua eius hæresis emerserit, illinc diligenter pertentent, excuti-

rent, excutiant, & perquirant. Quod officium de hæresi inquireñ sacra Synodus Archidiaconis, vbi inquisitores non sint, voluit esse iniunctum, & deinde hi, vbi quippiam de hoc crimine innotuerit, citra vllam negligentiam dominis Ordinariis deferant, qui mox, ad hoc crimen persequendum, iura communia, Statutaq; Prouincialia distringant, seruatis tramitibus modisq; ab eisdem iuribus constitutis.

DISPVTATIONES DE NEgocio religionis vitandæ. Nicolai Dzierzgovvski. Lanciciæ, 1542.

PErpendens etiam sacra Synodus, veneranda mysteria, & arcana fidei profanari, ac per hoc religioni Catholicæ, iamdudum per vniuersalia Concilia optimè ordinatæ iniuriam fieri, multosq; scandalizari, quòd pleriq; Clerici, vel seculares, cuiuscunq; status, vel conditionis, de fide Christiana, atq; religionis negociis, quæstiones & concertationes, etiam inter epulas & pocula mouere consueuerunt, ac ea quæ laudabiliter sancita, exposita, & ordinata sunt, in dubium reuocare: Innixa ergo Canonum & legum sanctionibus, decreuit ne quispiam Clericorum, vel secularium, huiusmodi disputationes facere audeat. Alioqui contra tales Ordinarii pœnas Canonum, & legum desuper conditarum extendant.

DE CONFESSIONE FIDEI facienda, Decretum eiusdem, Petricouiæ, Anno 1551.

PRincipiò sacra Synodus inuocata, vt moris est, gratia Spiritus Sancti, propter exterminandas hæreses, quæ in

Prouincia

Prouincia Gnesneñ radices iam non mediocres egerunt, multosq; in Ecclesiastico ordine infecerunt, decreuit nemine contradicente, vt omnes domini Archiepiscopi, Episcopi præsentes, & absentium Nuncii: necnon Abbates & Capitulorum Nuncii Confessionem fidei suæ, in exordio præsentis Synodi facerent, prout ibidem fecerunt in effectu. Catholicam scilicet confitendo fidem, quam sancta confitetur Romana Ecclesia, cuius Confessionis ibidem confectus extat libellus Paraphrasticè conscriptus. Quamquidem Confessionem, etiam singuli domini Episcopi absentes, & Prælati, & Canonici Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum in Capitulis suis, necnon Abbates cum suis Monachis, in eorum Conuentibus, omnes & singuli, atq; etiam coram Archidiaconis, in visitatione Ecclesiarum Parochialium Plebani atq; alii Presbyteri & Clerici facere deinceps teneantur. Operæprecium esse quoq; censuit Synodus ipsa, vt etiam deinceps illi qui nominati fuerint, aliquarum Ecclesiarum in Prouincia, & Primatia Gnesneñ, in Archiepiscopos, & Episcopos, post eorum electionem, denunciationem, aut postulationem, in manibus Nunciorum, per Capitula ad eos deputandorum, eandem Confessionem faciant, quam Confessionem reiterare sunt obligati, in primo quoq; suo ad sponsas suas ingressu: Idq; circa iuramentum receptionis suæ ad Ecclesiam in medio Capituli præstari solitum. Similiter Abbates circa benedictiones suas, Prælati & Canonici, ad Ecclesias Cathedrales & Collegiatas, circa eorum receptionem. Plebani verò & alii Clerici, ad Parochiales, & ad alia quęcũq; Ecclesiastica beneficia, cum cura, & sine cura, circa eorum institutionem. Et Clerici etiam ad ordines sacros promouendi non suscipiantur nec admittantur, nisi quatenus id fecerint. Supplicandum quoq; decreuit eadem sancta Synodus sedi Apostolicæ, vt Constitutionem hanc bono & pio respectu factam, assensu suo ratam faciat. Quicunq; autem post Con-

post Confessionem huiusmodi factam, periuri & hæreticæ prauitatis assertores, aut libros hæreticos tenentes, vel legentes, vel etiam cum hæreticis, commercia, & familiaritatem habentes, aut eos in suis domibus, siue familiis tolerantes comperti fuerint, tales, nisi monitione præmissa ab hoc desistiterint, si fuerint Episcopi, sanctæ sedi Apostolicæ, per eius Capitulum vel Metropolitanum: Si verò fuerint Ecclesiarũ Cathedralium Prælati aut Canonici, siue Abbates, eorumq; Monachi, per Capitula, Episcopis. Si Collegiatarum & Parochialium Rectores, aliiq; beneficiati, per Clericos Locorumordinariis deferantur, legitimè puniendi. Cooperari etiam debent omni domini Archiepiscopus & Episcopi, per Nuncios Synodales, vt Regiæ Maiestatis authoritate domini Senatores seculares Ducatus Litwaniæ eandem Confessionem suscipiant. Similiter & Senatus, cum tota Nobilitate Regni Poloniæ.

BONA ECCLESIASTICA hæresi infectis non committantur. Eiusdem. Ex eisdem.

QVia rectæ rationis dictamini repugnat, & omnium sanctionum dispositioni aduersatur, hostes Ecclesiæ, de religionis scindenda vnitate, & subuertendo statu Ecclesiarum, semper solicitos veluti angues in sinu suo fouere, & illis contrarium spirantibus, honorem & fructum, ac conseruationem in bonis Ecclesiasticis pro tuenda religione Orthodoxa, & sustentatione pauperum dotatis largiri, eosq; talibus bonis præficere. Proinde sacra Synodus decreuit, ne deinceps, hominibus hæretica prauitate notatis, vel de hæresi suspectis, Castra, Oppida, Villas, prædia, aliaq; bona Ecclesiastica, in prouisionem conferant, siue in Emphiteosim vt vocant, siue

cant, siue ad beneplacitum, vel quocunq; alio modo, sub pœna quingentorum Ducatorum auri in auro irremissibiliter per Synodum exigen: Et si quos eiusmodi habuerint de hæresi suspectos, & bona ipsa & præfecturas auferant. Sunt enim nonnulli seculares, hoc suspecto tempore, bona Ecclesiastica, à dominis Episcopis, aliisq; Spiritualibus hominibus, modo præmisso illis concessa obtinentes, qui posthabita fide sancta Catholica, hæreses ipsi complectuntur, hæreticosq;, vel de hæresi suspectos apud se fouent, & Ecclesiæ subditos in eundem errorem & periculum secum trahunt, à templis sacris, Confessione, aliorumq; Sacramentorum Ecclesiæ perceptione arcent, & diebus celebribus feriatis, ad labores obeundos cogunt. Ideo decreuit hæc Synodus sancta, tales omnes ad gubernanda Ecclesiæ bona, debere esse deinceps inhabiles, & huiusmodi prouisionibus, & bonis priuandos fore per dominos Ordinarios, sub pœna quingentorum Ducatorum, nemo domino Archiepiscopo, & eius Ecclesiæ Gnesnensi irremissibiliter persoluenda, à publicatione præsentium Constitutionum in duobus mensibus, contra eos seruatis de iure seruandis procedẽ. Etiam eo non obstante, quod in tales Concessiones Capitula, etiam regularia, ad quæ præsens constitutio extenditur, consenserint, sigillaq; sua literis apposuerint. Bona autem huiusmodi post priuationem ad dominos suos Ecclesiasticos redeant. Vt autem nemi domini Ordinarii, & eorum in Spiritualibus Vicarii, ad exequẽ ea, quæ contra hæreticos sunt decreta, magis expeditiores esse queant, decreuit eadem Synodus, quatenus iuxta Statuta Prouincialia priora, quisq; illorum inquisitores hæreticæ prauitatis, in sua Diœcesi habeat, eisq; stipem honestam & competentem singulis annis, vel annorum quartualibus, soluant, & quoties opus fuerit, cùm officium inquisitionis peragent illis de securitate eorum, per familiam suam, aut aliâs

quomodo-

quomodocunq; prospiciant, sub pœna Centum Marcarum pecuniæ, per Synodum Prouincialem exigenda.

Decretum Sigismundi Augusti Regis in negocio religionis. Varssouiæ.

SIgismũdus Augustus, Dei gratia Rex Poloniæ, magnus Dux Litvaniç, Russiç, Prussiç, Masouiæ, Samogitiç &c. dñs & hæres.

VNiuersis & singulis cuiuscunq; gradus, status, cõditionis, & præeminentiæ, subditis nostris, in Regno & dominiis nostris commorantibus, syncerè & fidelibus dilectis, gratiam nostram Regiam. Syncerè & fideles dilecti. Quum inter cætera incommoda, atq; pericula, quibus Regnum nostrum premitur, nullum esse videamus domesticis odiis atq; dissensionibus perniciosius: nec quòd Regna quæuis & imperia vel affligere magis vel citiùs euertere possit. Nulla autem ex re acerbiora odia, atrocioresq; contentiones, non modo inter ordines, sed inter omnium ordinum Regni nostri homines, quàm ex diuersitate opinionum de religione Christiana, quæ irrumpentes in Regnum nostrum hæreses inuexerunt, natas esse animaduertamus, summo studio in eo Conuentu, cum Consiliariis Regni nostri, curandum atq; elaborandum nobis esse putauimus, vt pacatis prius & constitutis domesticis dissensionibus, ab externis quoq; periculis, si qua ingruerent, tuti atq; securi esse possemus. Verùm cùm magna esset de eo orta controuersia, quòd multa essent publicè, contra vetera Catholica instituta, atq; contra leges Regni, & edicta in religione, ritibusq; religionis, propria quorundam temeritate, atq; audacia innouata, templaq; in quibus ad eam diem, veteri Romanæ Ecclesiæ ritu, sacra agebantur, ac Sacramenta administrabãtur, nouis à Catholica, & Apostolica, Romanaq; Ecclesia alienis ritibus introductis, occupata & profanata,

miniſtri earum vexati, ac ſedibus ſuis pulſi, ornamenta ablata, bonaq; & reditus retenti, idq; cùm aliâs, tùm poſt conuentum Regni noſtri, quem Piotrkouiæ proximè habuimus: In quo edixeramus, ne quid in religione ad hunc vſq; Conuentum innouaretur, nec poſſemus de eo iudicium conſtituere, propter imminens Liuonicum bellum, ad quod gerendũ in Lituaniam nobis proficiſcendum fuit, neceſſario totam eius rei cognitionem atq; iudicium, ex ſententia Senatorum Regni noſtri, ad proximum vſq; Conuentum Regni noſtri reiecimus, ſuſpendimusq;. Ne quid verò interim dum abſumus, de religione in Regno noſtro à quopiam iſtiuſmodi innouetur ſeu perpetretur, longiusq; progrediatur hominum licentia, edictum ea de re noſtrum, ex ſententia Conſiliariorum noſtrorum proponendum putauimus. Mandamus igitur atq; edicimus vobis omnibus ſuperiùs nominatis, conſtitutione videlicet Petricouieñ in Comitiis præteritis facta, ac legibus noſtris ad eam rem freti. Principiò vt omnes à blaſphemiis quibuſuis in Deum, ſanctæq; Eccleſiæ Sacramenta, præſertim in Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum, ac tremendum altaris ſacrificium abſtineant. Deinde ne quiſpiam veſtrum, vllos iam deinceps in Regno noſtro motus, atq; turbas excitare, cætus, conuenticula, conuentiones in Vrbibus, Oppidis, Arcibus, Curiis, Villis, & poſſeſsionibus noſtris, prætextu religionis, quouis modo habere, & celebrare: neq; in iis, aut aliis quibuſcunq;, quorumcunq; hominum ſtatus, & conditionis cuiuſuis bonis Eccleſias atq; templa, in quibuſcunq; nunc antiquus, hoc eſt Romanus religionis manet ritus violare, aliquid inde tollere, ſeu in alium ſtatum atq; formam quicquam ibi immutare & innouare, Sacerdoteſue & miniſtros templorum vexare, ſpoliare, pellere, iisq; vel pulſis, vel morte extinctis, alios in locum eorum, ſine authoritate, & inſtitutione Ordinariorum inducere, ſeu Eccleſiis ipſis præficere, aut aliquam ſibi poteſtaem, & iuriſditionem,

tionem, in Ecclesiis ipsis vsurpare, aliudúe quippiam agere, quod seditionem, contentionem, atq; tumultum excitare inde possit, audeat. Quodsi quis contra hoc edictum nostrum aliquid committere & facere ausus fuerit, id non pro priuata ordinis aut personæ alicuius iniuria, sed pro nostra, authoritatisq; nostræ Regiæ reputabimus, in eumq; tanquam violatorem authoritatis nostræ & pacis publicæ turbatorem, legitimo iuris ordine animaduertemus. Datum Varssouiæ in Conuentione Regni generali, feria quarta, post festum Sanctorum trium Regum proxima. Anno Domini, Millesimo quingentesimo quinquagesimo septimo. Regni verò nostri, Anno vigesimo septimo.

Ad Mandatum S. R. M. proprium.

DE RECEDENTIBVS AB vnione & obedientia Superiorum. Ex Antiquis.

ET quoniam præterita pericula, nos circa futura faciunt cautiores. Volumus & ordinamus, vt si aliquæ personæ vel Collegia, à nostra Prouincia se separauerint, schisma quodam modo faciendo, cùm iam quidam per factum huiusmodi à sui Diœcesani obedientia recesserint, Pontificalia eis ministeria, & Ecclesiastica beneficia, sepulturæ videlicet, & eleemosinæ penitus denegentur, & si Canonicè moniti, ad vnionem, vel ad obedientiam non redierint: extunc populus ab ipsorum cõmunione districtiùs arceatur. Insuper à personis Ecclesiasticis ad hospitia nullatenus colligantur. Hoc ipsum extendi volumus ad eos, qui iam schisma & obedientiam huiusmodi commiserunt.

DE APOSTATIS AD ECclesias regendas non admittendis.

PRohibemus, ne Apostatæ, vel cuiusuis religionis Professores, habitum sui ordinis mutantes, cùm ex eo excommunicationis sententiam dinoscantur contraxisse, ad Ecclesias regendas, vel earum Vicarias aliquatenus admittantur.

DE ADVLTERIS.

In Synodo Lancicienſi ſecunda.

Ex nouis.

ET quoniam hostis humani generis, multorum secularium mentes adeò obcæcauit, vt relictis propriis coniugibus, alienas nuptias profanare, virgines & viduas publicè fouere, iusq; thori proprii & alieni contaminare non vereantur, contra præceptum diuinæ maiestatis, iurisq; Ciuilis & Canonici sanctiones. Cùm igitur in omnibus peccatis adulterium sit grauissimum, vt potè, quod secundum in pœnis vendicat sibi locum, tantoq; grauius propter id maritos puniri oportet, quanto magis ad eos pertinet, & virtute vincere, & exemplo regere fœminas: Statuimus & irrefragabiliter obseruari decernimus, vt Ordinarii contra adulteros, occultos & notorios, ad pœnas iuris communis, omnium timore postposito, solenniter procedant. Et si aliqui etiam ex Senatoribus Regni propterea excommunicarentur, dominus Archiepiscopus, & Episcopi, apud sacram Maiestatem Regiam, cuius est officium furta cohibere, adulteria punire, & impios de terra perdere, diligenter instare debent, vt talibus conuictis, portæ dignitatum non pandantur, & in Magistratu existentes, ad publica non admittantur consilia: Vt quos virtutis amor à delinquendo nõ cõtinet, saltem pœnarũ exaggera-

exaggeratione, & honoris temporalis carentia cohibeat. In qua re domini Episcopi, vnus alteri constanter adhærere, ac vniforme, & indefessum consilium & auxilium præstare debent, sub interminatione maledictionis & vindictæ diuinæ.

DE RAPTORIBVS, INCENdiariis, & Furtis. Ex Antiquis.

MAndamus vniuersis Plebanis, & aliis Clericis, cuiuscunq; fuerint status, in virtute sanctæ obedientiæ & sub pœna priuationis officii & beneficii, ne aliquem raptorem proscriptum, bannitum, profugum, vel incendiarium, aut eorum rapinas in domibus recolligant vel conseruent, aut ipsis extra domos suas, expensas seu alimenta ministrent, siue ipsorum literas vel legationes, ad quascunq; personas perferant, à quibus plerunq; huiusmodi pestiferum genus hominum, per contaminationes, de occidendis personis, vel eorum bonis cremandis, pecunias extorquere conantur.

Cùm in quibusdam locis quorundam iniquitas inualuerit, quod in rebus Ecclesiæ furtum reputatur sagacitas: rapina, probitas: & violentia fortitudo: hoc sacro approbante Concilio, cupientes secularium potestatum audaciam, quantum cum Deo possumus refrenare, sancimus, quòd quicunq; Princeps, seu Capitaneus terræ, Baro, aut Miles, aut Nobilis, vel Officialis eorum, & generaliter, quæuis alia persona Spiritualis vel secularis, cuiuscunq; dignitatis, status & conditionis existat, Decimas, tributa, Castra, Villas, munitiones, possessiones & bona, ac alias res mobiles & immobiles, & se mouentes ad Ecclesias, & pia ac religiosa loca, personasq; Ecclesiasticas spectantia, & pertinentia, aut etiam pauperum hominum in ipsorum bonis degentium, rapuerit, inuaserit, occupauerit, aut illicitè detinuerit, exactionauerit, tallias seu collectas impo-

lectas impoſuerit, ſeu iniuſtè impignorauerit, ac occaſione pignoris aliquid extorſerit, vel quouis ſumpto colore grauauerit: vel rapi, inuadi, occupari, detineri, impignorari, aut exactionari mandauerit, ordinauerit, ſeu ratum habuerit: aut raptorem, inuaſorem, occupatorem, & detentorem illicitum, cum re rapta inuaſa, occupata, detenta, conſeruauerit, ſeu in defenſionem ſuſceperit: aut in bonis eiuſdem notorium damnum, ſeu manifeſtam offenſam intulerit, niſi infra trium dierum ſpacium, à tempore rapinæ, inuaſionis, & occupationis perpetratæ, & commiſſæ, omnia & ſingula rapta, inuaſa, & occupata, ſeu pignorata, necnon de iniuriis & damnis datis, & offenſa manifeſta, condignam emendam & ſatisfactionem impenderit, cum eorum in hac parte complicibus excommunicationis ſententiam incurrat ipſo facto. Et nihilominus in illa ſeu illis, Parochia ſeu Parochiis, de qua ſeu de quibus, raptores ſeu inuaſores, occupatores, damnum dantes, ſeu manifeſtam offenſam irrogantes fuerint, aut in quibus larem ſeu habitationem ſuam habuerint, ſeu habere conſueuerint, & ad quam ſeu quas res & bona prædicta, ſic rapta, inuaſa, ac occupata, ad conſeruati onem ipſarum deducta, ac in ipſis detenta fuerint, quouſq; ad reſtitutionem & ſatisfactionem plenariam, aliaq; loca quæcunq;, ad quæ præfati raptores, inuaſores, & occupatores, detentores, & iniuriantes, damnum dantes, ac offenſam prædictam inferentes, cum eorum complicibus peruenerint, ſeu alter eorum peruenerit, & quamdiu in eiſdem locis, ſeu altero eorum moram traxerit ſeu traxerint, ipſo facto Eccleſiaſtico ſubiaceant interdicto. Et quoniam excommunicatus ab vno, & ab aliis eſt vitandus: decernimus, quodſi prædicti raptores, inuaſores, occupatores, damnum dantes ſeu offenſam inferentes, cum ſuis complicibus de aliena ſeu alienis Diœceſibus fuerint, ſeu alter ipſorum fuerit, Epiſcopus loci, de quibus dicti raptores, & alii præfati fuerint vel ad quos confugerint,

confugerint, extunc virtute constitutionis præsentis, vel laudi communis, recepta si opus fuerit, ab Episcopo loci, vel iniuriam passo, informatione summaria, teneantur huiusmodi raptores, inuasores, occupatores, & damnum dantes, cum eorum complicibus, excommunicatos per se, & suos subditos publicè nunciari, & in Parochiis, & locis prædictis, prout superius exprimitur, interdictum Ecclesiasticum, facere inuiolabiliter obseruari.

Statuimus quòd ad bona decedentium Episcoporum, seu Episcopatuum & aliorum inferiorum Prælatorum, secularium, seu religiosorum Monachorum, vel aliarum Ecclesiarum vacantium, nullus laicus quantæcunq;, & cuiuscunq; altioris excellentiæ, conditionis, vel status, manus suas extendi faciat vel permittat, bona huiusmodi auferendo, aut etiam occupando occasione Iurispatronatus, vel alio quocũq; prætextu. Quodsi quis laicorum contra constitutionem huiusmodi venire præsumpserit, ingressum Ecclesiæ, & perceptionem, seu participationem Sacramentorum, ac etiam oblatarum sibi nouerit interdictos: saluis aliis pœnis prædictis, & aliis Cõstitutionibus nostris expressis. Saluis etiam iuribus communibus, tam nouis quàm antiquis.

Ex Nouis. In Synodo Petricouien quarta.

VIM seu raptum in bonis Ecclesiæ commissum, siue subditi Ecclesiastici seu alterius rei mobilis vel immobilis, ad iudiciũ Ecclesiasticũ pertinere decernimus. Alioquin si extra bona Ecclesiastica, subdito Ecclesiastico vis illata, vel in eum resq; suas raptus commissus fuerit, aut si ex bonis Ecclesiasticis in secularia fugerit, talis causa ad forũ seculare pertinebit.

DE RAPTV VIRGINVM ET Mulierum. Ex Antiquis.

CVM ad ea quæ frequentius accidunt, iura debeant adaptari, &

aptari, & raptus virginum & mulierum in plerisq; partibus frequentiùs attentatur. Præcipimus & mandamus firmiter obseruari, quatenus in vestris Synodis, subditis in virtute sanctæ obedientiæ præcipiatis, ne qua Ecclesiastica secularisue persona audeat à rapta virgine vel muliere requirere, an consentiat in raptorem, vel in eum cuius nomine aliquam constiterit esse raptam. Alioquin consensum raptæ duximus non tenere, donec in pristinam parentum & amicorum redierit potestatem: vel per eam steterit, quo minus redire potuit: contrarium faciens, si Clericus fuerit, ab officio, beneficio, ad arbitrium sui superioris suspendatur, & aliâs puniatur, iuxta Canonicas sanctiones. Si laicus similiter ad arbitrium Iudicis castigetur.

DE ABIGEIS ET PASCVIS sterilibus. Ex Statutis Nicolai Dzierzgovvski. Petricouiæ, Anno 1557.

QVia conueniens est, inter Ecclesiasticas personas habere omnia communia, maximè vbi id fieri potest absq; incommodo alterius. Proinde sacra Synodus, improbando quorundam Ecclesiasticorum peruersam consuetudinem, qui imitantes in malo seculares personas, vicinos suos, & confines, etiam bonorum Ecclesiasticorum colonos prohibent vti, intra limites & terminos bonorum suorum pascuis, sterilibus & desertis, eosq; quibus abigunt pecora siue pecudes, prætextu (vt vocant) foreſtæ impiè depactant, exemplum per hoc secularibus pessimum præbentes. Igitur inhibet sacra Synodus sub pœna viginti marcarum pecuniarum parti læsæ irremissibiliter soluen, ne easdem prohibitiones pascuorum sterilium, aut abactiones pecorum, subditorum Ecclesiasticorum, ex bonis vicinis Ecclesiasticis faciant, sed

vtriusq;

vtriusq; habeantur pascua huiusmodi communia, altero alterum non impediente: Excepto tamen eo, quod si in pratis aut segetibus damna fecerit, extunc liberum erit pecora huiusmodi abigere.

DE VSVRIS ET VSVRARIorum pœnis, quas Parochi certis temporibus populo publicare debent.

Ex Antiquis.

VSurariorum prauitates, qui plerunq; Mercatorum famam inquinant, dum sub mercationis velamine, diuersis adinuentis fraudibus, plus secum contrahentes damnificant, quàm illi qui nullo quæsito colore directè mutuant ad vsuras, detegere cupientes, & ne etiam iuris ignorantiam simulatam, circa hoc possint prætendere, ac suos errores de cætero friuolis rationibus excusare: Declaramus & decernimus, quòd cùm vsura tantum committatur in mutuo, mutuum autem tantum his rebus consistat, quæ determinantur numero, pondere, vel mensura, non solum qui rem huiusmodi, eo pacto vel principaliter ea spe mutuat, vt aliquod emolimentum temporale, vltra sortem recipiat, quantumcunq; sit paruum, sed etiam si fructus seu prouentus rei pignoratæ in sortem non computat ad pignus mutuans, vsurarius est censendus: sed & ille qui mercem quantamcunq;, quæ venditionis tempore communi æstimatione minus valet, & quàm tunc venditurus erat carius vendiderit, solutionem precii differens, ea vice ei, qui statim soluit precium, cuiuscunq; rei emptæ, pro minori, quàm tunc valeat, lucri causa, eiusdem rei traditione dilata, ad terminum in quo constat ipsam rem plus valere, vsurarii sunt censendi. Et qui tales probari & conuinci possunt, ad notitiam Diœcesanorum, vel eorum Of-

ficialium perferantur, vt per eos ad restitutionem vsurarum, ipsi, vel eorum hæredes, districtione Canonica compellantur. Confessores autem in foro animæ, tales ad restitutionem inducant efficaciter, si suarum animarum damnationem cupiunt euitare. Sanè si quis in illum errorem inciderit, vel pertinaciter affirmare præsumat, exercere vsuras non esse peccatum, ille velut hæreticus condemnetur. Præcipimus autem Plebanis locorum, ac illis qui habent officium prædicandi, quòd saltem bis in anno, videlicet prima Dominica Aduentus, & Quadragesimæ, Statutum præsens fidelibus exponãt vulgariter, ac eos salutaribus inducant monitis, vt abstineant à criminibus & fraudibus vsurarum: & insinuent omnibus, atq; eis in remedium peccatorũ suorum iniungant, vt ipsi in nostro, seu Suffraganeorum nostrorum Consistoriis, vsuras aliquo de prædictis modis solutas repetant: vel si nondũ soluerint, sed tantũ soluere promiserint, à promisso se subtrahant, presentis constitutionis suffragio se defensuri. Quanquam voraginem vsurarum, quę animas deuorat, & facultates exhaurit, vtriusq; testamenti pagina condemnet, & demũ Cõstitutiones sanctorum Patrum, in Lateraneñ, Lugduneñ, & Vienneñ Conciliis proditæ, sub diuinæ maledictionis interminatione, ac diuersis exaggeratis pœnis, prohibeant, & interdicant: nonnulli tamen tam Spirituales quàm seculares nostræ Prouincię in vetitum laborantes, suarum animarum in detrimentum, aliis licitis negociis prætermissis, illicitè exercent vsuras. Nos itaq; attendentes, quòd maliciis hominum aliquatenus indulgendum, hoc sacro approbante Concilio, prohibemus: ne de cætero quisquam cuiuscunq; status, gradus, conditionis, & præeminentiæ existat, præsumat exercere vsuras: quodsi qui tales manifesti vsurarii reperti fuerint, statuimus & mandamus, vt contra illos, per Ordinarios loci, & Parochialium Ecclesiarum Rectores, iuxta vim & formam dictorum Lateraneñ, Lugduneñ, & Vienneñ Statuti

Concilio-

Conciliorum procedant, modo qui sequitur. Videlicet, quòd ab eisdem manifestis vsurariis, nullus omnino oblationes recipiat, nec ad communionem admittãtur altaris, nec si in peccato huiusmodi decesserint, ad Ecclesiasticam sepulturam recipiantur. Qui autem contra præmissa fecerit, ea quæ acceperit, restituere compellatur, & donec secundum nostrum aut sui Diœcesani arbitrium satisfecerit, ab officii sui maneat exequutione suspensus. Tales autem qui resipiscere non curauerint à tali peccato, tamdiu excommunicati publicè nuncientur, donec ad gremium sanctæ matris Ecclesiæ reuertantur, post restitutionem eorum, quæ malè extorserint per vsurariam prauitatem: si ad restitutionem omnium eorum sufficiant facultates: vel si in totum soluendo non fuerint priùs restituta ea, ad quam sufficiant portionem, de reddendo residuo, fortuito tempore, sufficientem cautionem adhibeant eis, vel eorum hæredibus si extent, à quibus extorserint vsuras. Si verò non extant, pauperibus, vel piis vsibus, iuxta ordinationem Archidiaconi, Plebani sui, vel confessoris idonei, si summam duorum florenorum Vngaricalium non excedat: si verò excedit, in Diœcesanorũ manibus satisfactione idonea, vel cautione, de toto, vel residuo (vt præmittitur) præstita ab eisdem Diœcesano Archidiaconis, vel Cõfessoribus, & Plebanis ipsorum, absolutionis beneficium consequantur. Et hoc idem in rebus vagis, vel malè ablatis vel acquisitis, decernimus obseruandum. Quodsi vsurarii præscripti spe finalis pœnitentiæ & absolutionis extremæ, claues Ecclesiæ sanè contempserint, & temerè sustinuerint anathema, seq; in extremis absolui petierint, non priùs est eis absolutio impendenda, nisi priùs sub proprio iuramento, cuncta malè extorta restituant: dummodò tantum in bonis mobilibus & immobilibus habeant, quòd restituere valeant vniuersa: vel saltem refundant, in quantum eorum se extendunt facultates: & de reliquo refundendo, & satisfaciendo Loci ordinario, vel eius Vicario,

vel saltim Rectori Parochiæ suæ, sanitate percepta, & copia rerum nacta, dederint fideiussores idoneos. Quod si fideiussores tales non extiterint, & in eis appareant veræ pœnitentiæ signa, recepto sub forma præscripta, proprio eorundem ægrotorum iuramento, admittantur ad pœnitentiæ, Eucharistiæ & extremæ vnctionis Sacramenta. Ad eaque etiam vltimò consequenda non sufficiant, proprium iuramentum & pœnitentiæ signa, si hæredes malè acquisita restituere minimè sint parati, sed forsan sibi contradicunt, vel pro parentibus filii nolunt præmissas exhibere cautiones, vel si vxor pro marito, vel maritus pro vxore similia facere detractauerint. Si quis autem religiosus vel secularis Clericus exemptus, vel non exemptus, manifesti vsurarii, scienter corpus in Ecclesia vel Cimiterio aliter quàm supra scriptum est, ausu temerario sepelire præsumpserit, ipsum decernimus (sicut in Viennensi Concilio decretum est) ipso facto sententiam excommunicationis incurrisse: à qua non prius absoluatur, nisi Diœcesano, cui præmissa fuerit iniuria irrogata, satisfactionem exhibuerit competentem. Verùm quia qui manifesti vsurarii censeri debeant, apud nonnullos in dubium vocatur. Nos præsenti Synodali constitutione illos manifestos vsurarios declaramus, qui publicè & probabiliter exercent vsuras, bancos publicos tenentes ratione mutui dandi ad vsuras, aut qui decem marcas mutuant, & vndecimam ratione vsuræ percipiunt, vel si fructus seu prouentus rei pignoratæ in sortem non computantur, & de hoc coram Ecclesiastico Iudice conuicti, vel confessi fuerint, seu euidentia facti eorum tanta fuerit, quòd nulla tergiuersatione eorum prauitas celari possit, vel aliquatenus occultari. Quicq; per Iuratos Villarum pro vsurariis sunt publicè proclamati: qui singulis diebus Dominicis excommunicentur, solenniter nominatim, cum eis qui soluunt vsuras, nec accusant eos, post solutionem factam eisdem infra mensem.

De Sorti-

DE SORTILEGIIS.

Ex Antiquis.

EXcommunicamus & anathematizamus omnes Sortilegos, qui per inuocationem Dæmonum, vel res sacras, sortilegia exercent, firmiter prohibentes, ne ab aliquo, quàm suo Episcopo, vel de ipsius mandato, nisi fortè in mortis periculo, absoluantur. Cæteri verò sortilegi, per Presbyteros proprios, pœnitentia condigna imposita, absoluantur: & hanc excommunicationis sententiam, bis in anno, in prima scilicet Dominica Aduentus, & Quadragesimæ, per Sacerdotes in eorum Ecclesiis & Capitulis præcipimus publicari.

DE CRIMINE FALSI.

In Syndo Petricouiensi prima.

VT falsariis via maliciæ præcludatur, statuimus quòd quicunq; inuentus fuerit, instrumentum vel literas scribendo, vel subscribendo seu exequendo falsificasse aut talibus scienter vsum esse, aut testimonium falsũ deposuisse: si Clericus non beneficiatus fuerit, vltra pœnas iuris, carceri vnius anni puniendus deputabitur, parti nihilominus, interesse, & damna in duplo resartiet: beneficiatus verò beneficio priuabitur, & laicus pœna arbitraria punietur.

In Synodo Lancicienſi ſecunda.

AD obuiandum falsitatibus, quibus interdum Clerici maleuoli laborare consueuerunt, constituit Synodus, prioribus Decretis inniteñ, vt citationes, & alii quicunq; Processus à sede Apostolica, & à Iudicibus delegatis, quibuscunq;

cunq̃, necnon à Vicariis generalibus, & Officialibus etiam foraneis emanati, & emanandi, non aliter exequutioni demandentur, nisi priùs per Ordinarios & eorum Vicarios generales, aut Capitula legitimè reuideantur, & admittantur, sub pœna Synodali contra facien̄ infligenda. Processus verò Archiepiscopi, & Episcoporum, cùm eorum sigilla non sint incognita, absq; reuisione, & admissione in tota Prouincia liberè admittantur.

CLERICVS EXCOMmunicatus non ministret.

CVM scriptum sit in lege Domini, quòd quicunq; non obtemperasset Sacerdotibus, extra Castra positus lapidabatur à populo, aut ceruice gladio subiecta contemptum expiabat: & in primitiua Ecclesia inobedientes, eiecti de Ecclesia, rabido ore dæmonum trahebantur. Multi verò Sacerdotes, Censuram Ecclesiæ contemnentes, excommunicati vel suspensi à Prælatis suis, exigentibus culpis eorum, immemores, quòd Episcopis & Prælatis, clauium cœlorum sit collata potestas, attentare sibi interdicta ministeria non verentur: contra tales volentes rigorem Ecclesiasticum extendere, statuimus quòd Clerici, qui excõmunicati suspensi sunt ab officio suo, ministrant vt priùs, tales (sine spe restitutionis) ab officiis, & beneficiis deponantur, & infames ac detestabiles sint. De cætero ad beneficia Eccesiastica nullatenus admittantur, nisi per pœnitentiam approbatam & conuersionem laudabilem, sedis Apostolicæ gratiam meruerint obtinere.

In Synodo Lancicienſi prima. Ex nouis.

ITem constituit sacra Synodus, vt Abbates, & Clerici seculares & regulares, sustineñ censuras Ecclesiasticas vltra annum,

annum, deponantur, vt suspecti de hæresi. Apostatæ autem Monachi & fratres capiantur per suos Prælatos, castigenturq;. Et similiter illi, qui per falsas narrationes dispensationes obtinent.

DE IIS QVI TOLERANT Censuras Ecclesiasticas. In Petricouiensi quarta.

SI Coloni seu cmetones, vltra annum insordescant, & Censuras Ecclesiasticas animo indurato sustineant, contra dominos eorundem, pro consequendo Colonorum debito, agendum erit censuris, & aliis iuris remediis opportunis, vt vel subditos suos ad soluendũ & ex censuris sese liberandum compellant, aut ipsi pro eisdem solutionem faciant: pauperibus duntaxat exceptis, cùm inanis sit actio, quam excludit inopia debitoris.

DE PRIVILEGIIS ET PRIuilegiatorum excessibus.

PRæterea statuimus, ne religiosi cuiuscunq; ordinis vel religionis existant, Priuilegiati, fines suorum excedant Priuilegiorum, cùm Priuilegium mereatur ammittere, qui concessa sibi abutitur potestate. Si qui etiam religiosorum per donationem vel alium legitimum titulum, ius patronatus, aliquorum beneficiorum Ecclesiasticorum acquisierint, talia beneficia propria temeritate, suis vsibus non vsurpent, sed ipsis vacantibus, ad ea Sacerdotes idoneos præsentent: Alioquin elapso termino à iure statuto Lociordinarius, prout Ecclesiæ expediat, prouidũ instituat ibidem curatum. Si

quas etiam Ecclesias Parochiales, infra quarum limites Monasteria habuerint, terras, agros, prata, & vineas, aut alia bona, de quibus iure Decimam soluere tenentur, in decimatione defraudauerint, omnes ipsis ad hoc opem, vel operam in præmissis dañ, & ipsorum seruitiis intendeñ, decernimus ipso facto excommunicationis sententiam incurrisse.

In Synodo Lancicienſi prima. Ex nouis.

VT Moniales habeant clauſtra ſua clauſa, menſamq; cõmunem, ſub pœna tranſlationis earum ad alia clauſtra. Exemptarum autem Prælati admoneantur per dominos Locorumordinarios, vt ſint diligentiores circa earum obſeruantiam, reformationemq; faciant intra vnum annum. Quodſi facere neglexerint domini Ordinariilocorum, recepta de eis inquiſitione, deferant eas ſummo Pontifici.

In Eadem.

VT Abbates in ſuis Monaſteriis, hinc ad ſex menſes, reformationem faciant, ſcandala, quæ de eis famantur, & per ora hominum communiter vagantur, tollant, procuſq; pellant. Alioquin ſi hoc intra illud tempus facere neglexerint, deferantur Papæ, & procurentur deponi.

In Synodo Petricouienſi quarta. Ex eiſdem.

QVilibet Epiſcopus cum Prælatis fratrum mendicantium ſuæ Diœceſis id agat, vt quodlibet Monaſterium ad certum numerum fratrum, qui iuxta facultates cuiuſq; loci eleemoſyna ali poſsint, reſtringantur, ad tollenda ſcandala, & grauamina, quæ ex eorum vagabunda mendicitate, quam terminatum vocant, exoriri conſueuerunt.

Bulla

BVLLA PROVINCIALIS

ſuſcepta in Synodo Lancicienſi prima. Ex eiſdem.

ITem, hæc ſacra Synodus ſuſcepit Bullam Prouincialem, per primum dominum Archiepiſcopum à ſede Apoſtolica in Concilio generali Lateraneñ obtentam, in qua continentur multa bonæ conſtitutiones, & indulta, huic Prouinciæ congruentia. Qam voluit, & decreuit obſeruari in omnibus punctis & clauſulis, prout in ea continetur. Cuius Bullæ tenor de verbo ad verbum ſequitur, & eſt talis.

BVLLA APOSTOLIca Prouincialis.

LEO Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Sacroſanctæ vniuerſalis Eccleſiæ regimini meritis licèt imparibus præſidentes, curis perurgemur aſſiduis, & continua meditatione pulſamur, vt iuxta creditum nobis paſtorale officium, Chriſtifidelium omnium diſpendiis, & animarum periculis, præſertim à dira infidelium & ſchiſmaticorum rabie prouenientibus, quantum cum Deo poſſumus, occurramus, & ſalubribus profectibus conſulamus, ac in his eiuſdem partes fauorabiliter impartiamur, prout ad religionis Chriſtianæ diuiniq; cultus conſeruationem & augmentum, ac animarum ſalutem, necnon benè viuendi inſtitutionem conſpicimus ſalubriter expedire. Sanè cùm nuper Venerabilis frater Ioannes de Lasko Archiepiſcopus Gneſnenſis, notabilis Prælatus, ad nos & ſedem Apoſtolicam, ac ſanctam Lateraneñ Synodum, per chariſsimum in Chriſto filium noſtrum Sigiſmundum Poloniæ Regem Illuſtrem, pro

obedientia nobis præstãda Orator destinatus, tam suo, quàm ipsius Regis nomine nobis exposuerit, quòd in Poloniæ, Vngariæ & Bohemiæ Regnis, in quibus magnus hæreticorum, & schismaticorum concursus existit, ac aliis Prouinciis, & partibus illi adiacentibus, tam propter infidelium Scytharum & Turcorum incursiones assiduas, quàm eorundem hæreticorum, & schismaticorum conuersationes maximas & continuas, sæpius multi errores & scandala orirentur, & multæ Ecclesiæ curatæ quasi desertæ, ita vt vna vix aliquando duarum aut trium domorum curam habeat, nec qui eas ob curæ, & fructuum tenuitatem obtinere vellent reperirentur, ac sæpius schismatici, & Rutheni, ad Catholicam reuerterentur Ecclesiam, & Christifideles coniugati ab infidelibus caperentur, ac de eis spes redeundi & certitudo vitæ nulla haberetur, & propter interdictorum appositionem, & diuinorum cessationem nonnunquam populi deuotio & religio minui videretur, ac hæreses & schismata, diuersaq; animarum pericula excitarentur, & an excommunicati, non tamen denunciati seu publicati vitandi sint, à nonnullis hæsitaretur, necnon Processus & sententiæ, quæ in partibus illis formabantur & ferebantur, vt plurimùm, cùm ad Romanam Curiam deferrentur, per viam nullitatis reuocarentur, & sic partes laboribus & expensis fatigarentur, ac iustitia postponeretur, adeò vt sæpè partes ipsæ desperatione ductæ, bonum ius eorum dimittere cogerentur: & quodsi super his per nos & sanctam Synodum prædictam prouideretur, proculdubio multis animarum periculis, & partiũ dispendiis obuiaretur. Nos quoq; zelus animarum eo potissimum vrget, quo prò illis ratio debetur exactior creatori, determinatione Synodali in publica sessione, propter varias ipsius Synodi occupationes, aliter non expectata, Venerabilibus fratribus nostris, Berdiardino Sabineñ, Dominico Portueñ, & Marco Prænestensi, Episcopis, sacræ Theologiæ Professoribus peritissimis:

tissimis: Antonio S. Praxedis, Petro, S. Eusebii, & Achilli, qui dicti Regni Poloniæ protector existit, S. Syxti, & Presbyteris, vtriusq; iuris doctoribus eminentissimis, & qui diu iudicia causarum Palacii nostri cum magna laude rexerunt: Necnon Friderico S. Angeli, de S. Seuerino, ac Hippolito, S. Luciæ in Silice Estеñ, viris illustribus, & in rebus agendis solertissimis, Diaconis S.R.Ecclesiæ Cardinalibus, vt de præmissis se informarent, & prouidenda discuterent, viuæ vocis oraculo commisimus. Cùm autem præfatis Cardinalibus de præmissis per diligentem informationem desuper factum eis, prout nobis retulerunt legitimè constiterit, nos desiderantes, vt ex huiusmodi pastorali debito tenemur in præmisso remediis, quibus possumus, salubriter prouidere, habita cum eisdem Cardinalibus deliberatione matura, authoritate Apostolica hac nostra perpetuò valitura, & irrefragabili constitutione, statuimus, & ordinamus, ac decernimus, ac declaramus, quòd de cætero Cathedralibus, & Metropolitanis Ecclesiis in dictis Regnis quomodolibet vacantibus pro tempore, non nisi docti & vigilantes, aut aliâs tales præficiantur viri, qui consilio, verbo, authoritate, & exemplo circa diuinum cultum, animarum profectum prouidere, & periculis inibi prouenturis obuiare sciant, velint, & valeant, & in eorum Ecclesiis continuè residere teneantur, & ab illis, nisi de licentia sedis Apostolicæ, aut vrgentibus necessitatibus Reipublicæ Christianæ, seu suarum Ecclesiarum, aut Regni & dominii, in quibus consistant, absentari nequeant: & similiter Rectores Parochialium Ecclesiarum inter schismaticos prædictos, vel prope illos consistеñ, ad euitanda animarum pericula prædicta, in suis Ecclesiis residere, ac animarum curam per seipsos exercere. Necnon Metropolitanarum & aliorum locorum Ordinarii, cæteriq; Prælati ad quos id pertinet, per se vel alios, sub pœnis suspensionis à diuinis, loca eis tam Metropolitico iure, quàm aliâs subiecta

visitare, & in visitationibus huiusmodi necessitatibus, tam Spiritualium quàm temporalium rerum: necnon indemnitatibus Ecclesiarum & Cleri prouidere, & aliis etiam expensis ipsorum, prout iustum & æquum fuerit, negligentias supplere teneantur, & debeant. Necnon Episcopi & alii Prælati, ad quos collatio, & prouisio dictarum Parochialium Ecclesiarum desertarum spectare dinoscitur, illas de consensu tamen patronorum earundem Ecclesiarum, si illæ de iure patronatus laicorum existant, inuicem seu vnam, alteri perpetuò vel ad vitam vnius Rectoris duntaxat vnire, & illarum Rectores, vbi necessitas exigerit, ac pro euitandis scandalis, & animarum periculis, in Circumcisionis, Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, Ascensionis Domini, ac Purificationis & Assumptionis beatę Mariæ Virginis: Necnon Natiuitatis Ioannis Baptistæ, & Natalis beatorum Petri & Pauli Apostolorum festiuitatibus, ac celebritate Omnium Sanctorum, & cõmemoratione omniũ Defunctorum, in duabus tantũ Ecclesiis Missarum solennia celebrare, & Eucharistiam, dummodò nonnisi in vltima Missa purificationem recipiant, cõficere. Necnon Prælati Ordinarii, & Rectores Parochialium Ecclesiarum prædicti, per se vel suos Vicarios hominibus ruralibus, qui propter timorem conscientiæ, in hoc dubio existentibus, in festis solennibus, præterquàm Dominicis diebus, & festiuitatibus, ac celebritate, supradictis, propter celebritatem ac damna in fructibus ruralibus euitanda, labores, & opera seruilia exercendi, cultu tamen religionis non contempto licentiam concedere. Necnon in omnibus terris, & locis dictorum Regnorum, interdicto Ecclesiastico, Ordinaria vel Apostolica authoritate suppositis, non solum in quatuor festiuitatibus, aliâs à iure communi concessis, sed etiam vltra illas, in festo sanctissimi Corporis Christi, ac prædictis Natiuitatis sancti Ioannis Baptistæ, ac Natalis beatorum Petri & Pauli Apostolorum festiuitatibus, ac celebritate

britate Omnium Sanctorum, & commemoratione Defunctorum, diuina officia solenniter, alta voce & pulsatis campanis (illis tamen, qui causam huiusmodi interdicti dederint pœnitus exclusis) celebrari, ac Catholici schismaticos, & Ruthenos huiusmodi, sine conscientiæ scrupulo, in eorum seruitiis tenere, & vbi Episcopos, Sacerdotes, & alios quoscunq; Missas, & alia diuina officia, & ibidem schismaticos, seu hæreticos præsentes fore contingerit, ipsi schismatici, & Rutheni, dummodò cum debito diuinorum officiorum honore, & absq; aliorum impedimento existant, nec possint sine scandalo, aut magna incommoditate prohiberi, tolerari: necnon tam Baptismus, quàm alia Sacramenta, in eisdem schismaticis, & Ruthenis, ad Catholicam fidem redeuntibus, iuxta ritum Romanæ Ecclesiæ seruari solitum, seu toleratum, baptisati seu confirmati aut ordinati non fuerint, reiterari, & etiam ab Ordinariis absolui. Quodq; Ordinarii vel eorum Vicarii, constito eis per famam publicam, vel legitimas coniecturas, seu aliter facta, sufficienti diligentia, quòd capti ab infidelibus sint mortui, aut quòd de eorum vita certitudo aliqua haberi non potest, licentiam cum aliis contrahendi infra terminum arbitrio ipsorum Ordinariorum statuendum dare, ac in casu huiusmodi, prolem inde susceptam legitimam decernere, absq; tamen præiudicio prioris, quandocunq; redeuntis: quodq; matrimonia in partibus prædictis à Septuagesima, vsq; ad Quadragesimam carnali copula consummari & nuptiæ honestæ, & sine solenni pompa, post Septuagesimam celebrari, liberè, & licitè valeant. Quodq; excommunicati non publicati seu denunciati vitari non debeant, ac publici adulteri, manifestè, & notoriè diffamati, absq; alia sententia infames existant, & pro talibus in omnibus iudicari, ac per Ordinarios locorum tanquam infames publicari debeant. Ac quòd Episcopi, & alii Prælati, cruces in pectore cum monilibus, seu pectoralibus, non deferant, sed

quò volu-

quo voluerint, illas sub vestibus modestè, & sine pompa deferre possint. Necnon Abbates, quibus in omnibus humilitas & modestia plurimùm conuenire dinoscitur, Infulas, seu mitras, ad decorem & modestum ornatum religionis, obmissa superflua pompa gemmarum & auri, iuxta constitutionem Bonifacii viij. Prædecessoris nostri, quæ incipit: Vt Apostolicæ, tam in Synodo, quàm vbiq; vbi eis iuxta eorum Priuilegia permissum est, deferre debeant, & sub excommunicationis sententiæ pœna se Episcopos nominare non permittant. Ac quòd occidentes Presbyteros, vel Clericos, habitum, & tonsuram clericales deferentes, etiam vigore commissionis Apostolicæ, nisi per Ordinarios, quibus Ordinariis, vel eorum Vicariis absolutiones huiusmodi committi volumus, & mandamus, non absoluantur. Et similiter Presbyteri, & Clerici homicidæ, non ad alium, quàm ad proprium Ordinarium, per sedem prædictam sint pro absolutione remittendi. Nec excommunicati, ob non solutionem debitorum, seu aliâs quomodolibet sententiis censurarum insordescentes, etiam absoluti in mortis articulo, sine licentia tamen Ordinarii loci, sepeliri non possint, nisi præstita satisfaciendi cautione, aut de licentia dicti Ordinarii, qui tam indemnitati creditorum, quàm authoritati Ecclesiasticæ prouidere teneantur. Quodq; Processus & sententiæ in partibus illis, aliâs ritè habiti & lati, validi & efficaces existant, nec de nullitate aliqua infringi possint, præterquàm ex defectu iurisditionis, aut citationis, & dummodò aliter partes non reperiantur enormiter læsæ in iustitia negocii principalis. Decernentes exnunc irritum & inane: si secus super his à quoquam quauis authoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attemptari. Et insuper, cùm sicut etiam accepimus, tam præfatus Sigismundus, quàm alii qui pro tempore fuerunt Poloniæ Reges, meritis & intercessionibus præfatæ glorioſæ Dei genitricis virginis Mariæ, contra eosdem schi-

smaticos

ſmaticos, hęreticos,& alios infideles, in diebus ipſius glorioſę virginis,quàmplures inſignes victorias obtinuerint : ac in certo Statuto Prouinciali Gneſnenſi hactenus obſeruato expreſsè caueatur, quòd quilibet Prælatus, Vicarius, & quocunq; titulo beneficiatus, cum cura, vel ſine cura, ſi moritur in tribus primis menſibus anni,incipieñ à Circumciſione Domini, habeat quartam partem introituum & emolimentorũ, iuxta verum valorem ſuorum beneficiorum, ſucceſſori tamen frumenta æſtiualia relinquat, ad ſeminandum prædia. Si verò in tribus ſecundis menſibus, habeat medietatem. Et ſi in tertiis tribus menſibus, habeat tertiam partem: de frumentis hiemalibus, ad quantitatem prædii, vel prædiorum non ſeminatorum ſucceſſori relictis. Si verò in vltimis tribus menſibus moritur, habeat vniuerſos fructus illius anni, prout in eodem Statuto dicitur pleniùs contineri. Ordinationem per piæ memoriæ Sixtum quartum, & Iulium ſecundum Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, de feſto Conceptionis beatæ virginis Mariæ factam: necnon Statutum Prouinciale prædictum, authoritate & tenore prædictis, approbamus & confirmamus, ipſumq; Statutum, etiam ad hæredes Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, in fructibus menſarum Metropolitañ, & aliarum Eccleſiarum Cathedralium Regni prædicti extendimus, & ampliamus, ac in Prouincia Gneſneñ, & toto Regno ac dominiis ipſius Regis Poloniæ obſeruari, necnon feſtum prædictum, prout in alma Vrbe & Curia Romana colitur, coli: necnon die aliqua per ipſum Sigiſmundum Regem ſtatuenda, ſemel duntaxat ſingulis annis, perpetuis futuris temporibus, in vna Eccleſia per ſingulos Ordinarios eligenda, in qualibet Diœceſi dicti Regni Poloniæ, & dominiorum eiuſdem Regis duntaxat, & vbi ipſum Regem pro tempore fore contigerit, celebrari debeant Miſſæ ſolennes in honorem beatæ Mariæ virginis, & ad fœlicem memoriam victoriarum, per præfatos Reges Poloniæ

obtentarum, celebrari volumus, & mandamus. Et nihilominus, de omnipotentis Dei misericordia, ac præfatorum Petri, & Pauli Apostolorum authoritate confisi, omnibus & singulis vtriusq; sexus Christifidelibus, verè pœnitentibus & confessis, seu propositum confitendi habentibus, qui celebrationi dictæ Missæ, vbi ipsum Regem esse contigerit, interfuerint, & alias Ecclesias eligendas huiusmodi similiter visitauerint, centum annos indulgentiarum, misericorditer in Domino concedimus & elargimur. Quocirca Venerabilibus fratribus nostris, Archiepiscopo Strigoniensi & Olomucen Episcopo, ac dilecto filio Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ auditori, per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut vnus eorũ, per se vel per alium seu alios, præsentes literas, & in eis contenta quæcunq;, vbi, quando, & quoties opus fuerit, solenniter publicañ, ac in præmissis efficacis defensionis præsidio assisten, faciãt statutum, ordinationem, decretum, voluntatem, & mandatum, ac alia prædicta, iuxta præsentium continentiam & tenorem, per censuras & pœnas Ecclesiasticas, authoritate nostra firmiter obseruari, ac singulos quos præsentes concernunt, illis pacificè gaudere, necnon quoscunq;, quos statuto ordinationi, decreto, voluntati, & mandato prædictis, quouis modo contraueniſſe, & propterea censuras, & pœnas prædictas incurriſſe constiterit, illis irretitos fore, eadem authoritate nostra publicent, & faciant ab aliis publicari, ac ab omnibus arctiùs euitari, donec ab eisdem censuris & pœnis meruerint absolutionis beneficium obtinere. Contradictores quoslibet & rebelles, cuiuscunq; dignitatis, status, gradus, ordinis, & conditionis existen, etiam Pontificali dignitate fungen, per easdem censuras, & alia iuris remedia, appellatione postposita compescendo, inuocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis: Non obstantibus præmissis, ac quibusuis Apostolicis, necnon in Prouincialibus, & Synodalibus

Conciliis

Conciliis editis, generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus & ordinationibus, necnon quibuſuis Priuilegiis, indultis, & literis Apoſtolicis, Epiſcopis, Prælatis, Rectoribus ac aliis prædictis, ſub quibuſcunq; tenoribus & formis pro tempore conceſsis, quæ quo ad hoc ipſis nolumus aliquatenus ſuffragari: contrariis quibuſcunq;, aut ſi aliquibus communiter vel diuiſim, ab eadem ſit ſede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſsint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, expreſſam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiuſmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam noſtrorum, Statuti, ordinationis, declarationis, decreti, approbationis, confirmationis, extenſionis, ampliationis, voluntatis, conceſsionis, elargitionis, & mandati, infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum. Anno incarnationis Dominicæ, Milleſimo quingenteſimo quintodecimo. Quinto Idus Auguſti. Pontificatus noſtri, anno tertio.

In Synodo Lancicienſi ſecunda. Ex eiſdem.

INter cætera, quæ ad ſalutem ſpectant populi Chriſtiani, pabulum verbi Dei, permaximè ſibi noſcitur eſſe perneceſſarium. Quia ſicut corpus materiali, ſic anima Spirituali cibo nutritur: eo quòd non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Cùm igitur ſedes Apoſtolica, diuerſos ordines, & religiones, in ſuffragium curæ Paſtoralis in diuerſis mundi partibus conſtituerit, eoſq; variis Priuilegiis, & libertatibus ampliauerit, vt eo liberiùs in vinea Domini laborando, verbum Dei populo miniſtrarent, confeſsiones audirent, doctrinaq; & exemplo fidem di-

latarent. Præsenti Decreto statuimus, vt fratres prædicatores, & fratres Conuentuales, & de obseruantia sancti Francisci, aliiq; ordines exempti, & eorum Prælati, per Locior-dinarios charitatiuè admoneantur, vt prædicatores verbi Dei, & pœnitentiarios, in eorum Ecclesiis eligant, doctos, idoneos, & discretos, quibus districtè iniungant, vt in verbi Dei propositione, modestè se gerant, in arguendo vitia, personas & status ex nomine non exprimant, vnde odia & scandala plerumq; euenire consueuerunt. Sintq; in audiendis confessionibus & prædicationibus solertes & diligentes, vt verbo pariter ędificent & exemplo.

DE INIVRIIS.

Ex Antiquis.

ET quia de Prælatis & Canonicis, & cæteris Clericis conuiciatoribus, & percussoribus, per prædecessorum nostrorum Concilia seu Satuta, nulla certa forma vel pœna, præter eam, quæ iure communi comprehenditur, inuenitur expressa. Nos attendentes, quòd plùs timeri solet quod specialiter iniungitur, quàm quod generaliter imperatur, approbatione totius Concilii necessario duximus statuendum, vt Prælatus, vel Canonicus, qui suæ Ecclesiæ Prælatum vel Canonicum in Capitulo, verbis probrosis, vel contumeliosis affecerit manifestè, per quartam partem anni, à consortio sui Capituli, & perceptione distributionum quotidianarum, quæ aliis accrescunt, ipso facto sit excluſus. Ad cuius quidem statuti & pœnæ exequutionem Capitulum infra quindecim dies, sub pœna suspensionis ab ingressu Ecclesiæ teneatur. Si quis autem Prælatorum Canonicorum, in prædictas personas, etiam citra sanguinis effusionem manus iniecerit temerè violentas, per pœnas prædictas dupliciter puniatur. Pro-

vulnere

vulnere verò huiusmodi personis, vel aliquo prædictorum illato, etiam si nulla membri mutilatio ex tali vulnere fuerit subsequuta, sine omni remissione, per prædictas pœnas, quadrupliciter puniatur. Insuper in vtroq; casu, iuxta sui Diœcesani arbitrium læso satisfaciat competenter, antequam restitutionem prædictorum assequatur. Sed si per temerariam membri mutilationem excesserit, beneficio Ecclesiastico, quod in eadem Ecclesia obtinet, sit priuatus. Saluis tamen aliis pœnis in sacris Canonibus contra temerarios, violentarum manuum in Clericos iniectores expressis: Saluis etiam aliis iuribus, quæ videlicet repellere vim vi permittunt.

DE POENIS.

CRescente quotidie malicia peruersorum, & in deteriora seculo declinante, cogimur ex præteritis casibus, futuris periculis obuiare, vestigiis iuris communis inhærentes, sanctione constituimus Synodali, vt si vnquam Rex, Princeps, vel quisquis alius, cuiuscunq; status, conditionis, vel eminentiæ existat, Archiepiscopum vel Episcopum comprouincialem iniuriosè cœperit, vel temere percusserit, seu baniuerit, vel hoc mandauerit fieri, aut facta ab aliis rata habuerit, vel socius fuerit facientis, aut consilium dederit in his vel fauorem, seu scienter defensauerit, vltra pœnam sententiæ excommunicationis, quam ipso facto incurrunt, statim in tota Prouincia cessent diuina officia ipso facto, nec exhibeantur in ipsa aliqua Ecclesiastica Sacramenta, præter baptisma paruulorum, & pœnitentias morientium, Ecclesiastica sepultura specialiter interdicta. Quodsi verò (quod absit) occidant, bona ipsius mobilia, & immobilia, Ecclesiæ iure perpetuo applicentur: Quodsi minor Prælatus Ecclesiæ Cathedralis, aut Canonicus, in tota Diœcesi. Si verò

Collegiatæ, vel Conuentualis Eccleſiæ captus, vel occiſus fuerit, in toto Archidiaconatu in quo ſcelus patratum eſt. Si verò Plebanus aut Presbyter, ſeu quilibet in ſacris ordinibus, ſiue ſecularis, vel regularis fuerit, in Decanatu rurali, vel Archipresbyterali ſede: Si verò alius Clericus in minoribus conſtitutus, locus ille & Parochia loci illius Eccleſiaſtico ſubiaceant interdicto. De atroci verò vulnere relinquitur arbitrio Ordinarii, quo ad interdictum ponendum, & interdictum præſenti conſtitutione prolatum, ab omnibus firmiter obſeruetur: nec à quoquam niſi ab ipſa Synodo, vel à Metropolitano Suffraganeis requiſitis pro maiori Prælato, ſcilicet Archiepiſcopo, vel Epiſcopo comprouiciali, pro minori verò vel Clerico Diœceſano, congrua ſatisfactio præmiſſa, per Diœceſanum ſuum relaxetur. Et ne malefactores huiuſmodi, propter ſimilia pericula fraudulenter procurent & obtineant ſe abſolui, ſtatuimus, vt non niſi in euidenti articulo mortis ſatisfactione præmiſſa congrua, abſolutionis beneficium valeant obtinere, vel ſaltem cautione præmiſſa idonea, de ſatisfaciendo, infra menſem, aliâs in eandem ſententiam incidant ipſo facto. Statuimus etiam, vt tales malefactores omnibus innoteſcant, vt eo ampliùs confundantur, quod tempore talis interdicti populus ſono percuſſo tabulæ, omnibus diebus Dominicis & feſtiuis ad Eccleſiam conuocetur, ibi feſta & ieiunia populo indicentur, & exhortatione facta, & cauſa interdicti expoſita, malefactores huiuſmodi, ter pulſatis campanis, & candelis extinctis excõmunicati publicè nuncientur. Et vt populus ad conueniendũ illic ampliùs inuitetur, conuenientibus illic, & excommunicatos vitantibus, quadraginta dies indulgentiarum concedantur. Verùm ſi Clericus vagabundus, in furto, vel in alio recenti maleficio, deprehendatur, & habeatur de fuga ſuſpectus, ex hac noſtra generali licentia, quam præſentibus impartimur, ſecularis poteſtas, ſub teſtimonio trium Clericorum, ſi

rum si commodè haberi poterint, vel alio fide digno, malefactorem huiusmodi poterit captiuare, ac eum quamprimùm Ecclesiastico Iudici præsentare, iuxta tradita sacrorum Canonum puniendum.

Idem. Ex nouis.

ANtiquorum patrum vestigiis inhærentes, statuimus & ordinamus, vt Clerici quorumcunq; ordinum, habitu Clericali, & tonsura abutentes, ac secularia aut militaria vestimenta gestantes. Si à Prælatis suis tertio commoniti, secularem habitum noluerint deponere, Priuilegia Clericorum perdent ipso facto. Frustra enim Ecclesiæ implorant auxilium, qui committit in ipsam, & lex secularium Principum constituit, matronam cuius pudicitia attentata fuerit, non posse iniuriarum agere, si in veste meretricali fuerit deprehensa.

Idem. In Synodo Lancicienſi ſecunda.

CLerici rapientes, & violantes bona Ecclesiæ, & Processus Ordinariorum, ac sibi ipsis ius dicentes, vel seculares in auxilium causarum Spiritualium aduocantes, incarcerentur, donec satisfaciant parti, & Iudici. Locorum autem Ordinarii omnia in Synodis Prouincialibus laudabiliter constituta, pœnali iudicio exequi teneantur.

In Synodo Petricouienſi quarta.

CLerici contentiosi, aleatores, potatores, percussores, sacrilegi, concubinarii, continui adulteri, pœna carceris, vel arbitraria, pro modo culpæ, vltra pœnas iuris cõmunis puniantur.

Matthiæ

Matthiæ Drzeuicii. Lanciciæ, 1527.

DEcreuit etiam hæc Synodus, quòd domini Archiepiscopi & Episcopi Archidiaconis non committant deinceps vices suas, quo ad correctionem morum, & pœnarum exactionem, sed solùm vt iuris est visitationem, & visitationis relationem, qua facta, ipsi aut eorum in Spiritualibus Vicarii, ad morum correctionem, & pœnarum exactionem procedant, quas non in ipsum, sed pro luminaribus, fabrica Ecclesiarum, aut in alium pium vsum conuertant.

Eiusdem. Petricouiæ, Anno 1534.

QVum turpe sit & per omnia iniquum, quosdam tolerare Clericos, qui per rerum alienarum immoderatam cupiditatem, lucris flagitiosis adeò intendunt, vt etiam quod in se & aliis committi execrantur, in alios ipsi exerceant, prout in plerisq; negociationibus, tum verò in Decimis faciunt. Quippè dum suas Decimas à secularibus vendi nolint, aliorum ipsi Decimas rapere temerè non verentur. Quod non modo in Clericos (quos sanctiores laicis esse conuenit) verùm & in laicis detestandum crimen est. Proinde vt hæc mali fomes ex Clero tollatur, sacra statuit Synodus, vt quicunq; Clericus Decimam alterius cuiuscunq; rapuerit, eam cum pœna triplici, iustæ æstimationis eius Decimæ, quam rapuit, reddere cogatur. Cuius pœnæ dimidium ipso facto Ecclesiæ Diœcesanæ luat, fabricæ applicandum: dimidium verò damnum passo exoluat.

Ex eiusdem. Ibidem.

TAmetsi omnes Pontifices, item Abbates Prouinciæ, nisi legali ac probabili impedimento excusentur, ad Synodum Prouincialem venire iure sint obligati, cui tamen debito pleriq;

to plericq; domini Abbates contrauenientes, ad eam Synodũ venire non curant, sed neq; iustã suæ absentiæ causam exhibent, qua constet illos venire non potuisse. Decreuit idem eadem Synodus, vt deinceps omnes domini Abbates, prænoniti tamen ante Ordinariorum literis, ad Synodum veniant, aut verò si omnino venire non possint ægritudine, aliaúe iusta ac legali necessitate impediti, Procuratorem suum cum sufficienti instrumento publico, impedimentum legale, necnon iurisiurandi in animam mandantis præstandi, mandatum speciale continente, cum aliquo Abbate vicino mittant: Alioqui excusationi locum non esse, contrafacientemq; decem marcarum pœna, per Rmum dominum Archiepiscopum fabricæ Eccleſiæ Gnesnensis inferenda, sumpta omni exceptione sacra Synodus mulctandum censuit.

DE POENITENTIIS & Remissionibus. Ex Antiquis.

Qualitas, locus, & discretio Confessarii.

DOceant, maximè ante Quadragesimam, Sacerdotes, vt omnis vtriusq; sexus Christianus, postquàm ad annos discretionis peruenerit, teneatur omnino sua fideliter peccata confiteri coram proprio Sacerdote tempore Paschatis, iniunctamq; sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere. Si quis autem tempore alio voluerit alieno Sacerdoti confiteri, licentiam priùs obtineat aut postulet à proprio Sacerdote, cùm alienus eum non possit aliter absoluere vel ligare, nisi sint regulares, obtinentes priuilegia à sancta sede Apostolica. Ad audiendam autem confessionem, locum non obscurum vel abditum aut absconsum, sed eminentem, Sacerdotes sibi eligant, vt possint communiter videri. Et dum fit confessio, Sacerdos sit cautus & discretus, vt more periti medici su-

dici superinfundat vinum & oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens, & peccatoris circumstantias, & peccati. Caueat autem omnino, ne verbo, aut facto, signo, aut alio quouis modo prodat aliquatenus peccatorem. Si autem prudentiori consilio indiguerit, id absq; vlla expressione personæ cautè requirat. Qui autem peccatum in foro pœnitiæ sibi detectum præsumpserit reuelare, non solum à Sacerdotali officio decernimus deponendum: verùm etiam ad agendum pœnitentiam, in arctum Monasterium detrudendum. Consulimus, & monemus, vt Sacerdotes passim, & districtè Missas non iniungant confitentibus, sed cupiditatis notam fugientes, in hac parte fructus, qui ex tali iniunctione possint Sacerdotibus prouenire, iniungant pauperibus erogare. In qua quidem confessione Sacerdotes vultum humilem, & oculos in terram fixos habeant, ne indiscretè & frequentiùs faciem inspiciant confitentis, & maximè mulieris, sed patienter audiant quicquid dixerit, in spiritu lenitatis, & ei pro posse suo & pluribus modis suadeant, vt confiteatur integrè: Nam si aliter fecerint, confessio non valebit. In confessione caueant sibi Sacerdotes, ne inquirant nomina personarum, cum quibus peccauerunt pœnitentes, sed circumstantias tantùm, quæ possunt aggrauare peccatum. Cùm experientia certa didicimus, pro fornicatione, vel etiam peccatis maximis, ferè nullam vel minimam pœnitentiam pœnitentibus iniungi à Sacerdotibus, ignorantibus seu negligentibus Canonica instituta: Præcipimus igitur, quòd Sacerdotes studeant inquirere diligenter, & peccata vsitata, & circumstantias vsitatas peccatorum, maximè gulæ, luxuriæ, & cupiditatis, quibus genus humanũ frequentiùs corrũpitur, & defœdatur.

Medicorum corporis officium.

STatutum est in Concilio generali, & districtè iniunctũ Medicis corporum, cùm eos ad infirmos vocari contingit, vt ipsos ante

ipſos ante omnia moneant & inducant, quòd prius medicos aduocent animarum, vt poſtquam infirmo fuerit de ſpirituali ſalute prouiſum, ad corporalis medicinæ remedium ſalubrius procedatur. Cæterũ autem, cùm anima ſit multũ pręciosior corpore, ſub interminatione anathematis prohibemus, ne quis medicorum, pro corporali ſalute aliquid ægroto ſuadeat, quod in periculum vergat animarum. Et quia plerumq; infirmus, ſua confiteri peccata propter multorũ præſentiam erubeſcit, id à Sacerdotibus diſtrictiſsime ſuademus obſeruari, vt priùs ſemotis arbitris, familiariter & ſecretè audiant confeſsionem ipſius, ſi mortis periculum non obſiſtat, & poſt abſolutionem ſacramentalem, ei cum deuotione Euchariſtiam conferant ſalutarem.

Abuſuum, per fratres Religioſos induci ſolitorum, correctio.

LIcèt autem fratribus Prædicatoribus, & Minoribus ſit à iure permiſſum, vt ex eis perſonę ſufficientes, idoneę, vitæ probatæ, diſcretæ, modeſtæ, atq; peritæ, per eorũ certos ſuperiores electæ & præſentatæ Diœceſanis locorũ, in eorum Ciuitatibus, & Diœceſibus, de ipſorũ petenda licentia, gratia vel beneplacito, confeſsiones ſibi confiteri volentium audire valeant, & imponere pœnitentias ſalutares, ac abſolutionis beneficium impendere poſsint: quia tamen ſumus certiùs informati, quòd iidem religioſi contempta eiuſdem iuris forma, indifferenter omnes, dummodo ſint Presbyteri, etiam non præſentati Epiſcopo, audiunt confeſsiones ſingulorum, in damnationem ſuam, & animarum ſibi confitentium: ne per errorem huiuſmodi, animæ ſubditorum noſtrorum periclitentur, de cætero, hoc ſacro appobante Concilio, omnibus Rectoribus Parochialibus noſtrarum Diœceſis & Prouinciæ, firmiter iniungimus, ne Parochianos ſuos permittant dictis

fratribus confiteri, nisi illis duntaxat, qui per patentes literas Diœcesani Episcopi, pro ipsis confessionibus audiendis nominati fuerint deputati. Quas quidem literas de Cancellaria nostra, & Suffraganeorum nostrorum, gratis, & sine solutione pecuniæ aliqua, ipsi fratres recipere, & eas Rectoribus Ecclesiarum debent præsentare: qui Rectores ad requisitionem ipsorum fratrum teneantur in suis Ecclesiis eas publicare. Verùm tametsi Episcopus fratribus ipsis (vt præmittitur) electis, & præsentatis, sine causa recusauerit audiendi confessiones licentiam exhibere, extunc fratres ipsi ex speciali concessione Apostolica, id faciendi habeant liberam facultatem: in nullo tamen casu, circa absolutionem maiorem authoritatem habeant, quàm Parochiales Presbyteri: nisi Episcopus vel superior, qui potest, ipsis vberiorem gratiam specialiter duxerit concedendam. Nec etiam possunt dicti fratres, seu quiuis alii religiosi, Clericis vel laicis sine speciali licentia Parochialis Presbyteri ministrare alia Sacramenta: & qui contrarium fecerint, excõmunicationis sententiam incidant ipso facto. In Ecclesiis quoq; Parochialibus, dicti fratres non possunt, nisi de ipsorum Rectorum beneplacito & assensu, prædicare verbum Dei. Cùm autem fratres ipsi festiuis diebus in domibus suis manè prædicationes faciunt, non eas in tantum protrahant, quòd plebs ad prædicationem & summam Missam suæ Parochiæ, cui tunc interesse tenentur, negligant horam debitam veniendi, nec Parochianos in suis sermonibus detineant, nisi cùm fortè domorum festiuitates indicant, nec girando per Ecclesias & eorum ambitus, populum aqua benedicta aspegant: aut cinerum, vel frondium, palmarumq; benedictionibus se occupent, cùm talia in Parochialibus Ecclesiis de iure & de antiqua consuetudine peragantur. Non impediant etiam dicti fratres per suas prædicationes, stationes & Processiones solennes, quas obseruat Ecclesia generalis.

De Pœni-

De Pœnitentiariis per Episcopos instituendis.

QVia etiam frequenter in pœnitentiis iniungendis quidã casus emergunt, qui propter ignorantiam Sacerdotũ expediri nõ possunt, & qui absolutionem & dispensationem Episcopalem requirunt, ideò salubriter duximus statuendum: Quòd quilibet Episcopus, eò quòd propter occupationes multiplices eius copia quandoq; haberi non potest, vnum ad minus pœnitentiarium penes se habeat, honestum, prouidũ, & discretum. Et nihilominùs alium, vel alios instituat in Ecclesia sua Cathedrali, vel saltem ad ipsorum alterum recursus in eiusmodi casibus habeatur, qui etiam in illis casibus, in quibus Episcopi dispensandi pariter & absoluendi obtinent facultatem, ipsorum authoritate dispensent, & absoluant. Archidiaconi quoq; & Archipresbyteri, & Plebani suis subditis Presbyteris, in pœnitentiali iudicio districtè iniungant, vt in casibus memoratis, siue occulti, siue manifesti existant criminis, recursum habeant ad Pœnitentiarios supradictos, opportunum ab eis consilium quærentes. In furto, vsura, rapina, & fraude, ante omnia iniungant pœnitentibus, vt si possunt ablata restituant, aliâs nulla eis valeat satisfactio ad salutem: cùm non dimittatur peccatũ nisi ablatũ restituatur.

De remittendis ad Pœnitentiarios.

STATuimus, quòd Sacerdotes, in confessione & in satisfactionibus iniungendis, maiora maioribus referuantes, mittant ad Episcopos pœnitentes, per ipsos Episcopos absoluendos, omnes blasphemos omnipotentis Dei, & beatæ Mariæ, & Sanctorum, homicidas, facto, opere, casu, consilio, vel auxilio, filiorum opressores, iniectores manuum in parentes, siue in Clericos, vel quoscunq; religiosos, sacrilegos, & Ecclesiarum, & Cimiteriorum effractores,

& violatores, Simoniacos, schismaticos, & hæreticos, apostatas, sacrilegos, diuinatores, & qui ad eos accedunt, vt præmissum est, & qui Sacramentis aliqua maleficia commiserunt, vel auxilium, aut occasionem, vel causam præstiterunt, literarum, sigillorum, monetæ, seu mensurarum falsarios, periuros solennes, incestuosos cum sanguinea, vel affini, vel cum alia quæ votum emisit. Et detestabile peccatum contra naturam committentes, cum brutis vel cum animalibus rem habentes, adulteros, maleficos, qui maleficia inter coniuges faciunt, vel ne coire possint, vel sterilitatem mulierum, vel aborsum procurant: qui bis se baptizare & confirmare permiserunt, & qui interfuerunt scienter. Item qui sine prima tonsura aliquem ordinem sacrum, vel per saltũ susceperunt: qui contra iustitiam, vel conscientiam, consilium, siue auxilium in aliquo præstiterunt, vnde mors hominum, vel membrorum iniusta mutilatio est sequuta: vel qui in huiusmodi facinore scienter literas dictarunt, scripserunt, legerunt, & occasionem, consilium siue causam dederunt, vel aliquod adminiculum præstiterunt: & Clericos qui suspensi vel excommunicati sunt promoti, aut diuina ordini ipsorum nondum competentia celebrare præsumpserunt. Sacerdotes quoq; & ipsorum ministros, quorum negligentia aliquid inhonestum circa Sacramentum altaris, quocunq; modo euenit, in huiusmodi punctis & similibus detentos, mittant Sacerdotes ad Episcopos absoluendos, nec eos absoluent, præterquàm in mortis articulo, absq; Lociordinarii licentia speciali. Declarantes quòd illi, quibus duxerimus talium absolutionem committendam, potestatem illam aliis personis non habeant committendi. In dubio autem consulant Episcopum, vel eius vicesgerentem, vel alios sapientes, quorum consilio pœnitentem absoluant, vel transmittant ad alium absoluendum. Quibus quidem omnibus supradictis Pœnitentiariis, exceptis illis, qui per violentã manuũ iniectionem in personas Ecclesiasticas

clesiasticas, in Canonem latę sententię inciderũt, quos Episcopi absoluere non possunt, & similiter irregularibus exceptis, qui excommunicati diuina celebrauerunt, quorum dispensatio, ad solum summum spectat Pontificem, per nos, & alios Episcopos, de absolutionis beneficio potest prouideri, authoritate ordinaria nostram potestatem impendimus.

De Indulgentiarum concessione.

QVoniam plerique Episcoporũ, per indiscretam & superfluam indulgentiarum concessionem, claues Ecclesiæ contemptibiles reddunt, & pœnitentiam, & satisfactionem eneruant, non aduertentes, quomodo Romanus Pontifex, qui plenitudinem obtinet potestatis, in hoc tamen moderamen cõ sueuit obseruare, qui in capella sua personaliter celebrans, vel prædicans, interesentibus contritis & confessis, ad maximùm septem annos indulgentiæ, & quadrantenas totidem largitur. Ne igitur per temeritatem huiusmodi simplicitati fidelium de cætero illudatur, vt secundum iuris dispositionem communis, cùm dedicatur Basilica, non extendantur indulgentiæ vltra annum, siue ab vno solo, siue à pluribus Episcopis dedicetur. In anniuersario dedicationis tempore, quadraginta dies, de iiunctis pœnitentiis, indulta remissio non excedat, & similiter, quando ex aliis rationabilibus causis, per literas suas Episcopus huiusmodi remissiones suis subditis voluerit indulgere, quadraginta dierum & non amplius numero sit contentus. Nec remittentium indulgentias, subditi percipiant alieni, nisi hoc (vt ipsi vti possint) eis proprii iudices specialiter duxerint indulgendum.

Huic autem Statuto necessario duximus annectendũ, quòd nullus Clericus secularis vel religiosus, exemptus vel non exemptus, in Ecclesia sua seu Monasterio indulgentias, præterquàm quæ per Diœcesani patentes literas fuerint approbatæ, pronun-

pronunciare & concedere præsumat. Nam frequenter in diuersis Ecclesiis, siue locis multorum annorum & quadrantenarum indulgentiæ sub nominibus summorũ Pontificum, & etiam Episcoporum ignotorum conceduntur, quæ propter nimium excessum, de facultate vehementer sunt suspectæ, & propter hoc huiusmodi indulgentiarũ literæ, per Diœcesanum examinari & approbari debent, cuius interest, ne ipsius subditi, ex spe, quam ob huiusmodi mendosas & falsas indulgentias obtinent, ab agenda condigna pœnitentia retrahãtur, nisi Episcopus ex alia causa rationabili aliud duxerit faciendum.

De eligendo Confessore idoneo.

SI Episcopus suo subdito concesit, vt sibi possit idoneum eligere Confessorem, ille quem is elegerit, in casibus qui eidem Episcopo specialiter reseruantur, nullam habet penitus potestatem, nisi hoc in confessionali specialitr exprimatur: cùm in generali confessionali illa non veniant, quę non esset quiuis verisimiliter in specie concessurus. Nulla quoq; potest consuetudine introduci, quòd aliquis, præter sui superioris licentiam, Confessorem sibi eligere valeat specialem, qui eum possit ligare, vel soluere.

De supplicio vltimo damnatorum.

CVM secundum Statuta Canonica vltimo deputandis supplicio negari (si petant) non debet pœnitentiæ Sacramentum, abusum damnabilem, in quibusdam partibus contra hoc introductum, aboleri omnino volentes, quo per quæstiones carnificum sceleribus malefactorum cognitis, confessionem sacramentalem Sacerdoti eosdem facere non curant, aut impediunt: Iustitiarios omnes, & dominos temporales, vt ab huiusmodi desistant abusu, hortamur in domino & obsecramus per viscera misericordiæ Iesu Christi. Locorum ni-

corum nihilominus Ordinariis iniungentes, vt eos ad hoc cumprimùm commodè poterint, diligenter monere, & si necesse fuerit Ecclesiastica censura compellere non obmittant.

Idem. Ex Nouis.

PArochiani, qui apud fratres Minores, Prędicatores, & alios ad id priuilegiatos, confessionis & pœnitentiæ, necnon & Eucharistiæ Sacrosanctæ Sacramenta susçipiunt, pastori suo Parochiali, de susceptione huiusmodi, per literas suorum confessorum significatorias, vel alio modo legitimo fidem facere teneantur. Quodsi alibi, quàm apud priuilegiatos, prædicta & alia Sacramenta susçipere velint, id de licentia obtenta Rectorum Parochialium Ecclesiarum facere sint astricti.

Eadem sacra Synodus, Statuta vetera innouando, decreuit, vt Priores & Guardiani Ecclesiarum Conuentualium, exemptarum & non exemptarum, quorumcunq; ordinum, illos quos muneri prædicandi, vel confessionibus audiendis præficiunt, Lociordinario singulis annis præsentare sint astricti.

De dispensationibus moderandis.

QVia facilitas veniæ plerumq; parit incentiuũ delinquendi. Ita siquidem facilitas concessionis apud sedem Apostolicam dispensationum, maximè in gradibus prohibitis matrimonia contrahendi: necnon absolutionum à iuramentis, Confessionalium, absurda quandoq; & pias aures offendentia continentium, aperit multis viam peierandi, & plurima scandala perpetrandi. Proinde sacra Synodus, decreuit sanctæ sedi Apostolicæ supplicandum, quo prouidere dignetur sua sanctitas, ne ad concessionem dispensationum & absolutionum huiusmodi Confessionalium facilem se præbeat, vel saltem vt dispensationes, & absolutiones ipsæ Locorumordina-

rumordinariis cum earum cognitione ad partes committantur. Pauci enim reperiuntur, qui dispensationes, seu absolutiones huiusmodi, per veri expressionem obtineant: Putant tamen nihilominus prætextu ipsarum absolutionum se tutos esse, vel vigore dispensationũ omnia sibi licere, non sine scandalo plurimorum: audentq; liberiùs eo prætextu in varia crimina prolabi. Idem de dispensationibus super incompatibilibus, & pluralitate, minorennitate, ac de non promouendo prouideatur: quandoquidem dispensationes ipsæ non modica Ecclesiis afferre solent dispendia.

DE SENTENTIA EXCOMmunicationis. Ex Antiquis.

STatuimus & præsentis Concilii authoritate inuiolabiliter præcipimus obseruari, quòd in ferendis sententiis per Iudices ius commune teneatur, & præsertim Capitulum, Sacro, de sententia excommunicationis.

Si Episcopus aliquem excommunicat ex certa causa, denunciet vicinis Episcopis per suas patentes literas, vt excommunicatum faciant denunciari, & tunc sine difficultate aliqua vicini Episcopi excommunicatum facient publicè nunciari, & in Diœcesibus suis arctiùs euitari. Si verò Episcopi in hoc fuerint negligentes, vel excommunicatis communicauerint, tamdiu Cathedralium Ecclesiarum Canonici sibi non communicent, quamdiu huic salubri Statuto præsumpserint obuiari.

Statuendum duximus, quòd nullus excommunicatum à domino Papa, aut quocunq; ordinariam aut delegatam iurisditionem habente, absoluere debeat, nisi fortè in mortis periculo constitutum, quia tunc excommunicatus huiusmodi etiam à simplici Sacerdote, & iuxta formam Ecclesiæ potest absolui

teſt abſolui. Forma autem Eccleſiæ hæc eſt: quòd excommunicatus pro contumacia præſtito iuramento, quòd Eccleſiæ, & illius qui eum excommunicauit, parebit mandatis, & quòd expenſas taxandas reſtituet, poteſt in tali caſu abſolui. Si verò pro offenſa vel re iudicata excommunicatus fuerit, tunc præſtito iuramento, vt ſupra, ante omnia debet rei iudicatæ parere, & iudicis ſeu boni viri arbitrio ſatisfacere de offenſa. Quodſi ille, vel illi, pro quo, vel pro quibus huiuſmodi ſententia lata fuerit, aut cui, ſeu quibus, eſt ſatisfactio exhibenda, forſitan abſq; infirmi periculo inueniri aut haberi non poſsint, nihilominus Sacerdotis & bonorum arbitrio pareat ſicut poteſt, & ipſorum arbitrio pecuniam pro ſatisfactione, illius nomine quem offendit, in AEde ſacra, vel penes honeſtos viros deponat: quodſi parere vel ſatisfacere fortè non poſsit, pignora prædicto modo pro ſatisfactione deponat. Quodſi facere hoc nõ poſsit, fideiuſſores idoneos ponat: quodſi fortè horum nihil facere poſsit, præcipiat ſibi abſoluens ſub debito præſtiti iuramenti, quòd infra menſem poſtquàm fuerit reſtitutus ſanitati, præſentiam ſui excommunicatoris adibit, & pro cauſis, pro quibus excommunicatus fuerat ſiue extitit, Eccleſiæ & Iudicis reuerenter parebit mandatis. Si verò aliquis, quem ex cauſis prædictis excommunicatum, non ſeruata in ſuis caſibus forma præfata, abſoluere præſumpſerit, & damna, & intereſſe excommunicatori & aduerſario, vel eius hæredibus rependere teneatur: & aliâs nihilominus per Diœceſanum vel alium Prælatum ſeu ſuperiorem ſuum acriter arguendus.

Quia quorundam peruerſorum, claues Eccleſiæ contemnentium, in tantum excreuit temeritas, vt per eorum obſtinatam maliciam Eccleſiæ videatur authoritas vilipendi, cùm excommunicationis ſententiam in ſe pro manifeſtis, & notoriis cauſis rationabiliter prolatam, in ſuarum animarum periculum & plurimorum ſcandalum, animo ſuſtinent pertina-

ci, non attendentes quòd tantò grauiora sunt peccata, quantò diutius animã infœlicem detinent alligatam. Propter quod huic morbo necessariam, quantum possumus, volentes adhibere medelam, statuimus, vt quicunq; excommunicationis sententiam, ex iusta causa, modo prædicto in se latam, infra spacium sex mensium, à die prolatæ in eum sententiæ computandum, animo sustinuerit indurato, ad arbitrium excommunicatoris, pro huiusmodi pertinacia puniatur. Si verò in ea infra spacium vnius anni obstinatione damnabili præsumpserit perdurare, anno elapso dominus ipsius temporalis siue supremus, siue hæreditarius, bona ipsius mobilia & immobilia teneatur confiscare, ea in vsus proprios conuertendo. Quodsi dominus ipse in his exequendis negligens inuentus fuerit aut remissus, ad id exequendum, per loci Diœcesani Censuram Ecclesiasticam compellatur.

Quoniam in quibusdam locis, vt accepimus, in tantum excreuit temeritas & præsumptio laicorum, quod si quando authoritate ordinaria seu delegata, in terram, villam, aut Castrum interdictum generale ponatur, idem laici officium Sacerdotum, imò, quod tunc temporis Sacerdotibus est prohibitum, vsurpare conantes, vt Ecclesiasticam per hoc magis Censuram eludant, apud loca taliter interdicta sepelire præsumunt in Cimiterio corpora defunctorum. Licèt autem contra præsumptores huiusmodi iuri communi sit prouisum, quia tamen per illos contra quos interdictum ponitur, antequam satisfaciant, frequenter in pactum deducitur, vt exhumationis pœna ab Ordinario suo delegato ante omnia simpliciter remittatur: ne fortè huiusmodi delinquentium temeritas hac occasione impunita remaneat, & per hoc cæteris detur audacia similia præsumendi, sacri approbatione Concilii huius statuimus & mandamus, vt quicunq; inantea intra Cimiterium loci interdicti aliquod corpus seu corpora defunctorũ scienter sepelire præsumpserint, excommunicationis

nicationis sententiam incurrant ipso facto, à qua non nisi per solum Metropolitanum vel Diœcesanum, aut cui super hoc suas commiserint authoritates, absoluantur. Metropolitanus verò vel eius Diœcesanus, aut eorum in hac parte Vicarius, nequaquam ad impendendum talibus beneficium absolutionis procedat, nisi prius sepultis taliter corporibus exhumatis, & locis reconciliatis, & Ecclesiæ, ac personis, quibus ex hoc iniuria dignoscitur irrogata, satisfactum fuerit competenter. Et statim cùm in Ecclesiis Parochialibus, vel in aliis, prout iura permittunt denũciati fuerint nominati, mox ab omnibus, tam exemptis quàm non exemptis debent euitari, nec extunc aliquis, qui hoc scire tenetur, credat se per ignorantiam excusari, cùm talis denunciatio publica, neq; possit neq; debeat singulorum auribus inculcari.

Idem. In Synodo Petricouiesi prima. Ex nouis.

EXcommunicatos, & aliis Censuris innodatos, non nisi citata parte absoluendos esse decernimus. Censura verò, quæ contra participantes appellatur, nisi contra nominatim expressos, nequaquam est fulminanda.

In eadem quarta.

IVri communi, pro rudium & simplicium informatione inhærentes, statuimus, & declaramus, iniectionem manuum in Clericum, qualicunq; modo sit violenta, & iniuriosa, etiamsi pede non manu fiat, aut sputo, vel liquoris violenta effusione, efficere, vt iniector in excommunicationem Canonis, Si quis suadente, latam incidat ipso facto. Qui tamen euitari non debet, nisi per sententiam Iudicis Ecclesiastici declaretur.

Forma literarum significatoriarum Domini Archiepiscopi ad Capitaneos, contra Nobiles insordescentes, datæ per Regiam Maiestatem ex Decreto Conuentionis generalis.

IOannes Dei gratia sanctæ Ecclesiæ Gnesnensis Archiepiscopus, Primas, Legatusq; natus. Magnifico domino, Christofero de Schydlowiec Castellano Sandomirienſi, Regni Poloniæ Vicecancellario, & Capitaneo Siradiensi, amico charissimo: In absentia Vicecapitaneo Siradiensi. Magnifice domine amice charissime. Innotescimus Magnificentiæ vestræ, sacram Maiestatem Regiam, & dominum nostrum, dominum gratiosissimum nobis commisisse, vt locorum Capitaneis significaremus, deferremusq; excommunicatos, vigore Statuti puniendos. Itaq; inprimis Maiestatis eiusdem Regiæ literas vestræ Magnificentiæ sic perscribimus.

Sigismundus Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus dux &c. Vniuersis & singulis terrarum & districtuum Regni nostri Capitaneis, Vicecapitaneisq; eorum, vbilibet constitutis, ad quos præsentes peruenerint, syncerè & fidelibus dilectis gratiam nostram. Magnifici, generosi, & nobiles, syncerè & fideles dilecti. Quamuis Statutorum vigore, per fœlicis memoriæ prædecessores nostros, ad excommunicatos Regnicolas, antiquitus recenterq; editorum, locorum Capitanei excommunicatos eosdem Regni nostri incolas, qui censuras Ecclesiasticas pertinaciter sustinent, nostra, & Capitaneatuũ authoritatibus compellere debeant ad absolutiones obtinendas: tamen quia intelleximus ex nemo in Christo patre domino Ioanne Archiepiscopo Gnesnensi, Primate, syncerè nobis dilecto, quòd vos locorum Capitanei consueueritis cognitionem

160

gnitionem & examen quoddam præmittere de efficacia excommunicationum ipsarum, & tandem statutum exequi, aut differentes non exequi. Propter quod nos effectui statutorum eorundem satisfacere cupientes, mandamus vobis, vt dum per ipsum dominum Archiepiscopum, & successores suos, literis significatorialibus Archiepiscopalibus vobis intimatum fuerit, vt tales cuiuscunq; eminentiæ aut conditionis fuerint, excommunicatos, Censuras Ecclesiasticas contumaciter, pertinaciterq; vltra anni vnius, & sex septimanarum decursum sustinentes, vos & quilibet vestrum, visis eisdem prædictis Archiepiscopalibus literis significatorialibus quemlibet talem excommunicatum, vobis pro excommunicato, pertinaci, contumaci, & scandaloso delatum, non præmissa solennitate, seu examine super censuris, & eorum Processibus, sed visis tantummodò significatorialibus prædictis Archiepiscopalibus literis, partibus tantummodò vocatis vt se procurent absolui, requisitis: & si illud facere distulerint, iuxta statutorum dispositiones compellatis ad absolutionem obtineñ, Statutorum vigorem omnia in eisdem Statutis contenta exequuturi, absq; dilationibus & fauore: aliterq; facere non ausuri pro gratia, ac sub pœnis contra se in Statutorum Capitulis comminatis. Harum quibus sigillum nostrum præsentibus est appensum testimonio literarum. Datum in Radom feria quarta, ante Festum Simonis & Iudæ Apostolorum. Anno Domini, Millesimo quingentesimo vndecimo. Regni nostri anno quinto. Relatio ℞mi patris domini Matthiæ Episcopi Przemisslienſis, & Regni Poloniæ Cancellarii. Itaq; nos Ioannes Archiepiscopus, vestræ Magnificentiæ deferimus Nobilem N. &c. terrigenam Capitaneatus Siradiensis. Quia cognouimus ex processibus literarum, contra eum successiuè emanatarum, quòd ipse N. à pluribus annis censuras Ecclesiasticas contumaciter pertinaciterq; sustinet, nullam pro absolutione obtinenda diligentiam faciendo.

Quapro-

Quapropter præinſertarum literarũ Maieſtatis Regiæ vigore Magnificentiam veſtram hortamur in Domino, vt eundem N. compellat Statuti & prædictarum literarum vigore, vt ſe à ſententiis excommunicationum abſolui procuret, ad gremiumq; & communionem ſanctæ matris Eccleſiæ redeat, & alios Chriſtifideles ſua contumacia & temeritate non deprauet. Credimus autem veſtram Magnificentiam decreto literarum Maieſtatis Regiæ atq; Statuti ſatisfacturam. Quã benè valere cupimus. Datum &c.

Tenor verò Statuti Regni, de quo in præfatis literis fit mentio, eſt talis.

In nomine Domini Amen. Nos Kazimirus Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ &c. Ad perpetuam rei memoriam. Significamus per præſentes &c. Etſi Regni noſtri ſubditis, Clementiæ noſtræ, & Regalis prouiſionis in augendis commodis, ac iuribus, immunitatibus, ac libertatibus conſeruandis ſinum extendimus, quantò magis Eccleſiis, vnde laus, & honor altiſsimo Ieſu Chriſto omnium creatori, ſalusq; prouenit animarum: necnon perſonis & membris Eccleſiaſticis id facere & impendere conuenit. Proinde fœlicis memoriæ, Sereniſsimus Princeps dominus Wladiſlaus Rex Poloniæ &c. progenitor noſter chariſsimus, & prędeceſſor, iniquitati hominum occurrendo, & Eccleſiaſticæ libertati eiusq; membris & perſonis Eccleſiaſticis, & ſecularibus, paci & indemnitati ſui regiminis, conſultiùs prouidendo, ſuas certas & patentes literas, Statutumq; fecit & cõdidit, huiuſmodi ſub tenore.

In nomine Domini Amen. Wladiſlaus Dei gratia Rex Poloniæ, necnon terrarum Cracouiæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Cuiauiæ, Lanciciæ, Lithuaniæq; Princeps ſupremus, Pomeraniæ, Ruſsiæq; dominus & hæres. Ad perpetuam rei memoriam.

moriam. Etsi subditorum nostrorum secularium commodis, de benignitate Regia libertati intendimus, iuraq; & libertates ipsorum, contra detestandam malignorum prauitatem ditionis nostræ præsidiò confouemus, multò magis tamen Regis pacifici dominatoris vniuersorum exemplo, per quem Reges regnant, & Principes dominantur, Ecclesiam suam sanctam, & personas Spirituales & seculares sibi subiectas, in iuribus, & libertatibus, ac statutis à sanctis Patribus editis conseruare & tueri conuenit, & ipsas ab omni impressionum incursu præseruare. Noscat igitur tam præsens ætas, quàm posteritas futurorum, quod quanquam sacris Canonibus salubriter sancitum & lege humana vtiliter sit prouisum, quòd quicunq; Princeps seu Capitaneus, Baro, aut Nobilis, miles, aut vasallus, & generaliter quæuis alia persona Spiritualis aut secularis, cuiuscunq; status, dignitatis, gradus, & conditionis existat, decimas, quas sibi Deus in signum vniuersalis dominii, pro alimento seruientium reddi censuit: necnon domos, tributa, castra, villas, munitiones, possessiones, & quæuis bona, ac alias res mobiles, & immobiles, ad Ecclesias & pia opera, ac religiosa loca, personasq; Ecclesiasticas spectantes, ac etiam pauperum hominum, in ipsorum bonis degentium, rapuerit, inuaserit, occupauerit, aut illicitè detinuerit, exactionauerit, talias seu collectas imposuerit, seu iniustè impignorauerit, aut occasione pignoris aliquid extorserit, vel quouis quæsito colore grauauerit, vel rapi, inuadi, occupari, detineri, impignorari, seu exactionari mandauerit, ordinauerit, seu ratum habuerit, aut raptorem, inuasorem, occupatorem, & detentorem illicitum, cum re rapta, inuasa, occupata, & detenta conseruauerit, seu in defensionem susceperit, aut in bonis eiusdem notorium damnum, vel manifestam offensam intulerit: nisi omnia & singula, capta, inuasa, occupata, seu pignorata restituerit: necnon de iniuriis, & damnis illatis, ac manifesta offensa, con-

dignam emendam & satisfactionem impenderit, cum ipsorum complicibus, pœnis & Censuris Ecclesiasticis debent subiacere.

Tamen quia nonnullarum personarum secularium Regni nostri adeò irrepsit & inoleuit iniquitas: quòd pœnas & Censuras in & contra tales, tam à Canone, quàm ab homine promulgatas in sensum dati reprobum vltra annum animo indurato, in contemptum clauium sanctæ matris Ecclesiæ, animarumq; suarum periculum, statutorumq; prædictorum vilipendium, & scandalum Christifidelium plurimorum sustinere non reformidant, propter quorum culpam diuinæ vltionis gladius sæpiùs perimit innocentes, inde etiam pullulant hæreses, variaq; insurgunt animarum pericula.

Nos igitur Wladislaus, qui intensis desideriis, prædecessorum nostrorum exemplo, tanquam tutor & conseruator, iurium, libertatum, & Priuilegiorũ in Ecclesia, personarumq; sibi subiectarum propagationem libertatis Ecclesiasticæ, ex debito affectamus, ad exequutionem debitam statutorum huiusmodi procedere cupientes, cùm frustra conderentur leges, nisi exequutioni debitæ demandarentur.

Ex quo etiam quos timor Dei, & mucro Spiritualis à malo non reuocat, pœna temporalis debet còercere, præsenti nostro Regio decreto, de consilio & vnanimi Prælatorum & Baronum nostrorum voto, scientia, & assensu, volumus, decernimus, & firmissimè, ac irrefragabiliter perpetuò obseruari pollicemur, statuimusq; & ordinamus per præsentes, vt dum aliquis indigena Regni nostri, cuiuscunq; status, & conditionis existat, propter raptum Decimarum, vel aliarum rerum Ecclesiasticarum occupationem, aut ratione excessuum quorumcunq;, siue etiam in contumaciam de non parendo iuri, & mandatis sanctæ Ecclesiæ, sententia excommunicationis iustè fuerit innodatus, ipsamq; vltra annum legalem pertinaciter sustinuerit, nec curauerit ad gremium sanctę

matris

matris Ecclesiæ redire, & pro excessu debitam emendam exhibere: Extunc anno huiusmodi elapso, omnia bona eiusdem excommunicati, mobilia, & immobilia, quæ tunc possederit, debent recipi per locorum Capitaneos, quibus subiacent, & apprehendi, tenenda & possidenda, tamdiù per Capitaneos huiusmodi, quousq; per eosdem excommunicatos vel Capitaneos memoratos, de huiusmodi bonis, damna, vel valor rei, ipsis læsis, vel iniuriam passis plenariè exoluantur. Quibus solutis, bona prælibata præfatis excommunicatis, non nisi absoluti s, decernimus viceuersa restituenda, per Capitaneos prænotatos. Mandamus igitur omnibus & singulis Regni nostri Capitaneis, & vicesgerentibus eorundem, quatenus ad compescendũ talium excommunicatorum pertinaciam, duriciam, & temeritatem, præmissa nostra saluberrima decreta exequutioni debitæ debeant demandari, perpetuè & in æuum, totiens, quotiens per Prælatos, aliasq; personas, tam Ecclesiasticas quàm seculares, super hoc fuerint requisiti & moniti. Quodsi præfati Capitanei, Tenutariiq; nostri, aut loca teneñ eorundem pro tempore existeñ, in exequutione præmissorum tardi fuerint, vel negligentes: extunc ipsos omnes, pro huiusmodi negligentia per Lociordinarios iaculo anathematis indulgemus feriendos, harũ quibus sigillum nostrũ est appensum testimonio literarum. Actum Cracouiæ Sabbato proximo ante festũ Purificationis Mariæ virginis. Anno Domini, Millesimo, quadringentesimo, tricesimo tercio. Præsentibus Reuereñ in Christo Patribus dominis, Zbigneo Cracouiensi, & Ioanne Chelmeñ Episcopis. Necnon Magnificis & Nobilibus, Nicolao de Michalow, Castellano Cracouiense, Petro de Pieskowa Skala Palatino Cracouieñ, Ioanne Glowacz de Olesnica Marschalco Regni Poloniæ, & Ioanne de Koniecpole, ac aliis quamplurimis militibus nostris dilectis. Datum per manus Venerabilis Stanislai de Oporow, Decretorum Doctoris, Decani Craco-

ni Cracouiensis, sedis Apostolicæ Protonotarii, Regni nostri prædicti Vicecancellarii, nobis syncerè dilecti. Ad relationem Magnifici Ioannis de Koniecpole.

Nos itaq; vestigia progenitoris, & prædecessoris nostri prælibati charissimi, toto mentis nostræ conatu, insequi & amplecti satageñ, literas huiusmodi statutum laudabile in se continen, cum eorum toto tenore, de consensu & voluntate Prælatorum, Baronum, ac Consiliariorum Regni nostri approbamus, innouamus, ratificamus, & confirmamus, tenore præsentium mediante. Quocirca omnibus & singulis, præsentibus & futuris Regni nostri Capitaneis, tenutariis, & eorum vicesgerentibus mandamus: quatenus prædictas nostri progenitoris statuti literas, in omnibus clausulis, punctis & conditionibus teneant, & ad vnguem perpetuò & inuiolabiliter obseruent: aliosq; in suis Capitaneatibus, tenutis & districtibus ipsis quomodolibet subiectos, & suppositos, cuiuscunq; præeminentiæ, gradus, aut conditionis existant, arceant & compellant, iuxta vim & formam prædictarum progenitoris nostri literarum, quotiens, tam per Prælatos, quàm alias personas Ecclesiasticas & seculares, fuerint super hoc requisiti & postulati. Quodsi ipsi Capitanei & tenutarii, seu ipsorum loca tenentes, pro tempore existentes, in præmissorum exequutione se remissos & negligentes aut aliâs quomodocunq; difficiles reddiderint, extunc ipsos & eorum quemlibet, propter huiusmodi iniuriam, & contemptum mãdatorum nostrorũ, excommunicationum sententiis, & Censuris Ecclesiasticis, in eos per Locorumordinarios, eorumq; Vicarios, & Officiales generales fulminandis, & promulgandis, subdimus & subiicimus, ac perpetuo subiacere decernimus, & obligamus tamdiu procedendum: quousq; ad ipsarum exequutionem literarum curauerint procedere cum effectu. Harum quibus sigillum nostrum est appensum testimonio literarum. Actum in Conuentione generali Petricouiẽ

couieñ pro feſto Sancti Adalberti celebrata, feria quarta poſt feſtum Sancti Georgii proxima, xxvi Menſis Aprilis. Anno Domini, Milleſimo, quadringenteſimo, quinquageſimo octauo. Præſentibus ibidem ꝛmo Reuerendiſq; in Chriſto patribus dominis, Ioanne ſanctæ Gneſnenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo & Primate, Thoma Cracouieñ, Ioanne Wladiſlauieñ, & Regni Poloniæ Cancellario, ac Andrea Poſnanieñ, Eccleſiarum Epiſcopis, Venerabiliq; Ioanne Luthkonis de Brzezie, vtriuſq; iuris Doctore Archidiacono Gneſneñ, & Regni Poloniæ Vicecancellario. Necnon Magnificis Generoſis, Nobilibus, & Strenuis, Ioanne de Czyzow Caſtellano, Ioanne de Thenczyn Palatino Cracouieñ, Luca de Gorka Poſnanieñ, Staniſlao de Oſtrorog Calliſsieñ, Derſlao de Rythwiany Sandomirieñ, Petro de Oporow Lancicieñ, Nicolao de Koſcielec Brzeſteñ Palatinis. Andrea Odrowaz de Sprowa Palatino, & Capitaneo Leopolieñ, Ioanne de Pilcza, Hincza de Rogow Siradieñ, & Regni Poloniæ Vicethesaurario, Petro de Thurow Sandomirieñ, Petro de Strikow Wladiſlauieñ, Staniſlao de Schidlowiec Zarnouieñ, Caſtellanis: Creſlao Woyſzyk de Woicza Cracouieñ, Sandiuogio de Laczenice Sandomirieñ, Ioanne Kuropatwa de Lacuchow Lublineñ, Succamerariis: Nicolao de Brzezie Regni Polonię Marſchalco: Ioanne Kraska de Lubnicza Calliſsieñ, Ioanne de Sczekoczin Dapifero Sandomirieñ: Nicolao Lublineñ, Nicolao Pieniazek de Vithouice Cracouieñ Capitaneo: Ioanne de Mielſtin, Ioanne de Tharnow, Iacobo de Dabno Pincerna: Nicolao de Chrzaſtow Tribuno Cracouieñ: ac Venerabilibus Iacobo de Sienno Gneſneñ ac Cracouieñ, Iacobo Loth de Dabno Decano Cracouieñ, Ioanne Pniow Decretorum Doctore Archidiacono, Ioanne Voiſzyk de Woicza Cuſtode Cracouieñ, Petro Spinek de Bathkow Gneſneñ & Cracouieñ Canonico, & aliis quàmpluribus fide dignis circa præmiſſa. Datum per manus præfatorum, Reuerendi

uerendi patris domini Ioannis Episcopi Wladislauiensis, & Cancellarii: ac Venerabilis Ioannis Luthkonis de Brzezie Iuris vtriusq; Doctoris Archidiaconi Gnesneñ & Vicecancellarii Regni Poloniæ, syncerè nobis dilectorum. Ad relationem præfati Venerabilis Luthkonis de Brzezie, vtriusq; iuris Doctoris Archidiaconi Gnesnensis Vicecancellarii.

Ioannis Laski. Petricouiæ, 1530.

QVanto odio, quantaq; execratione excommunicationes iura diuina atq; Pontificia persequantur, quamq; excõmunicati defugiendi sint, vel nemo est sanæ mentis qui nesciat. Et quoniam pleriq; ea mala contagione non ponderata, cum excommunicatis conuersari non verentur, quod plerũq; etiam maioribus vsu venit. Quo fit, vt & excommunicati, nullo eius mali fastidio pertesi, eam excommunicationem, quæ alioqui vili facienda non est, contemnant absoluiq; se nõ procurant, & cæteri hoc exemplo ea non admodum exhorrescant. Quam consuetudinem (quæ his Lutheranæ insaniæ temporibus, eo periculosiùs inoleuit, quo multorum insolentes animi ad illam pestem contingeñ sint promptiores) tollere pœnitus cupientes, eius Synodi authoritate decernimus excommunicatos in omnibus actionibus, maximè cibo & potu, arctiùs esse ab omnibus Christifidelibus, præsertim verò à Prælatis, deuitandos.

Petri Gamrati. Petricouiæ, 1542. die Martis. 17 mensis Octobris celebrat.

ET quia ex contemptu Censurarum hæreses, vt plurimùm etiam suboriri consueuerunt. Capitanei verò locorum, licet ægrè & negligenter contra Nobiles Censuras vltra annum

tra annum legalem sustinentes (iuxta statuta Diuorum, Wladislai & Cazimiri Poloniæ Regum) exequutionem faciunt. Tamen contra Ciues & Plebeios, illam facere minimè volunt, quamuis statutis prædictis indistinctè cautum sit, quòd eandem exequutionem, contra cuiuscunq; status, & conditionis homines facere teneantur, quod etiam Statutis Prouincialibus ante cautũ est, vt contra dominos subditos suos insordescentes ad purgandũ Censuras cogere nolentes, secundum eiusdem Statuti Regni, & Statuti Prouincialis dispositionem procedatur. Agendũ tamen erit apud sacram Maiestatem Regiã in Comitiis Regni proximè futuris, vt sacra Maiestas Regia, & eius Maiestatis Capitanei, ceteriq; Officiales exequãtur, si dominus per excõmunicatorem requisitus subditum suum insordescentem cogere noluerit ad purgandum Censuras, quod lapso mense post requisitionem Capitaneus loci contra dominum insordescentem Statutum Regni extendat, tanquam ipse solus insordesceret, vt statutum prædictum, quod indistinctè omnes afficit, in omnibus exequatur. Debent tamen ℞mi domini Archiepiscopus, & Episcopi Officiales suos còercere, ne quauis facili causa ad fulminationem Censurarum, præsertim interdicti, procedant.

Ex eisdem Statutis.

QVoniam Capitanei locorum, magnam committunt negligentiam, in exequendo Statuto Regni, contra sustinentes Censuras Ecclesiasticas vltra annum, edito. Statuit hæc sancta Synodus, vt ℞mus dominus Archiepiscopus, & Episcopi, ac eorum in Spiritualibus Vicarii & Officiales, Censuras & pœnas contra tales negligeñ Capitaneos sancitas extendant, & ad faciendam exequutionem illos compellant. Quod vbi ℞mi domini Archiepiscopus & Episcopi facere neglexerint, pœna quingentorum florenorum mul-

ctentur.

ctentur. Roganda præterea est per Nuncios Synodales Regia Maiestas, quòd huiusmodi Statuta contra insordescentes, manu tenere, atq; etiam illa contra plebeios insordescentes extendi, mandare dignetur. Et vt in Capitaneos negligentes pœnam statutam vltra præmissa extendere non obmittat.

Petri Gamrati. Petricouiæ, Anno 1544.

CVM rem pernicioſam Eccleſiis Dei, & toto ordini Eccleſiaſtico fore conſiderent, nemi domini Archiepiſcopus & Epiſcopi, quòd pleriq; nobilium, & aliæ vtriuſq; ſexus perſonæ, Cenſuras Eccleſiaſticas temerè animo indurato ſuſtinent, vnde contemptus, & ex contemptu hæreſes, & alia id genus vitia & ſcandala naſcuntur. Decreuit hæc ſacroſancta Synodus in Domino congregata, vt diligentiùs contra tales contemptores, & in Cenſuris inſordeſcentes, contra omnes indifferenter Statutum Regni & Conſtitutiones Synodales exequerentur: & in euentum, in quem officium Capitaneale Statutum huiuſmodi, contra Nobilium ſubditos, & alios quoſcunq; ordines & ſtatus exequi recuſarent, contra ipſoſmet Statutum Prouinciale extendatur: ac procedatur, prout in eodem Statuto Prouinciali continetur. Etenim Clerus Regni Poloniæ vniuerſus queritur de magno grauamine, quo afficitur à Capitaneis Regni & eorum Vicecapitaneis, qui non exequuntur dictum Statutum contra excommunicatos editum, ſed & volunt ſe ponere iudices ſuper Cenſurarum validitate, prætextu illius particulæ, iuſtè excommunicatum, aliâs iubent coram ſe controuerſiam fieri: Et quoniam Capitanei locorum habent ſuos articulos quatuor, Statuto Regni præſcriptos, de quibus iudicant, ne quæ à Iudice Eccleſiaſtico ſit ad eos appellatio, atq; conſtituere ſe iudices Eccleſiaſticarum cauſarum non poſſunt. Rogat propterea Clerus vniuerſus, vt ab hac difficultate iniqua ſit

qua sit solutus, Capitaneiq; obmissis his, quæ ad eos non pertinent, exequutionem statuti, cuius solius causa ad eos cum literis significatorialibus Ordinariorum & Censuris venitur, faciant. Et si noluerint, ꝑmi domini Locorumordinarii Censura Ecclesiastica, monitione præmissa, eos afficiant. Roganda'q; est Regia Maiestas, vt iuxta contenta istius articuli literas suas ad Capitaneos dari faciat, seuerèq; eis mandet, vt nulla disputatione, seu cognitione præmissa, de Censurarum validitate, neq; etiam facto Processu Iudiciario, sed mox visis literis significatorialibus Ordinariorum prædictorum, ad exequutionem statuti, contra excommunicatos procedant, illudq; exequantur. ꝑmiq; Ordinarii literas mandati à Sacra Regia Maiestate, ad instar illarum quas ꝑmus dominus Archiepiscopus modernus Gnesneñ expedire curauit, similiter expediant, quæ præsentibus statutis inserantur.

De eadem.

STatuto est cautum Regni, vt excommunicati non habeant loca in Iudiciis secularibus, neq; ad dicenda testimonia sint habiles, id quod Iudicibus quoq; Ecclesiasticis, per hãc Synodũ proponitur, & iniungitur diligenter esse obseruandũ.

In Synodo Petricouiensi. Nicolai Dzierzgouii.

ITem, vt Statutum contra insordescentes, per locorum Capitaneos exequatur, apud Maiestatem Regiam, ꝑmi domini Archiepiscopus & Episcopi efficiant, & ne Capitanei ipsi deferant appellationibus, quæ temerè ab exequutione statuti, per excommunicatos fiunt, prouideant.

De eadem.

ITem, vt excommunicati in iudiciis ad agendum non admittantur,

mittantur, neq; ad mensas & consilia Principum recipiantur, & maximè Episcoporum.

De eadem. Ioannis Przerembii. Varssouiæ, 1561. Die Martis quarta Martii.

OBviando scandalis, quæ ex crebra & indiscreta fulminatione Interdictorum Ecclesiasticorum, propter leues causas, quæ à Iudicibus Ordinariis & foraneis promulgantur, decreuit hæc sancta Synodus, vt deinceps nemo Officialium, præter solos ꝑmos dominos Lociordinarios fulminare Interdictum Ecclesiasticum audeat. Quodsi verò Episcopum aliquem abesse ab Episcopatu suo contigerit specialiter, eam facultatem fulminandorum Interdictorum Vicario suo in Spiritualibus absens dominus Ordinarius committat, ꝑmi verò domini Censuram ac moderationem adhibebunt, in quibus causis illud fulminari, & promulgari fuerit necesse, iuxta iuris cõmunis & statutorum Synodaliũ dispositionem.

De verborum significatione. Ex Antiquis.

INtelligentia verborum ex causis dicendi assumenda est, vt verba intentioni deseruiant: ea tamen quæ sunt in voce earum, quæ in anima passionum notæ fiunt, in omni sermone ad communem verbi intelligentiam recurrendum est.

De regulis Iuris. Ex Antiquis.

SAnctorum patrum regulis & statutis, quilibet Christianus regatur in vita, verbis, & factis, vt sciat & faciat quod acceptum est Deo.

De libertate

De libertate Clericorum contra iniuriantes. In Synodo Petricouiensi prima. Ex nouis.

CLerici pro suis iniuriis & debitis, iudices quos volunt seculares aut Spirituales, pro iustitia consequenda, adire habent liberam optionem & facultatem.

DOCTRINA DE SACRAMENTO Matrimonii, in Tridentino Concilio

Sess: xxiiij. ex multis & diuersis Patrum voluminibus in compendium breue collecta: cura animarum oneratis diligenter obseruanda.

Matrimonium Sacramentum magnum, tantùm inter duos esse debet.

MAtrimonii perpetuum, indissolubilemq; nexum primus humani generis parens diuini Spiritus instinctu pronunciauit, cùm dixit: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Hoc autem vinculo duos tantummodò copulari, & coniungi, Christus Dominus apertiùs docuit, cùm postrema illa verba, tanquam à Deo prolata, referens dixit: Itaq; iam non sunt duo, sed vna caro: statimq; eiusdem nexus firmitatem, ab Adamo tanto ante pronunciatam, his verbis confirmauit: Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.

Matrimonio gratiam Christus promeruit.

GRatiam verò, quæ naturalem illum amorem perficeret,

& indissolubilem vnitatem confirmaret, coniugeśq; sanctificaret, ipse Christus, venerabilium Sacramentorum institutor, atq; perfector, sua nobis passione promeruit. quod Paulus Apostolus innuit, dicens: Viri diligite vxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea: mox subiungens: Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.

Matrimonium legis Euangelicæ præstat gratia veteribus connubiis.

CVM igitur Matrimonium in lege Euangelica veteribus connubiis per Christum gratia præstet, meritò inter nouæ legis Sacramenta annumerandum, sancti Patres nostri, Concilia, & vniuersalis Ecclesiæ traditio semper docuerunt: aduersus quam impii homines huius seculi insanientes, non solum perperam de hoc venerabili Sacramento senserunt, sed de more suo prætextu Euangelii libertatem carnis introducentes, multa ab Ecclesiæ Catholicæ sensu, & ab Apostolorum temporibus probata consuetudine aliena, scripto, & verbo asseruerunt, non sine magna Christifidelium iactura: quorum temeritati sancta, & vniuersalis Synodus cupiens occurrere, insigniores prædictorum schismaticorum hæreses, & errores, ne plures ad se trahat pernicioſa eorum contagio, exterminandos duxit, hos in ipsos hæreticos, eoruḿq; errores decernens anathematismos.

Anathematismi, ad exterminandos errores circa Sacramentum Matrimonii.

CANON I.

SI quis dixerit, Matrimonium non esse verè, & propriè vnum ex septem legis Euangelicæ Sacramentis à Christo Domino

sto Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inuentum, neq; gratiam conferre, anathema sit.

CANON II.

Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere vxores, & hoc nulla lege diuina esse prohibitum, anathema sit.

CANON III.

Si quis dixerit, eos tantum consanguinitatis, & affinitatis gradus, qui Leuitico exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum, & dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere, vt plures impediant, & dirimant, anathema sit.

CANON IIII.

Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit.

CANON V.

Si quis dixerit, propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam à coniuge, disolui posse matrimonii vinculum, anathema sit.

CANON VI.

Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum, per solennem religionis professionem alterius coniugũ non dirimi, anathema sit.

CANON VII.

Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cùm docuit, & docet, iuxta Euangelicam, & Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius coniugum matrimonii vinculum non posse dissolui, & vtrumq;, vel etiam innocentem, qui causam adul-

terio non dedit, non posse, altero coniuge viuente, aliud matrimonium contrahere, mœchariq; eum, qui, dimissa adultera, aliam duxerit, & eam, quæ, dimisso adultero, alii nupserit, anathema sit.

CANON VIII.

Si quis dixerit, Ecclesiã errare, cùm ob multas causas separationem inter coniuges, quo ad thorum, seu quo ad cohabitationem, ad certum, incertumúe tempus fieri posse decernit, anathema sit.

CANON IX.

Si quis dixerit, Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares, castitatem solenniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumq; validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto, & oppositũ nil aliud esse, quàm damnare matrimonium, posseq; omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiam si eam nouerint, habere donum, anathema sit: cùm Deus id recté petentibus nõ deneget, nec patiatur nos supra id, quod possumus tentari.

CANON X.

Si quis dixerit, statum coniugalem anteponendum esse statui virginitatis, vel cælibatus, & non esse melius, ac beatius manere in virginitate, aut cælibatu, quàm iungi matrimonio, anathema sit.

CANON XI.

Si quis dixerit, prohibitionem solennitatis nuptiarum certis anni temporibus superstitionem esse tyrannicam, ab ethnicorum superstitione profectam, aut benedictiones, & alias cærimonias, quibus Ecclesia in illis vtitur, damnauerit, anathema sit.

CANON XII.

Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad Iudices Ecclesiasticos, anathema sit. DECRE-

DECRETVM DE REformatione Matrimonii.

Matrimonia clandestina semper Ecclesia detestata.

TAmetsi dubitandum non est, clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata, & vera esse matrimonia, quamdiù Ecclesia ea irrita non fecit, & proinde iure damnandi sint illi, vt eos sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera, ac rata esse negant, quique falso affirmant, matrimonia, à filiis familias sine consensu parentum contracta, irrita esse, & parentes ea rata, vel irrita facere posse: nihilominus sancta Dei Ecclesia ex iustissimis causis illa semper detestata est, atque prohibuit. verùm, cùm sancta Synodus animaduertat, prohibitiones illas propter hominum inobedientiam iam non prodesse, & grauia peccata perpendat, quæ ex eisdem clandestinis coniugiis ortum habent, præsertim verò eorum, qui in statu damnationis permanent, dum priore vxore, cum qua clam contraxerant, relicta, cum alia palam contrahunt, & cũ ea in perpetuo adulterio viuunt.

Matrimonia ritè & solenniter contrahendi modus.

CVI malo cùm ab Ecclesia, quę de occultis nõ iudicat, succurri non possit, nisi efficacius aliquod remediũ adhibeatur: Idcirco sacri Lateranensis Concilii, sub Innocentio iij. celebrati, vestigiis inhærendo præcipit, vt in posterum, antequàm matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festiuis in Ecclesia inter Missarum solennia publicè denuncietur, inter quos matrimonium sit contrahendum: quibus denunciationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur, vbi Parochus

Parochus, viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat, Ego vos in matrimoninm coniungo in nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti: vel aliis vtatur verbis, iuxta receptum vniuscuiusq; prouinciæ ritum. Quodsi aliquando probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiosè impediri posse, si tot præcesserint denunciationes, tunc vel vna tantum denunciatio fiat, vel saltem Parocho, & duobus, vel tribus testibus præsentibus matrimonium celebretur. Deinde ante illius consummationem denunciationes in Ecclesia fiant, vt si aliqua subsunt impedimenta, faciliùs detegantur: nisi Ordinarius ipse expedire iudicauerit, vt prædictæ denunciationes remittantur: quod illius prudentiæ, & iudicio sancta Synodus relinquit.

Matrimonia irrita cum pœna.

QVI aliter, quàm præsente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendũ omnino inhabiles reddit: & huiusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit, & annullat. Insuper Parochum, vel alium Sacerdotem, qui cum minore testium numero, & testes, qui sine Parocho, vel Sacerdote huiusmodi contractui interfuerint, necnon ipsos contrahentes grauiter arbitrio Ordinarii puniri præcipit.

Benedictio Coniugum à proprio Parocho fieri debet.

PRAEterea eadem sancta Synodus hortatur, vt Coniuges ante benedictionem Sacerdotalem, in templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent, statuitq; benedictionem à proprio Parocho fieri, neq; à quoquam, nisi ab ipso Parocho, vel ab Ordinario licentiam ad prædictam benedictionem

nedictionem faciendam alii Sacerdoti concedi posse: quacunq; consuetudine, etiam immemorabili, quæ potiùs corruptela dicenda est, vel priuilegio, non obstante. Quod si quis Parochus, vel alius Sacerdos, siue Regularis, siue Secularis sit, etiam si id sibi ex Priuilegio, vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius Parochiæ sponsos sine illorum Parochi licentia matrimonio coniungere, aut benedicere ausus fuerit, ipso iure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario eius Parochi, qui matrimonio interesse debeat, seu à quo benedictio suscipienda erat, absoluatur. Habeat Parochus librum, in quo coniugum, & testium nomina, diemq; & locum contracti matrimonii describat, quem diligenter apud se custodiat.

Præparatio ad contrahendum Matrimonium.

POstremo sancta Synodus coniuges hortatur, vt, antequam contrahant, vel saltem triduo ante matrimonii consummationem sua peccata diligenter confiteantur, & ad sanctissimum Eucharistæ Sacramentum piè accedant. Si quæ Prouinciæ aliis, vltra prædictas laudabilibus consuetudinibus, & cærimoniis hac in re vtuntur, eas omnino retineri sancta Synodus vehementer optat. Ne verò hæc tam salubria præcepta quemquam lateant, Ordinariis omnibus præcipit, vt, cùm primùm poterint, curent hoc decretum populo publicari, ac explicari in singulis suarum Diœcesum Parochialibus Ecclesiis, idq; in primo anno quàm sæpissimè fiat, deinde verò quoties expedire viderint. Decernit insuper vt huiusmodi decretum in vnaquaq; Parochia suum robur post triginta dies habere incipiat, à die primæ publicationis, in eadem Parochia factæ, numerandos.

De cognatione Spirituali.

DOcet experientia, propter multitudinem prohibitionum, multoties in casibus prohibitis ignoranter contrahi matrimonia: in quibus vel sine magno peccato perseueratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur. Volens itaq; sancta Synodus huic incommodo prouidere, & à cognationis Spiritualis impedimento incipiens, statuit vt vnus tantum siue vir, siue mulier, iuxta sacrorum Canonum instituta, vel ad summum vnus, & vna baptizatum de Baptismo suscipiant, inter quos, ac baptizatum ipsum, & illius patrem, & matrem, necnon inter baptizantem, & baptizatum, baptizatiq; patrem, ac matrem tantum Spiritualis cognatio contrahatur. Parochus, antequam ad Baptismum conferendum accedat, diligenter ab iis, ad quos spectabit scischitetur, quem vel quos elegerint, vt baptizatum de Sacro fonte suscipiant: & eum vel eos tantum ad illum suscipiendum admittat, & in libro eorum nomina describat, doceatq; eos quam cognationem contraxerint, ne ignorantia vlla excusari valeant. Quodsi alii, vltra designatos, baptizatum tetigerint, cognationem Spiritualem nullo pacto contrahãt: constitutionibus, in contrarium facientibus, non obstantibus. Si Parochi culpa, vel negligentia secus factum fuerit, arbitrio Ordinarii puniatur. Ea quoq; cognatio, quæ ex Confirmatione contrahitur, confirmantem, & confirmatum, illiusq; patrem, & matrem ac tenentem non egrediatur: omnibus inter alias personas huius Spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis.

Qui gradus prohibiti Matrimonia dirimunt.

IVstitiæ publicæ honestatis impedimentum, vbi sponsalia quacunq; ratione valida non erunt, sancta Synodus prorsus tollit: vbi autem valida fuerint, primum gradum non excedant:

cedant: quoniam in vlterioribus gradibus iam non potest huiusmodi prohibitio absq; dispendio obseruari.

Præterea sancta Synodus, eisdem & aliis grauissimis de causis adducta, impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, & matrimonium postea factum dirimit, ad eos tantum, qui in primo & secundo gradu coniunguntur, restringit. In vlterioribus verò gradibus statuit, huiusmodi affinitatem matrimonium postea contractum non dirimere.

Intra gradus prohibitos Matrimonia contrahentium pœnæ.

SI quis intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere præsumpserit, separetur, & spe dispensationis consequendæ careat, idq; in eo multò magis locum habeat, qui non tantum matrimonium contrahere, sed etiam cõsum mare ausus fuerit. Quodsi ignoranter id fecerit, siquidem solennitates requisitas in contrahendo matrimonio neglexerit, eisdem subiiciatur pœnis. non enim dignus est, qui Ecclesiæ benignitatem facilè experiatur, cuius salubria præcepta temerè contempsit. Si verò, solennitatibus adhibitis, impedimentum aliquod postea subesse cognoscatur, cuius ille probabilem ignorantiam habuit, tunc faciliùs cum eo & gratis dispensari poterit. In contrahendis matrimoniis vel nulla omnino detur dispensatio, vel raro: idq; ex causa, & gratis concedatur. In secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos principes, & ob publicam causam.

Inter raptorem & raptam quando fit Matrimonium.

DEcernit sancta Synodus, inter raptorem, & raptam, quandiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum

posse consistere matrimonium. Quodsi rapta à raptore separata, & in loco tuto, & libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor in vxorem habeat: & nihilominus raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium & fauorem præbentes, sint ipso iure excommunicati, ac perpetuò infames, omniumq; dignitatum incapaces: &, si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, siue eam vxorem duxerit, siue non duxerit, decenter arbitrio iudicis dotare.

Homines vagi non facilè ad Matrimonium admittantur.

MVlti sunt, qui vagantur, & incertas habent sedes, &, vt improbi sunt ingenii, prima vxore relicta, aliam & plerumq; plures, illa viuente, diuersis in locis ducunt. cui morbo cupiens sancta Synodus occurrere, omnes, ad quos spectat, paternè monet, ne hoc genus hominum vagantium ad matrimonium facilè recipiant: magistratus etiam seculares hortatur, vt eos seuerè cóèrceant: Parochis autem præcipit, ne illorum matrimoniis intersint, nisi priùs diligentem inquisitionem fecerint, &, re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.

Contra concubinarios pœnæ.

GRaue peccatum est, homines solutos concubinas habere: grauissimum verò, & in huius magni Sacramenti singularem contemptum admissum, vxoratos quoq; in hoc damnationis statu viuere, ac audere eas quandoq; domi, etiam cum vxoribus alere, & retinere. quare, vt huic tanto malo sancta Synodus opportunis remediis prouideat, statuit huiusmodi concubinarios, tam solutos quàm vxoratos, cuiuscunq; status, dignitatis, & conditionis existant, si, postquã ab Ordina-

ab Ordinario, etiam ex officio, ter admoniti ea de re fuerint, concubinas non eiecerint, seq; ab earum consuetudine non seiunxerint, excommunicatione feriendos esse: à qua non absoluantur, donec re ipsa admonitioni factæ paruerint. Quodsi in concubinatu per annum, censuris neglectis, permanserint, contra eos ab Ordinario seuerè pro qualitate criminis procedatur. Mulieres, siue coniugatæ, siue solutæ, quæ cũ adulteris, seu concubinariis publicè viuunt, si ter admonitæ non paruerint, ab Ordinariis locorum, nullo etiam requirente, ex officio grauiter pro modo culpæ puniantur, & extra Opidum, vel Diœcesim, si id eisdem Ordinariis videbitur, inuocato, si opus fuerit, brachio seculari, eiiciantur: aliis pœnis, contra adulteros, & concubinarios inflictis, in suo robore permanentibus.

Matrimonia libera esse debent.

ITA plerumq; temporalium Dominorum, ac Magistratuum mentis oculos terreni affectus, atq; cupiditates excœcant, vt viros, & mulieres, sub eorum iurisdictione degentes, maximè diuites, vel spem magnæ hæreditatis habentes, minis, & pœnis adigant cum iis matrimonium inuitos contrahere, quos ipsi Domini, vel Magistratus illis præscripserint. Quare cùm maximè nefarium sit, matrimonii libertatem violare, & ab eis iniurias nasci, à quibus iura expectantur, præcipit sancta Synodus omnibus, cuiuscunq; gradus, dignitatis, & conditionis existant, sub anathematis pœna, quam ipso facto incurrant, ne quouis modo directè, vel indirectè subditos suos, vel quoscunq; alios cogant, quo minus liberè matrimonia contrahant.

Duobus temporibus solennitas nuptiarum prohibetur.

AB Aduentu Domini nostri Iesu Christi vsq; in diem Epi-

phaniæ, & à feria quarta Cinerum vsq; in octauam Paschatis incluſiuè, antiquas ſolennium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus obſeruari ſancta Synodus præcipit: in aliis verò temporibus nuptias ſolenniter celebrari permittit: quas Epiſcopi, vt ea, qua decet, modeſtia, & honeſtate fiant, curabunt: ſancta enim res eſt matrimonium, & ſanctè tractandum.

CONSTITV-

CONSTITVTIONVM SYNODALIVM PROvinciæ Gnesnensis

LIBER QVINTVS.

COMPLECTENS

ACTA ET CONSTITVTIOnes Synodi Prouincialis Gnesnensis Prouinciæ, Anno Dñi, M. D. LXXVII. Die XIX. mensis Maii, Petricouiæ, habitæ & celebratæ.

IN Nomine Sanctissimæ & indiuiduæ Trinitatis. Synodus Prouinciæ Gnesnensis, Anno Domini, Millesimo, quingentesimo, septuagesimo septimo, Die decimanona mensis Maii, ritu solenni, inuocata Spiritus sancti gratia, & sacrosancto sacrificio Missæ, in Ecclesia Parochiali Petricouien, supplicationibus atq; Litaniis deuote peractis, ad laudem & gloriam eiusdem sanctissimæ Trinitatis, sanctæq; Catholicæ religionis incrementum, est habita. Præsidentibus ei Reuerendiss. in Christo Patribus, & Dominis, D. Vincentio Laureo Episcopo Montisregalis, Sanctiss. in Christo patris & Domini, D. Gregorii Diuina prouidentia Papæ xiij. sanctæq; sedis Apostolicæ ad Sereniss. Principem & Dominum D. Stephanum Regem Poloniæ eiusq; dominia Nuncio: & Iacobo Vchanski Dei Gratia Archiepiscopo Gnesnensi, Legato nato & Pri-

& Primate Regni Poloniæ. Idem Archiepiſcopus Gneſnenſis, de conſilio & aſſenſu Reuerendiſs: D D. Epiſcoporum comprouincialium ſuorum, nempè, D. Staniſlai Karnkovvski Wladiſlauieñ & Pomeraniæ: Petri Myſzkovvski Ploceñ, & nominati Cracouieñ: Lucæ Koſcielecki Poſnanieñ: Martini Bialobrzeski Abbatis claræ Tumbæ, nominati Cameneceñ: Ac Reuerendiſs. Dominorum, Ioanne Iarczevvski Decano Vilnenſi, Valeriani Vilneñ, & Thoma Choienski Vicedecano Luceorieñ, Victorini Virzbicki Luceorieñ, Epiſcoporum, legitimis ex cauſis abſentium, Nunciis admiſſis. Reuerendiſs. verò Dominis, Ioanne Sienienski Archiepiſcopo Leopolienſi. Martino Gerſtmano Wratiſlauieñ, & Melchiaro Gedroitz Mednicenſi, Epiſcopis, iuſtis ex cauſis abſentiam ſuam per literas excuſantibus. Necnon præſentibus Reuerendis D D. Martino Iſdbinski de Ruſiec, & Ioanne Kokalevvski, I. V. Doctoribus, Canonicis Gneſneñ. Staniſlao Kraſinski I. V. Doctore Archidiacono: & Alberto Nininski Canonico Cracouienſi. Ioanne Demetrio Solikovvski Scholaſtico, & Alberto Gadomski, I. V. Doctore, Pomeraniæ Archidiacono in Eccleſia Wladiſlauieñ. Hieronymo Povodovvski, & Iacobo Brzeznicki, I. V. Doctore, Canonicis Poſnanieñ. Paulo Glogovvski Decano, & Iacobo Gorski Canonico, Ploceñ, Iuris vtriuſq; Doctoribus. Ioanne Iarczevvski Decano Vilnenſi. Valentino Vrzedovv Archidiacono Premiſlieñ. Nicolao Kolaczkovvski Archidiacono Luceorienſi. Bartolomeo Vargocki Canonico Leopolienſi, Capitulorum ſuorum Nunciis. Et venerabilibus ac religioſis Dominis, Alexandro Milenski Tremeſnenſi: Ioanne Gniazdovvski Mogilnenſi: Staniſlao Faleczki Suleouienſi: Andrea Dzierzanovvski Vagrouecenſi: Matthæo Borzevvski Landenſi: Staniſlao Kietlinski Vitouienſi: Andrea Karuicki Vachocenſi: Andrea Bialobrzeski Andreouienſi: Paulo Makolin Plocenſi: Andrea Brzechvva

Tinecenſi

Tineceñ per nuncium: & Staniſlao Faleczki per nunciũ Ceruineñ, Abbatibus, ſuo & aliorum Abbatum legitimis de cauſis abſentium nominibus, ſtatuit & decreuit, vt infra.

PROFESSIO FIDEI.

CAPVT I.

AD teſtificandam vnitatem & conſtantiam ſacroſanctæ Catholicæ Eccleſiæ, quæ à Ieſu Chriſto Domino Deo & Saluatore noſtro ſuper beatum Petrum Apoſtolorũ Principem ab initio ædificata, & ad finem vſq; ſeculi perpetua ſũmorum Pontificum Romanorum ſucceſsione duratura eſt, omnes & ſinguli, qui ad Synodum conuenerunt, fidem ſuam, quæ vna eademq; eſt omnium verè in Chriſto credentium, ex formula per Pium quartum fœl: re: Pontificem Max. edita: adhibito iureiurando, libenter cupideq; profeſsi ſunt, in hanc videlicet formam.

Ego N. firma fide credo & profiteor, omnia & ſingula quę continentur in Symbolo fidei, quo ſancta Romana Eccleſia vtitur, videlicet: Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, viſibilium omnium & inuiſibilium. Et in vnum Dominũ Ieſum Chriſtum filium Dei Vnigenitum, & ex Patre natum ante omnia ſecula: Deum de Deo, lumen de lumine: Deum verum de Deo vero: genitum non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem, deſcendit de cœlis. Et incarnatus eſt de Spiritu ſancto ex Maria virgine, & homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus & ſepultus eſt. Et reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas. Et aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus eſt cum gloria iudicare viuos & mortuos, cuius Regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, & viuificantem, qui ex

Patre Filioq; procedit. Qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et vnam sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiã. Confiteor vnum Baptisma in remissionem peccatorum, & expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi seculi Amen. Apostolicas & Ecclesiasticas traditiones, aliasq; eiusdem Ecclesiæ obseruationes & constitutiones firmissimè admitto & amplector. Item, Sacram scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit & tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu & interpretatione Sacrarum scripturarum, admitto: nec eam vnquam, nisi iuxta vnanimem consensum Patrum accipiam & interpretabor. Profiteor quoq; septem esse verè & propriè Sacramenta nouæ legis à Iesu Christo Domino nostro instituta, atq; ad salutem humani generis, licèt non omnia singulis necessaria, scilicet: Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem, & Matrimonium: illaq; gratiam conferre. Et ex his, Baptismum, Confirmationem, & Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoq; & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in supradictorum omnium Sacramentorum sollenni administratione recipio & admitto. Omnia & singula, quæ de peccato originali, & de iustificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita & declarata fuerunt, amplector & recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium, & propiciatorium sacrificium pro viuis & defunctis: atq; in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse verè, realiter, & substantialiter corpus & sanguinem vnà cum anima & diuinitate Domini nostri Iesu Christi, fieriq; conuersionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantię vini in sanguinem, quam cõuersionem Catholica Ecclesia trasubstantiationem appellat. Fateor etiam, sub altera tantum specie, totum atq; integrum Christum verumq; Sacramentum sumi. Constanter teneo,

Purgato-

Purgatorium esse, animasq; ibi detentas fidelium suffragiis iuuari. Similiter & Sanctos vnà cum Christo regnantes venerandos atq; inuocandos esse, eosq; orationes Deo pro nobis offerre, atq; eorum reliquias esse venerandas. Firmissimè assero, imagines Christi, ac Deiparæ semper virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas & retinendas esse, atq; eis debitum honorem ac reuerentiam impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumq; vsum Christiano populo maximè salutatem esse affirmo. Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrem & magistram agnosco, Romanoq; Pontifici beati Petri Apostolorũ Principis successori, ac Iesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo ac iuro. Cætera item omnia à sacris Canonibus & Oecumenicis Cõciliis, ac prçcipuè à sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipio atq; profiteor. Simulq; contraria omnia, atq; Hæreses quascunq; ab Ecclesia damnatas, & reiectas, & anathematizatas, ego pariter damno, reiicio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo saluus esse potest, quam in præsenti spontè profiteor, & veraciter teneo, eandem integram & inuiolatam, vsq; ad extremum vitæ spiritum constantissimè, Deo adiuuante, retinere & confiteri, atq; à meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum ego idem N. spondeo, voueo ac iuro. Sic me Deus adiuuet & hæc Sancta Dei Euangelia.

De eiusdem Fidei vnitate tuenda.

ET quia huic professioni fidei, quam modò omnes fecerunt, nihil magis aduersatur, quã fœdus illud tempore interregni ante electionem Serenis. Regis Henrici in Conuocatione Varssouien conceptum: propterea ad exoneran-

das conſcientias,& puritatem fidei Chriſtianæ conſeruandã, apertè ſacra Synodus profitetur,fœdus illud, reclamantibus ordine Eccleſiaſtico & Catholicis: & contra piam ipſius Regis voluntatem, vt poſtea publicè & priuatim ſæpè declarauit, factum: quo permiſſa eſt in hoc Regno licentia credendi quid quiſq; velit, ſine vlla cuiuſq; officii cò'ercione: eſſe illicitum: cum morte & inferno, vt dicit Iſaias, percuſſum: contra diuinas leges, contra Canones ſacros, contra communes leges ſanctiſsimè inſtitutas, cõtra anterius totius Regni fœdus, & Regni Regumq; Poloniæ ſanctiſsimas & piiſſimas conſtitutiones (quæ dum obſeruatæ fuerunt,fides ſincera & inuiolata permanſit,at earum obſeruãtia remiſſa Hæreſes pullulârunt) contra rationem ipſius iuramenti, & in confuſionem Eccleſiæ Chriſtianæ, in peſsimum & perniciosum exemplum, in perniciem Eccleſiæ & fidelium, in finem fouendorum atq; augendorum diſsidiorũ blaſphemiarumq;, & ad ſcindendam pacem & vnitatem veræ fidei Catholicæ, & inconſutilis tunicæ, hoc eſt, Eccleſiæ Ieſu Chriſti, quæ vna ſola eſt: quam niſi quis inuiolabiliter ſeruauerit, ſaluus eſſe non poterit: contra ipſam poſtremò rationem, cùm nec ipſa rerum natura ferat duas de eadem re contrarias doctrinas veras eſſe. Ne tali permiſsione iurata & vſurpatione, veritas fidei Catholicæ quoquo modo in dubiũ vocari videatur, & eorum doctrinæ inter ſe alioqui pugnantes, quàm noſtra ſibi perpetuò conſtãs, veriores exiſtimẽtur. His & aliis cauſis, vti antea, nunquam ordo Eccleſiaſticus & Catholici conſenſerunt, quinimo omni loco & tempore tam in Gallia, quàm poſtea in coronatione Regis Henrici: itemq; poſt Sereniſs. Regis moderni fœliciter regnantis electionem, & in Andreouienſi Conuentu, & in coronatione repetendo & cõmemorando contradicebant, & ſolenniter proteſtabantur: ita & nunc eadem ſancta Synodus, approbando omnes eiuſmodi ſuperiores proteſtationes, decernit & ſtatuit, huiuſmodi fœdus

di fœdus & pactum esse contra Deum, pacíq; & vnitati fidei Christianæ contrarium & pernicioſum: de quo coram Deo & Angelis eius ſolenniter proteſtatur, contradicit, & anathematizat. Si quis autem cuiuſcunq; tandem ſtatus aut conditionis prædictum fœdus approbare, tueri, defendere, aut illi conſentire velit: hic authoritate huius ſanctæ Synodi officio & beneficio ſuſpenſus & priuatus eſſe decernitur, anathemáq; declaratur ac pronunciatur. Eadem quoq; ſancta Synodus quibus poteſt enixis precibus petit & efflagitat à Sereniſs. Rege, vt Maieſtas ſua, quemadmodum in fœlici coronatione ſanctè promiſit, ita & re ipſa præſtet, ac præſertim pro officio pii, & iuſti ac prudentis Principis prouideat, ne quid ex ea Confœderatione detrimenti Reſpub. Regni Poloniæ & religio Catholica capiat, ſed eam omnino aboleri curet, quandoquidem damna iſtius confœderationis iam manifeſtè appareant. Nam & Iudaiſmi, & Machometiſmi, & Atheiſmi impietas iam Regno huic impendere videtur.

Canones & Decreta ſacroſancti Concilii Tridentini recepta, & debitæ exequutioni demandari iuſſa.

CAPVT II.

CVM autem nihil, quod vel ad doctrinæ vtilitatem, vel ad vitæ morumq; reformationem, ipſiusq; religionis Catholicæ propagationem pertineat, ſacra Synodus ſalutarius, vtilius, & ad remedia præſentiũ malorum accommodatius, magisq; neceſſarium Canonibus atq; Decretis ſacroſancti Concilii Tridentini eſſe iampridem intelligeret: eaq; recipere & in exequutionem deducere cuperet: neq; tamen propter ſuperiorum temporũ iniquitatem, continuatasq; Prouinciæ iſtius perturbationes vſq; adhuc id facere potuiſſet:

nunc tandem aliquantò tranquillius atq; opportunius tempus nacta, eosdem Canones atq; Decreta sine vlla exceptione sanctè & reuerenter recepit & recipit: ac vt primo quoq; tempore per eos, ad quos id ex eorum præscripto pertinet, in tota hac Prouincia debitæ exequutioni demandentur, præcipit & decernit, sub pœnis in eisdem contentis.

Capita certa Concilii Tridentini, ex parte huius Prouinciæ, moderatione indigent. CAP: III.

QVoniam verò in eodem sacrosancto Concilio reperiuntur nonnulla, quæ huic Prouinciæ, partim propter ipsius conditionem à cæteris Prouinciis longè diuersam, partim propter temporum & rerum Ecclesiasticarum statum difficiliorem & iniquiorem, sine Ecclesiç incommodo & periculo accommodari, & in exequutionem deduci non possunt: exhibita sunt nomine totius Cleri istius Prouinciæ Reuerendiss: Domino sanctę Sedis Apostolicę Nuncio, certa capita ex decretis eiusdem Concilii desumpta, quæ moderatione & relaxatione aliqua indigeant. Supplicatumq; est præfati Cleri nomine Reuerendiss: etiam Dominis, Archiepiscopo, & Episcopis, qui huic Synodo interfuerunt, petitione sua ipsum Clerum adiuuantibus, quò Reuerendiss: D. Nuncius super ea moderatione apud S. D. N. authoritatem suam interponeret, deq; statu Prouinciæ istius suæ Sanctitati fidem plenioremfaceret. Quod sua Reuerendissima D. libenter se facturam recepit. Quodsi quid etiam deinceps in exequendis ipsius Concilii Decretis difficultatis, obscuritatis, maiorisue incõmodi aut detrimenti Ecclesiæ imminere animaduersum fuerit: sacra Synodus confisa de benignitate atq; indulgentia matris suæ sanctissimæ Sedis Apostolicæ, certissimum sibi in omnibus suis necessitatibus atq; difficultatibus in ea collocat ac pollicetur refugium.

Statu-

Statuta Prouincialia antiqua & recentiora in priſtino ſuo robore conſeruentur, & in vnum volumen redigantur.

CAPVT IIII.

EAdem ſacra Synodus ſtatuta & conſtitutiones Prouinciales tam antiquas quã nouas, atq; nouiſsimas, quæ ſint conſentaneæ, & nullo modo repugnent ſacroſancti Concilii Tridentini decretis, in priſtino ſuo robore conſeruat, ad easq; in vnũ volumen per Reuerendos olim Staniſlaum Dambrovvski, & Franciſcum Kraſinski, Iuris vtriuſq; Doctores tunc Canonicos Gneſneñ ex commiſsione Synodi Prouincialis Petricouieñ iam redactas, diligentius etiam inſpiciendas & recognoſcendas, deputauit Reuerendos dominos, Stanislaum Kraſinski Archidiaconũ, & Martinum Iſdbinski de Ruſiecz Scholaſticum, Craconieñ, I. V. Doctores. Quæ ſic reuiſa, à futura Synodo Prouinciali approbari debent.

Supplicationes cum Litaniis & Proceſsionibus certis temporibus peragantur.

CAPVT V.

POrrò cùm ſacra Synodus intelligat, ſtudia, conſilia, laboresq; & vigilias noſtras, contra tot & tanta mala & pericula, quæ cùm vniuerſam Eccleſiam Catholicam, tùm præcipuè Prouinciam hanc premunt & circumdant, ſi ope & præſidio Diuino deſtituantur, nihil valere: mandat & præcipit, vt per totam hanc Prouinciam in omnibus, tam ſecularium quàm regularium, Eccleſiis Supplicationes cum Litaniis & Proceſsionibus, more ſolito, qualibet ſecunda, quarta & ſexta feria, ex eo tempore ad vnius anni decurſum, pro ſacroſanctæ Eccleſiæ Catholicæ tranquillitate atq; incolumitate,

eorumq;

eorumq; à quibus oppugnatur, resipiscentia & conuersione, Regisq; & Regni istius incolumitate fiat, deuoteq; peragatur.

Synodi Prouinciales & Diœcesanæ, ac etiam visitationes suis temporibus peragantur. CAP: VI.

CElebratio Synodorum tam Prouincialium quàm Diœcesanarum quantoperè ad occurrendum malis Ecclesiæ Dei, præsertim tam difficilibus ipsius temporibus, vel ad retinendam Ecclesiasticam disciplinam sit necessaria, ex eorum tam diuturna intermissione præsens Synodus facilè perspexit. Itaq; decretum Concilii Tridentini, de iis in exequutionem deducendo, statuit, & decernit, vt quolibet triennio Synodos prouinciales post festum S. Bartolomæi Apostoli Reuerendiss. Dominus Archiepiscopus Gnesneñ per se: vel, si legitimè impeditus fuerit, per Episcopum comprouincialem antiquiorem celebret. Quod si facere neglexerit, vltra pœnas sacris Canonibus sancitas, ducentorum aureorum mulctæ Dominus Archiepiscopus succumbet, qui in vsum fabricæ Ecclesiæ Metropolitanæ conuerti debent, & nihilominus ab Episcopis sanctæ sedi Apostolicæ deferatur. Diœcesanæ quoq; à Reuerendiss. D. Episcopis quotannis, quo tempore illis commodius visum fuerit, sub eadem pœna in proxima Prouinciali Synodo luenda, & in vsũ Ecclesiæ suæ Cathedralis conuertenda celebrentur. Visitationes quoq; per eos, ad quos de iure pertinent, suis temporibus faciendæ sunt, iuxta sacrosancti Concilii Tridentini decretum.

Reuereñ D. Ordinarii, Vicarios & Officiales, & Cancellarios, viros doctos, & in iure versatos, ac Theologos habeant. CAP: VII.

AD exercendam iurisdictionem spiritualem Reuerendiss: Domini

Domini Ordinarii viros graues & iurisperitos, Vicarios atq; Officiales suos in locis antiquitus consuetis constituant. In Curiis etiam suis Cancellarios viros doctos & in iure versatos, tum etiam Theologos secundum statutorum præscriptum habeant. Si verò in eo negligentes esse perrexerint, arbitrio Synodi Prouincialis puniantur.

Iurisditio Spiritualis suscitetur, & delinquentes còèrceantur. CAP: VIII.

IVrisditio Spiritualis hactenus penè intermissa & neglecta suscitetur: delictaq; & crimina, quæ & grauitate & frequentia iram Diuinam prouocant, qualia sunt: vsuræ, adulteria, concubinatus, periuria, simoniæ, & cætera innumera scelera & flagitia, sacrorum Canonum pœnis còèrceantur. Quę propter diuturnam conniuentiam & negligentiam Prælatorum adeò iam in consuetudinem venerunt, vt vix pro peccatis habeantur.

Crapula & ebrietas vitanda. CAP: IX.

A Crapula & ebrietate omnes Clerici diligenter abstineant: vnde vinum sibi temperent, & se vino. Nec ad bibendum quispiam incitetur, cùm ebrietas & mentis inducat exitium, & libidinis prouocet incentiuum. Vnde illum abusum penitus decernimus abolendum: quo in quibusdam partibus ad potus æquales suo modo se obligant potatores: & ille iudicio talium plus laudatur, qui plures inebriat, & calices fœcundiores exhaurit. Si quis autem super his se culpabilem exhibuerit, nisi à Superiore commonitus satisfecerit, ab officio vel beneficio suspendatur.

Clerici habitum clericalem & tonsuram deferant. CAP: X.

CLerici omnes, præsertim verò beneficia Ecclesiastica obtinentes,

tinentes, habitum Clericalem & tonſuram deferant : alioquī Priuilegiis Clericalibus minimè gaudeāt, contra quoſuis Magiſtratus tam Spirituales quàm ſeculares. Et niſi habitum & tonſuram intra annum aſſumpſerint, ipſo facto beneficiis ſint priuati : aliâs iuxta decretum Concilii Tridentini.

In pœnis infligendis ordo à ſacroſancto Concilio Trident: præſcriptus obſeruetur. CAP: XI.

DEcreta Concilii Tridentini de corrigendis Clericorum exceſsibus in executionem deducendo, ſacra Synodus hortatur Reuerendiſs. Dominos Locorumordinarios, vt in pœnis infligendis ordinem à ſacroſancto Concilio præſcriptum obſeruent : à leuioribusq; remediis gradatim, iuris ordine ſeruato, ad grauiora & ſeueriora progrediantur: nec præcipitanter & de facto ad extrema percurrant. Si ſecus fecerint, quocunq; ex Clericis hoc nomine de ſe conquerente, in proxima Synodo Prouinciali cauſam dicere neceſſe habeant.

Subditi Eccleſiæ non grauandi: Oeconomi deputandi: Arces à præfectis quibus tradendæ. CAP: XII.

DElatum eſt etiam ad Synodum, ſubditos Spiritualium deteriore iam eſſe conditione quàm ſecularium, iamq; magnam partem villarum eſſe deſertam & deſolatam, propter graues & intolerabiles exactiones atq; onera, quæ per Prælatos vel eorum factores, & bonorum conductores, per nimiam habendi cupiditatem eis imponuntur. Itaq; Synodus ſtatuit, vt ſinguli Reuerendiſs. Domini Archiepiſcopi & Epiſcopi ad præſcriptum Eccleſiæ Metropolitanæ Gneſnen̄ habeant Oeconomos de medio Capituli aſſumptos, qui

quotannis

quotannis eorum possessiones visitent: damna & detrimenta, quæ bonis & subditis eorum quouis modo inferuntur, diligenter annotent, ipsisq; fideliter referant corrigenda & emendanda. Si autem in eo negligentes fuerint arbitrio Synodi Prouincialis puniantur. Fines etiam seu limites possessionum Ecclesiæ diligenter defendant. Arces & ædificia quælibet sarta tecta conseruent: quinetiam eorum conditionem, quantum possunt, meliorem facere debent. Arces & quasuis munitiones non prius in potestatem Præfectorum & Capitaneorum suorum tradant, quàm ij iurauerint Capitulo: post eorum cessum vel decessum eisdem non alteri cuiquã quàm ipsimet Capitulo se, vt primùm requisiti fuerint, tradituros.

Iura, Priuilegia, & immunitates Ecclesiasticæ ab Episcopis defendendæ. Cap: XIII.

HOrtatur etiam sacra Synodus Reuerendissimos Dominos Archiepiscopos & Episcopos, & in eo ipsorum conscientias onerat, vt omnia iura, Priuilegia, & immunitates Ecclesiasticas pro viribus tueantur, & defendant: ad eaq;, quæ partim temporum iniquitate, partim negligentia collapsa, vel per vim & potentiam oppressa sunt, in pristinum statum vindicanda sacræ Regiæ Maiestatis fidem, iustitiam, atq; auxilium implorent, ordinisq; sui ius atq; dignitatem sedulò & diligenter retineant.

Archiepiscopi & Episcopi Comitiis Regni & Conuentibus particularibus interesse debent. Cap: XIIII.

DEcernitq; & statuit sancta Synodus, vt Reuerendissimi

Domini Archiepiſcopi & Epiſcopi Comitiis Regni & Conuentibus particularibus terrarum interſint, ſub pœna mille marcarum, in quamlibet quadraginta octo groſſos computando, per quemlibet eorundem ſuccumbenda. Excepto legitimo impedimento, quod in proxima Synodo iureiurando confirmare debent. Et Rege in Diœceſi alicuius Epiſcopi degente, illius loci Epiſcopus ad Seremſs: Regem ſe conferre, & ibidem manere teneatur, & ſit aſtrictus, ſub eadem pœna.

Epiſcopatus Pomeſanieñ & Sambieñ vt in priſtinum ſtatum reſtituatur. CAP: XV.

PEtendum eſt à ſacra Regia Maieſtate per Reuereñ Dominos ſuo & totius Cleri nomine, vt Epiſcopatum Pomeſanieñ, & Sambieñ in Pruſsia contra iura Eccleſiaſtica occupatos, eorumq; Eccleſias profanatas & ſpoliatas, in priſtinum ſtatum vindicet & reſtituat: præſertim verò Pomeſanieñ, cuius magna pars eſt in ditione ſacræ Regiæ Maieſtatis ſine vllo Epiſcopo & paſtore legitimo. Supplicandumq; eſt Sanctiſsimo D. N. vt de conſenſu Sereniſsimi Regis eam portionem Epiſcopatus Pomeſanienſis ditionis Regiæ, ſi inter Epiſcopatus reſtitui non poterit, Epiſcopo Culmeñ, vti viciniori adiungat.

Electio Abbatum, Præpoſitorum regularium, tam virorum quàm Monialium iuxta Canones Concili Tridentini, & Statuta Prouincialia obſeruetur. CAP: XVI.

IVS electionis liberæ Abbatum, Præpoſitorum, cæterorumq; Prælatorum regularium tam virorum quàm monialium,

nialium, secundum sacros Canones, Conciliíq; Tridentini Decreta, ac Prouincialia Statuta penitus obseruetur, & retineatur: dent́q; operam Domini Locorumordinarii eorũ regularium superiores, vt ad ea munera homines idonei, vitæ honestate & doctrina clari, qui regularem obseruantiam sint professi, vel profiteri necesse habeant, eligantur: de quorum iuribus & Priuilegiis ac libertatibus Reuerendissimi Domini Archiepiscopi, & Episcopi sacram Regiam Maiestatem benè informent, authoritatéq; sua efficiant, ne ex Cancellaria S. R. M. literæ illis contrariæ cuiquam concedantur. Si verò ad falsam alicuius narrationem importunám q; instantiam aliquando concessæ fuerint, tanquam iuri communi cõtrariæ nullum robur habere à S. R. M. decernantur. Quod si quis peruersa cupiditate impulsus, cuiusuis potestatis prætextu in Monasteria eoruḿq; bona se intruserit, is vltra pœnas sacris Canonibus sancitas, pro violatore iuris & libertatis Ecclesiasticæ habeatur, totiuśq; Cleri nomine contra eũ sacræ R. M. præsidium imploretur.

Monasteria tam virorum quàm mulierum reformanda. CAP: XVII.

DAbunt autem operam Domini Locorumordinarii & Superiores, secundum formam à sacris Canonibus & Statutis Prouincialibus præscriptam: vt Monasteria tam virorum quàm monialium reformentur, vt quemadmodum ab initio religioni, pietati, vitæ sanctitati, doctrinæ, atq; disciplinæ sunt dedicata, ita etiam hoc tempore in eis hæc eadem vigeant, suscitentur, ac retineantur, & eorum seminaria in ipsis instituantur: scandaláq; omnia & abusus, quicunq; reperti in eis fuerint, procul inde amoueantur, & arceantur.

Bona & possessiones Monasteriorum alienata recuperanda. CAP: XVIII.

QVoniam verò per negligentiam superiorum temporum

bona & possessiones Monasteriorum, contra omne ius & fas, per Prælatos eorum sunt disipata, & alienata: sacra Synodus, inhærendo prioribus constitutionibus, statuit & decernit, vt ea quæ sunt alienata per ipsosmet alienatores sine vlla excusatione intra annum recuperentur, & in pristinum statum restituantur. Quod nisi factum fuerit, Locorumordinarii anno elapso contra eos iuxta Statuta Prouincialia procedant. Ad ea verò, quæ per eorum antecessores sunt alienata, primo quoquo tempore pro viribus recuperanda per Ordinarios remediis opportunis compellantur, & quantum in ipsis est, consilio atq; patrocinio illorum adiuuentur.

Regulares extra sua Monasteria ab administratione Sacramentorum & prædicatione verbi Dei abstineant. CAP: XIX.

DEcernit & statuit Synodus, inhærendo decreto sacrosancti Concilii Tridentini, vt Regulares, quibus nulla animarum cura incumbit, ab administratione Sacramentorum, & prædicatione verbi Diuini extra sua Monasteria, præsertim verò ab absolutionibus excommunicatorum, quæ plerunq; in præiudicium Parœcorum, contra sacros Canones & Statuta Prouincialia facere consueuerunt, sine facultate ab Ordinariis concessa abstineant: alioqui per eosdem Ordinarios cò́erceantur.

Regulares vagantes cò́ercendi, & ad Monasteria sua remittendi. CAP: XX.

REgulares, qui sine licentia superiorum vagari, & de vno in aliud Monasterium commeare solent, per locorum, in quibus sine literis superiorum suorum reperti fuerint, Ordinarios in vincula coniiciantur, & ad Monasteria per eos de-

180

eos deserta remittantur. Qui verò tales ad sua Monasteria recipere ausi fuerint, pœna suspensionis afficiantur.

Decimæ ex bonis Spiritualium, ad quos pertinent, omnino dandæ. CAP: XXI.

DEcimæ ex bonis Spiritualium quorumcunq; liberè sine vllo impedimento, tam ipsorum quàm suorum Præfectorum, per eos ad quos pertinent, percipiantur, ne laici eorum exemplo deinceps scandalizentur. Quòd si quis ex Spiritualibus per se: vel per procuratores bonorum suorum, earum libertatem impediuerit, Reuerendissimi Domini Archiepiscopus & Episcopi in Synodo Prouinciali de se conquerenti pœnam dupli æstimationis ipsarum luant. Cæteri verò inferiores ad iudicium ordinarium vocati, in eo legitimè conuicti, in simili pœna condemnentur. Quòdsi aliqui prouentus per aliquos ex Spiritualibus sunt adempti, ad eos restituendos in Synodis tam Prouincialibus quàm Diœcesanis, ac etiam iudiciis ordinariis compellantur.

Agendorum liber nuper editus in omnibus Ecclesiis habeatur. CAP: XXII.

AD tollendos abusus in administratione Sacramentorum, eorumq; vniformem administrationis formulam in tota Prouincia instituendam, sacra Synodus decreuit, vt ea, quæ vulgo appellantur Agenda, per Reuerendiss: Dominum Episcopum VVladislauien recens edita, ab omnibus ad quos Sacramentorum administratio pertinet, habeantur, ex eorumq; præscripto omnia fiant & procurentur.

Missalia, Breuiaria, &c. ad instar Romanorum Missalium & Breuiariorum ordinanda & reformanda. CAP: XXIII.

EAdem sacra Synodus, ad tollendam varietatem in orationibus

tionibus & cantu Ecclesiastico, Missalia & Breuiaria Romana ex authoritate sacrosancti Concilii Tridentini conscripta atq; edita, in vsum Prouinciæ istius recepit, ad eaq; vniuersum cantum Ecclesiasticum conformari præcipit: ac vt in singulis Diœcesibus tam in Cathedralibus quàm in Collegiatis atq; Parœcialibus deputentur homines eius rei periti, qui Indices librorum, quibus cantus Ecclesiasticus continetur, debito ordine conficiant, & ad instar Missaliũ atq; Breuiariorũ Romanorum conscribant. Quodsi quid in antiquis Gradualibus & Antiphonariis ad præsens institutum desideratum fuerit, id sumptu Episcoporum & Capitulorum conscribatur & suppleatur. Quod institutum ante proximam Synodum Prouincialem perfici, & in vsum deduci Synodus omninò vult & mandat.

Post mortem quorumcunq; Spiritualium bona Ecclesiastica non diripienda. Cap: XXIIII.

BOna Ecclesiastica post mortem quorumuis Prælatorum spoliari & deformari non permittantur, omniaq;, quæ in eis in possessionem venienti Prælato tradita fuerunt, secundum inuentaria iis, ad quos prouisio bonorum vacãtium pertinet, integrè reddantur. Ac insuper, quicquid clauo affixum fuerit, loco suo relinquatur. De intestatis verò Reuereñ Dominis Archiepiscopis & Episcopis Canones veteres & Statuta Prouincialia per omnia robur suum obtineant.

Supellex sacra ad Missæ sacrificium pertinens mundissimè seruetur. Cap: XXV.

AD maiorem reuerentiam sacrosancti sacrificii Missæ sancta Synodus decernit, vt corporalia, calices, purificatoria,

ficatoria, & alia ad sacrificium Missæ necessaria in Ecclesiis sint munda, benedicta, & consecrata, ita vt in visitationibus omnia hæc debito ordine reperiantur, sub pœnis suspensionis incurren, arbitrio Ordinarii moderandis.

Confessarii seu Pœnitentiarii circa Ecclesias Cathedrales & Collegiatas sint docti & discreti. CAP: XXVI.

CVM tota ratio emendãdæ vitæ in examine conscientiæ versetur, ideo sancta Synodus decretum sacrosancti Concilii Tridentini exequutioni demandando statuit, vt non solùm circa Ecclesias Cathedrales, sed etiam Collegiatas sint docti Confessarii seu Pœnitentiarii, qui confessionem audiant, & eos qui ad Confessionem veniunt diligenter examinent, non contenti generali peccatorum confessione: cùm post intimum de peccatis dolorem, qui in pœnitente requiritur, nihil magis necessarium sit, vt ritè peragatur confessio, quàm diligens discussio & inquisitio de specie & numero peccatorum, & eorum circumstantiis peccatum aggrauantibus.

Vt autem in confessionibus audiendis instructiores sint Parochi, decernit sacra Synodus, vt Parochi præ manibus habeant Directorium Ioannis Polanci Theologi societatis Iesu, & summam aliquam, vt potè, Syluestri, Tabianæ, &c.

Hæreticorum libri in Scholis non legantur. CAP: XXVII.

AD maiorem detestationem Hæresum: & vt seruetur decretum sacrosancti Concilii Tridentini, Synodus inhibet, vt nullus Hæreticorum liber, præsertim in Scholis legatur, neq; à quoquam retineatur, iuxta Concilium Tridentinum & Indicem Romanum. Cathechismus verò Romanus solus omnibus Scholaribus publicè legatur.

Bibliothecæ reuideantur. CAP: XXVIII.

STatutum antiquum innouando sacra Synodus decernit, ne Bibliopolæ, vel Impressores libros inprimere, vel vndecunq; aduectos vendere audeant, priusquã examinati probatiq; fuerint ab Ordinario, iuxta decretum Concilii Tridentini. Contra quos petendum est à sacra Regia Maiestate, vt vltra ipsorum librorum amissionem grauior aliqua pœna statuatur, præter alia sancita ab eodem Concilio Tridentino, & ab Indice Romano.

Examinatores deputandi ex præscripto Concilii. CAP: XXIX.

VT forma & modus in prouidendis Ecclesiis Parochialibus iuxta sacrosancti Concilii Tridentini decretum seruetur, monentur omnes Episcopi, vt in suis primis Synodis Diœcesanis deputent examinatores ex præscripto dicti Concilii, & inter dictos deputatos non comprehendant suos Vicarios generales: cùm Concilium dicat, quòd examen fiat ab Episcopo, siue, eo impedito, ab eius Vicario generali, atq; ab aliis examinatoribus.

Bulla Cœnæ Domini sæpiùs promulganda. CAP: XXX.

DEcernit & statuit sacra synodus, vt Bulla Cœnæ Domini singulis annis primo quoquo tempore promulgetur, & deinde Dominica prima Aduentus & Quadragesimę declaretur populo in sacris Concionibus, vt Confessarii sciant omnes casus summo Pontifici reseruatos. Cuius quidem Bullæ tenor sequitur & est talis.

LITERAE

LITERAE PROCESSVS S. D. N. GREGORII. PP. XIII. LECTAE die Cœnæ Domini, Anni M. D. LXXVIII.

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.

Initium Transumpti literarũ.

NOuerint vniuersi hoc præsens publicum transumptum inspecturi, quòd nos Hieronymus Matthæius Protonotarius Apostolicus, vtriusq; signaturæ S. D. N. Papæ Referendarius, Curiæ Causarum Camerę Apostolicæ generalis Auditor, Romanæq; Curiæ Iudex ordinarius, Sententiarũq; & Censurarum latarum, ac quarumcunq; literarum Apostolicarũ vniuersalis executor ab eodem S. D. N. Papa deputatus, vidimus, & diligenter inspeximus literas Apostolicas S. D. N. GREGORII diuina prouidentia Papæ xiij. hodie, qui fuit dies Iouis sancti, & Cœnæ Domini, & solẽniter more solito lectas & publicatas, eiusq; vera Bulla plumbea cũ cordula rubei croceiq; colorum more Ro. Cu. pendente Bullatas, & omni suspicione carentes subsequentis tenoris.

GREGORIVS EPISCOPVS, SERVVS seruorum Dei: Ad futuram rei memoriam.

Proœmium literarum.

CONsueuerunt Romani Pontifices prædecessores nostri, ad retinendam puritatem religionis Christianę, & ipsius vnitatem, quæ in coniunctione membrorum ad vnum caput, Christum videlicet, eiusq; Vicarium, principaliter consistit, & sanctam fidelium societatem ab offensione seruandam, arma iustitiæ per ministerium Apostolatus in præsenti celebritate exercere.

Excommunicatio, & anathematizatio.

1 In Hæreticos, eorum fautores, libros legẽtes & schismaticos, qui ab obediẽtia Ro-

1. Nos igitur vetustum & solennem hunc morem sequentes, excommunicamus, & anathematizamus ex parte Dei omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti, auctoritate quoq; beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac nostra, quoscunq;

ma: Pont: recedunt.

Husitas, Vicleuitas, Lutheranos, Zvinglianos, Caluinistas, Vgonotos, Anabaptistas, Trinitarios, ac omnes & singulos alios Hæreticos, quocunq; nomine nuncupentur, & cuiuscunq; sectæ existant, & eorum credentes, ipsorumq; receptatores, & fautores, & generaliter quoslibet defensores, ac eorundem libros hæresim continentes, vel de religione tractantes, sine auctoritate nostra & sedis Apostolicæ, scienter legentes, aut tenentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes, ex quauis causa, publicè vel occultè, quouis ingenio, vel colore: necnon schismaticos, & eos, qui se à nostra, & Rom: Pont: pro tempore existentis obedientia, pertinaciter subtrahunt, vel recedunt.

2 In appellantes à Papa ad futurũ Concilium.

2. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes & singulos cuiuscunq; status, gradus seu conditionis fuerint, & interdicimus Vniuersitates, Collegia, & Capitula, quocunq; nomine nuncupentur, ab ordinationibus, sententiis, seu mãdatis nostris, ac Rom: Pont: pro tempore existentium, ad vniuersale futurum Concilium appellantes, necnon eos quorum auxilio, vel fauore appellatum fuerit.

3 In Piratas, eorum receptatores, & fautores.

3. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes Piratas, Latrunculos maritimos, & illos præcipuè, qui mare nostrum à Monte argentario vsq; ad Terracinam discurrentes, eos qui in illo nauigant deprædantur, mutilant, interficiunt, rebusue, & bonis suis spoliant, omnesq; receptatores eorundem, & eis auxilium scienter dantes, vel fauorem.

4 In rapientes naufragorũ bona, aut scienter ab aliis rapta accipientes.

4. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes & singulos, qui Christianorum quorumcunq; nauibus tempestate in transuersum (vt dici solet) iactatis, naufragium passis, aut etiam submersis, siue in ipsis nauibus, siue ex eis dillapsa, & in mari, vel littore inuenta, cuiuscunq; generis bona, tam in nostris Thyrreni, & Adriatici, quàm in quibuscunq; aliis cuiuscũq; maris regionibus, & littoribus rapuerint, aut scienter ipsi sibi acceperint, aut ab aliis rapta, seu accepta scienter rece

perint:

perint: ita vt nec etiam ob quodcunq; Priuilegium, consuetudinem, aut longissimi etiam immemorabilis temporis possessionem, seu alium quemcunq; prætextum excusari possint.

5. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes qui in terris suis noua pedagia seu gabellas ad id potestatem non habentes imponunt, vel augent, aut imponi vel augeri prohibita exigunt.

5 In imponentes noua pedagia & gabellas, vel eas augentes.

6. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes falsarios Literarum Apostolicarum, & in forma Breuis, ac supplicationum gratiam, vel iustitiam concernentium, per Romanũ Pontifi: S. R. E. Vicecancellarium, seu gerentes vices eorum, aut de mandato eiusdem Rom: Pont: signatarũ, aut sub nomine eiusdem Rom: Pont: seu Vicecancellarii, aut gerentium vices prædictorum signantes supplicationes easdem: Extendentes constitutionem fœl: re: Innocentii Papę tertii, quæ incipit, Ad falsariorum. cum omnibus pœnis in ea contentis, ad falsificantes, seu mutantes supplicationes per nos, seu de mandato nostro signatas & datas, sine nostra, aut Datarii nostri licentia.

6 In falsificãtes literas Apostolicas aut supplicationes, à quocunq; authoritatem habente signatas.

7. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui equos, arma, ferrum, filum ferri, stannum, chalybem, omniaq; alia metallorum genera, atq; bellica instrumenta, lignamina, canapem, funes tam ex ipso canape, quàm ex quacunq; alia materia, & ipsam materiam aliaq; huiusmodi, quibus Christianos impugnant, deferunt Saracenis, Turcis & & aliis Christi nominis inimicis: Necnon illos qui per se vel alium seu alios de rebus Christianæ Reip: statum concernentibus, in Christianorum perniciem, & damnum ipsos Turcas, & Christianæ religionis inimicos certiores faciũt, illisq; ad id auxiliũ, consilium, vel fauorem quomodolibet præstant: Non obstantibus quibuscunq; Priuilegiis, & concessionibus quibuscunq; Principibus & Dominiis, siue priuatis personis per nos & sedem prædictam hactenus concessis, quæ illis nolumus in aliquo suffragari.

7 In deferentes arma, & alia bellico vsui apta ad Turcas, & Reip. statum concernẽtia prædictis enũciantes.

8 In impedientes eos, qui victualia, & alia necessaria Romã conuehunt.

8. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes impedientes, siue inuadentes eos qui victualia, seu alia ad vsum Romanæ Curiæ necessaria adducunt, ac etiam eos qui ne ad Romanam Curiam addducantur, vel deferantur, impediunt, seu perturbant, vel qui talia fieri faciunt, vel facientes defendunt, cuiuscunq; fuerint ordinis, præeminentiç, conditionis & status, etiam si Pontificali, vel Regali, aut alia quauis Ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate.

9 In eos, qui ex proposito Romipetas offendunt.

9. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes ex proposito interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes seu deprædantes Romipetas seu peregrinos, ad Vrbem causa deuotionis, seu peregrinationis, & prorsus omnes alios ad sedem Apostolicam accedentes, vel apud eam morantes, aut recedentes ab ipsa, & illis dantes auxilium, consilium, vel fauorem.

10 In eos qui sine iurisdictione in Curia cõmorantes vexant.

10. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui non habentes in eadem Curia iurisdictionem ordinariam vel delegatam, eius prætextu capiunt, spoliant, detinent morantes in eadem, vel qui talia fieri mandant.

11 In Offendentes S. R. E. Cardinales, & alios Prælatos.

11. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, verberantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes vel hostiliter insequentes S.R.E. Cardinales, ac Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, sedisq; Apostolicæ Legatos, vel Nuncios, aut eosdem eiicientes à suis Diœcesibus, territoriis, terris, seu dominiis, eaq; mandantes, vel rata habentes, seu præstantes eis auxilium, consilium vel fauorem.

12 In eos, qui ad Romanam Cur. recurrentes offẽdunt, aut executionem literarum Apostolicarũ impediunt, & ad

12. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per se vel alium seu alios, quascunq; personas Ecclesiasticas vel seculares, ad dictam Curiam super eorum cau-sis & negociis recurrentes, illasq; in eadem Curia prosequentes, aut procurantes, negociorumq; gestores, Aduocatos, Procuratores ipsorum, seu etiam Auditores, vel Iudices, super dictis

per dictis causis, vel negociis deputatos, occasione causarum, vel negociorum huiusmodi verberant, mutilant, vel occidunt, seu bonis spoliant, vel qui per se vel alium seu alios directè vel indirectè prædicta exequi vel procurare, aut in eisdem consilium, auxilium, vel fauorem præstare non verentur, cuiuscunq; præeminentiæ & dignitatis fuerint: Ac illos qui Literas Apostolicas, & in forma Breuis, tam gratiam quàm iustitiam concernentes, ac etiam citationes, inhibitiones, sequestra, monitoria, processus, executoriales, aliaq; decreta quæcunq; à nobis, & sede Apostolica, seu Legatis, Nũciis, Præsidentibus, Cameræ Apostolicæ Auditoribus, & Cõmissariis, aliisq; iudicibus, & delegatis Apostolicis emanata, & quæ pro tempore emanauerint, simpliciter vel sine eorum beneplacito consensu, vel examine, executioni demandari, aut ne Tabelliones, & Notarii super huiusmodi literarum, & processuum executione instrumenta, vel acta conficere, aut confecta parti cuius interest, tradere debeant, impediunt, vel prohibent, aut impediri vel prohiberi procurant: Ac Notarios, Executores, & Subexecutores literarum, citationum, monitoriorum, & aliorum prædictorum capiunt, carcerant & detinent, vel capi, carcerari, & detineri faciunt: Quiq; etiam quibuscunq; personis in genere vel in specie, ne pro quibusuis eorum negociis prosequendis, seu gratiis vel literis impetrandis ad Romanam Curiam accedant, aut recursum habeant, seu gratias ipsas vel literas à dicta sede impetrent, seu impetratis vtantur, directè vel indirectè prohibere, statuere, seu mandare, vel eas apud se, aut Notarium, seu Tabellionem, vel aliâs quomodolibet retinere præsumũt.

gratias impetrãdas accedẽtes prohibent.

13. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes & singulos Cancellarios, Vicecancellarios, & Consiliarios ordinarios, & extraordinarios quorumcunq; Regum, & Principum, ac Præsidentes Cancellariarum, Consiliorũ, & Parlamentorum: necnon procuratores generales eorundem, vel aliorum

13 In Officiales Principum secularium, & Prælatos, qui causas ecclesiasticas à iudicibus Apostoli-

cis auocant, & actores ad reuocãda impetrata cõpellunt.

aliorum Principum secularium, etiam si Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quacunq; præfulgeant dignitate, quocunq; nomine nuncupentur: aliosq; iudices tam ordinarios quàm delegatos, necnon Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Commendatarios, Vicarios, & Officiales, qui per se, vel alium, seu alios auctoritate propria & de facto quarumcunq; exemptionum, vel aliarum gratiarum, & Literarum Apostolicarum prætextu beneficiales, & decimarum, ac alias Spirituales, & Spiritualibus annexas causas ab Auditoribus, & Commissariis nostris, aliisq; iudicibus Ecclesiasticis auocant, illarum cursum, & audientiam, ac personas, Capitula, Conuentus, Collegia, causas ipsas prosequi volentes impediunt, ac se de illarum cognitione tanquam iudices interponunt, ac partes actrices, quæ illas committi fecerunt, & faciunt, ad reuocandum, & reuocari faciendum citationes, vel inhibitiones, aut alias literas in eis decretas, & ad faciendum, vel cõsentiendum eos, contra quos tales inhibitiones emanarunt, à censuris, & pœnis illis contentis absolui statuunt, & compellunt, vel aliâs executionem literarum Apostolicarum, vel executorialium, processuum, ac decretorum prædictorum, etiam sub prætextu violentiæ prohibendæ, vel quod ad nos informandos, vt ipsi dicunt, supplicauerint, aut supplicari fecerint, nisi ipse supplicationes huiusmodi corã nobis, & sede Apostolica, legitimè prosequantur, quomodolibet impediunt, vel suum ad id fauorem, consilium, aut assensũ præstent.

14 In iudices seculares, qui Ecclesiasticas personas ad sua Tribunalia trahunt: quique Ecclesiasticam libertatẽ tollunt, vel in aliquo lædunt.

14. Quiúe ex eorum prætenso officio, vel ad instantiam quorumcunq; personas Ecclesiasticas, Capitula, Conuentus, & Collegia Ecclesiarum quarumcunq; coram se ad eorum tribunal, audientiam, Cancellariam, Consilium vel Parlamentum, præter iuris Canonici dispositionem trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant directè vel indirectè, quouis quæsito colore: Necnon qui statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, seu quæuis alia decreta in genere, vel in specie, ex

cie, ex quauis causa, & quouis quæsito colore, ac etiam prætextu Literarum Apostolicarum vsu non receptarum, seu reuocatarum, vel cuiusuis consuetudinis, aut Priuilegii, vel aliâs quomodolibet fecerint, ordinauerint, & publicauerint, vel factis, & ordinatis vsi fuerint, vnde libertas Ecclesiastica tollitur, seu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut aliâs quouismodo restringitur, seu nostris, & dictæ sedis, ac quarumcunq; Ecclesiarum iuribus quomodolibet directè vel indirectè, tacitè vel expressè præiudicatur.

15. Necnon qui Archiepiscopos, Episcopos, aliosq; superiores vel inferiores Prælatos, & omnes alios quoscunq; Iudices Ecclesiasticos ordinarios quomodolibet impediunt, quo minus sua iurisdictione Ecclesiastica contra quoscunq; vtantur, secundum quod Canones & sacræ Constitutiones Ecclesiasticæ, & decreta Conciliorum generalium, & præsertim Tridentini, statuunt.

15 In impedientes Prælatos, ne sua iurisdictione vtantur.

16. Quiúe iurisdictiones, seu fructus, redditus, & prouentus, ad nos & sedem Apostolicam, & quascunq; Ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes vsurpant, vel etiam quauis occasione, vel causa, sine Rom: Pont: vel eorum ad quos iure pertinent expressa licentia sequestrant.

16 In vsurpantes sedis Apostolicæ, & quarumcunque Ecclesiarum iurisdictiones vel fructus, aut eos sequestrãtes.

17. Quiúe collectas, decimas, taleas, præstãtias, & alia onera Clericis, Prælatis, & aliis personis Ecclesiasticis, ac eorum & Ecclesiarum, Monasteriorũ, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum bonis, illorumq; fructibus, redditibus, & prouentibus huiusmodi absq; simili Rom: Pont: speciali, & expressa licentia imponunt, & diuersis etiam exquisitis modis exigunt aut sic imposita etiam à sponte dantibus, & concedentibus recipiunt: necnon qui per se, vel alium, seu alios directè vel indirectè prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel fauorem, aut votum, seu suffragium palàm, vel occultè præstare non verentur, cuiuscunq;

17 In imponentes decimas, & onera personis Ecclesiasticis, Ecclesiis, Monasteriis, aut eorum fructibus.

cunq; sint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status, etiam si Imperiali, aut Regali præfulgeant dignitate, seu Principes, Duces, Comites, Barones, Respublicæ, & alii potentatus quicunq;, etiam Regnis, Prouinciis, Ciuitatibus, & terris quoquo modo præsidentes, aut quauis etiã Pontificali dignitate insigniti: Innouantes decreta super his per sacros Canones tam in Lateranen nouissimè celebrato, quàm aliis Conciliis generalibus edita, etiam cum censuris, & pœnis in eis contentis.

18 Contra Iudices seculares in causis capitalibus seu criminalibus contra Ecclesiasticas personas se interponentes.

18. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes & quoscunq; Magistratus, Senatores, Præsidentes, Auditores, & alios Iudices quocunq; nomine vocentur, ac Cancellarios, Vicecancellarios, Notarios, scribas, ac executores, & subexecutores, & alios quoquo modo se interponentes in causis capitalibus, seu criminalibus contra personas Ecclesiasticas, illas banniendo, capiendo, processando, seu sententias contra illas proferendo, vel exequendo, etiam prætextu quorumcũq; Priuilegiorum à sede Apostolica ex quibusuis causis, ac sub quibuscunq; tenoribus, & formis, in genere & specie concessorum, quibuscunq; Regibus, Ducibus, Principibus, Rebusp: Monarchis, Ciuitatibus, & aliis quibuscunq; potentatibus quocunq; nomine censeantur, quæ nolumus illis in aliquo suffragari, illa omnia exnunc in irritum reuocando.

19 In occupantes loca, & terras Ecclesiæ Ro. & in illis supremã iurisdictionem v surpantes.

19. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per se, vel alium, seu alios, directè vel indirectè, sub quocunq; titulo, vel colore de facto occupant vel detinent, vel hostiliter destruunt, vel inuadunt, aut occupare, detinere, vel destruere, aut inuadere hostiliter præsumpserint in totum vel in partem Almam Vrbem, Regnum Siciliæ, Insulas Sardiniæ, & Corsicæ, Terras citra Pharum, Patrimonium B. Petri in Tuscia, Ducatum Spoletanum, Comitatum Venaysinum, Sabinensem, Marchiæ Anconitanæ, Massæ, Trebariæ, Romandiolæ, Campaniæ, & maritimas Prouincias, illarumq;

terras,

terras, & loca, ac terras ſpecialis commiſsionis Arnulphorum, Ciuitatesq; noſtras Bononiam, Ceſenam, Ariminum, Beneuentum, Peruſium, Auinionem, Ciuitatem Caſtelli, Tudertum, & alias Ciuitates, terras, & loca, vel iura ad ipſam Romanam Eccleſiam pertinentia, dictæq; Romanæ Eccleſiæ mediatè, vel immediatè ſubiecta: quiùe ſupremam iuriſdictionem in illis nobis, & eidem Romanæ Eccleſiç competentem de facto vſurpare, perturbare, retinere, & vexare variis modis præſumunt: Necnon adhærentes, fautores, & defenſores eorum, ſeu illis auxilium, conſilium, vel fauorem quomodolibet præſtantes.

20. Necnon omnes, & ſingulos ſupellectilium, librorum, ſcripturarum, & bonorum Cameræ, & Palacii Apoſtolici ex eodem Palacio, infirmitatis Rom: Pont: ac ſedis Apoſtolicæ vacationis tempore, ablatores, raptores, & illorum detentores, ac quoſcunq; alios, ad quorum manus bona prædicta quocunq; titulo, ex quauis cauſa ſcienter peruenerint.

20 In raptores ſupellectilium, & ſcripturarum Cameræ, & Palacii Apoſtolici.

21. Volentes præſentes noſtros proceſſus, ac omnia & quæcunq; his literis contenta, quouſq; alii huiuſmodi proceſſus à nobis, aut Rom: Pont: pro tempore exiſtente fiant, aut publicentur, durare, ſuoſq; effectus omnino ſortiri.

21 Quandiu præſens proceſſus duret.

22. Cæterum à prædictis ſententiis nullus per alium, quàm per Romanum Pontificem, niſi in mortis articulo conſtitutus, nec etiam tunc, niſi de ſtando Eccleſiæ mandatis, & ſatisfaciendo cautione præſtita, abſolui poſsit, etiam prætextu quarumuis facultatum & indultorum, quibuſcunq; perſonis Eccleſiaſticis, ſecularibus & quorumuis ordinum etiam mendicantium, & Militiarum regularibus, etiam Epiſcopali vel alia maiori dignitate præditis, ipſisq; ordinibus & eorum Monaſteriis, Conuentibus, & Domibus, ac Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus, Congregationibus, Hoſpitalibus, & locis piis, necnon laicis, etiam Imperiali, Regali, & alia mundana excellentia fulgentibus per nos & dictam ſedem, ac

22 Reſeruatio abſolutionis Ro: Pontifici.

cuiusuis Concilii decreta, verbo, literis, aut alia quacunq; scriptura in genere & in specie concessorum, & innouatorum, ac concedendorum & innouandorum.

23 Contra absoluentes in supra dictis casibus.

23. Quod si fortè aliqui contra tenorem presentium talibus excommunicatione & anathemate laqueatis, vel eorum alicui absolutionis beneficium impendere de facto præsumpserint, eos excommunicationis sententia innodamus, grauius contra eos spiritualiter, & temporaliter, prout expedire nouerimus, processuri.

24 Absolutio Ro: Pontificis etiam solennis quos nō comprehendat.

24. Declarantes, ac protestantes quamcunq; absolutionem etiam solenniter per nos faciendam, prædictos excommunicatos sub præsentibus comprehensos, nisi priùs à præmissis cum vero proposito vlterius similia non committendi, destiterint: Ac quo ad eos, qui contra libertatem, vt præmittitur, statuta fecerint, nisi priùs statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, & decreta huiusmodi publicè reuocauerint, & ex Archiuiis, seu Capitularibus locis, aut libris in quibus annotata reperiuntur, deleri, & cassari, ac nos de reuocatione huiusmodi certiores fecerint eos non comprehendere, nec eis aliter suffragari. Quin etiam per huiusmodi absolutionem aut quoscunq; alios actus contrarios, tacitos, vel expressos, ac etiam per patientiam, & tolerantiam nostram, vel successorum nostrorum quantocunq; tempore cōtinuata, in præmissis omnibus & singulis, ac quibuscunq; iuribus sedis Apostolicæ, ac S. R. E. vndecunq; & quomodocunq; quæsitis, vel quærendis nullatenus præiudicari posse, seu debere.

25 Quòd non obstant priuilegia, aut quæuis Apostolica indulta, quo minus quis in hoc processu includatur.

25. Non obstantibus Priuilegiis, indulgentiis, & literis Apostolicis, generalibus vel specialibus, supradictis vel eorum alicui, seu aliquibus, & aliis cuiuscunq; ordinis, status, vel conditionis, dignitatis, & præeminentiæ fuerint, etiam si, vt præmittitur, Pontificali, Imperiali, Regali, seu quauis Ecclesiastica, & mundana præfulgeant dignitate, vel eorum Regnis, Pro-

gnis, Prouinciis, Ciuitatibus, seu locis à prædicta sede ex quauis causa, etiam per viam contractus, aut remunerationis, & sub quauis alia forma, & tenore, ac cũ quibusuis clausulis etiam derogatoriarum derogatoriis concessis, etiam continentibus quòd excommunicari, anathematizari, vel interdici non possint, per literas Apost: non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi, ac de ordinibus, locis, nominibus propriis, cognominibus, & dignitatibus eorum mentionem: Necnon consuetudinibus etiam immemorabilibus, ac præscriptionibus quantumcunq; longissimis, & aliis quibuslibet obseruantiis scriptis, vel non scriptis, per quæ contra hos nostros processus ac sententias, quo minus includantur in eis, se iuuare valeant, vel tueri, quæ omnia quò ad hoc, eorum omnium tenores, ac si ad verbũ nihil penitùs omisso insererentur præsentibus pro expressis habentes, penitùs tollimus, & omino reuocamus, cæterisq; contrariis quibuscunq;.

26. Vt verò præsentes nostri processus ad communem omnium notitiam faciliùs deducantur, chartas, seu membranas processus ipsos continentes valuis Ecclesiæ S. Ioannis Lateran. & Basilicæ Principis Apostolorũ de Vrbe appendi faciemus, quæ processus ipsos quasi sonoro præconio, & patulo indicio publicabunt, vt ii, quos processus huiusmodi contingunt, quòd ad ipsos non perueuerint, aut quòd ipsos ignorauerint, nullã possint excusationem prætendere, aut ignorantiam allegare, cùm non sit verisimile id remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur.

26 Quòd appẽsio processus in valuis Ecclesiæ sãcti Ioannis Lateranensis, & basilicę principis Apostolorum, ignorantiæ, aut excusationi alicuius locum non relinquat.

27. Insuper, vt processus ipsi ac præsentes literæ, ac omnia & singula in eis contenta eo fiant notiora, quo in plerisq; ciuitatibus, & locis fuerint publicata, vniuersis & singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & Locorũ ordinariis, Prælatis & Rectoribus vbilibet constitutis per hæc scripta committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ

27 Quòd Ordinarii locorũ quotannis præsentem processum in suis Ecclesiis frequẽti populo publicari curent.

 districtè

districtè præcipiendo mandamus, vt per se vel alium seu alios præsentes literas, postquàm eas receperint, seu earum habuerint notitiam, semel in anno, aut si expedire viderint, etiam pluries in Ecclesiis suis, dum in eis maior populi multitudo ad diuina conuenerit, solenniter publicent, & ad Christifidelium mentes reducant, nuncient, & declarent.

28 Quòd confessarii harum literarum transumptum habeant.

28. Cæterum hortamur eosdem vniuersos, & singulos Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, aliosq; Locorumordinarios, & Ecclesiarum Prælatos, necnon Rectores, cæterosq; curam animarum exercentes, ac Presbyteros seculares, & quorumuis ordinum regulares ad audiendum confessiones quauis authoritate deputatos, vt transumptum harum literarum penes se habere, legere, & diligenter examinare procurent.

29 Quòd transumptis subscriptis fides adhibeatur.

29. Volentes earundem præsentium transumptis, etiam impressis, Notarii publici manu subscriptis, & sigillo Iudicis ordinarii Romanæ curiæ, vel alterius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutę munitis, eandem prorsus fidem in iudicio, & extra illud vbiq; locorum adhibendam fore, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

30 Vt ne quis literas violet, sub pœnis &c.

30. Nulli ergo omnino hominũ liceat hãc paginã nostræ excõmunicationis, anathematizationis, interdicti, declarationis, protestationis, sublationis, reuocationis, cõmissionis, innodationis, mandati, hortationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurũ. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum. Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quingentesimo septuagesimo septimo, Decimo Calendas Aprilis. Pontificatus nostri anno sexto.

Cæsar Glorierius.

M. Datarius.

A. de Alexiis.

Regiſtrata apud Cæſarem Secretarium.

Anno à Natiuitate Domini. Milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo octauo. Indictione ſexta, die verò Iouis vigeſima ſeptima Menſis Martii, Pontific: ſanctiſsimi in CHRISTO Patris & D. N. D. Gregorii Diuina prouidentia Papæ xiij. anno ſexto, retroſcriptæ literæ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Eccleſiæ S. Ioannis Lateraneñ, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, necnon Cancel: Apoſt: & in acie campi Floræ, per nos Marcum Ant: Brutum, & Petrum Guerram ſanctiſ: D.N.Papę Curſ. Iulius Fontana Mag: Curſ. Publicatio literarum.

QVibus quidem literis diligenter inſpectis, illas ad requiſitionem, & inſtantiam Magnifici domini Ioan: Felicis Saluatorii S. D.N. Papæ, & Cameræ Apoſtolicæ Procuratoris Fiſcalis, Per Ouidium Eraſmum noſtrum & dictæ Curiæ Notarium publicum infraſcriptum tranſumi, & exemplari, ac in hanc publicam tranſumpti formam redigi mandauimus. Decernentes, & volentes, vt huic præſenti tranſumpto, iuxta earundem literarum, & decreti in eis appoſiti formam, cõtinentiam, & tenorem, de cætero plena & indubia fides adhibeatur vbiq; locorum, ac ſi ipſe literæ originales exhibitæ vel oſtenſe forent. Quibus omnibus & ſingulis auctoritatem noſtram ordinariam, ac decretum interpoſuimus, & interponimus per præſentes. In quorum fidem præſentes literas, atq; præſens publicum tranſumpti inſtrumentum exinde fieri, & per Impreſſores Camerales imprimi, ac per dictum Notarium noſtrum, & Curiæ noſtræ coram nobis Scribam infraſcriptum ſubſcribi, & publicari mandauimus, noſtriq; ſoliti ſigilli impreſsione muniri iuſsimus, & feciuus. Datum Romæ in ædibus noſtræ ſolitæ reſidentiæ, ſub anno à Natiuitate Domini. Milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo octauo. Indictione ſexta, die verò vigeſima ſeptima Menſis Martii, Decretum. Data.

Martii. Pontificatus Sanctiſ: in Chriſto patris & domini N. D. Gregorii Diuina prouidentia Papæ xiij. anno ſexto.

Teſtes. Præſentibus ibidem DD. Pompeio Antonino, & Antonio Guidotto dictæ Curiæ noſtræ Notariis, & coram nobis Scribis teſtibus ad præmiſſa omnia & ſingula vocatis, & rogatis.

CAP: XXXI.

FOrmula examinis eorum, qui ad Epiſcopatus nominãtur, à Synodo conſtituta ſuæ ſanctitati offeratur.

De clandeſtinis Matrimoniis. CAP: XXXII.

DEcretum ſacroſancti Concilii Tridentini aduerſus matrimonia clandeſtina inuiolabiliter iubet ſacra Synodus obſeruandum. Propterea curent Ordinarii hoc ipſum decretum populo publicari, & explicari in ſingulis parœchiis ſuarum Diœceſum, idq; primo anno quàm ſæpiſsimè, deinde verò quoties expedire viderint.

Sacerdotibus Matrimonia prohibita. CAP: XXXIII.

QVoniam nonnulli ex Sacerdotibus, qui in cæteris Catholicos ſe eſſe profitentur, eo audaciæ atq; dementiæ progrediuntur, vt ſibi vxores ducere licere exiſtiment, & de facto nuptias celebrant: Sacra Synodus, inhærendo Canoni ſacroſancti Concilii Tridentini, declarat talium copulationes eſſe illegitimas & inceſtas, & tam eos qui talia audent, quã illos, à quibus tolerantur, ſententia anathematis ferit, eamq; ipſo facto illos incidiſſe declarat. Ac ſi qui ex dominis Epiſcopis tales deinceps auſu temerario tolerauerint, ad ſummum Pontificem ſunt deferendi.

Seminaria

Seminaria apud Cathedrales Eccleſias inſtituantur. CAP: XXXIIII.

SEminaria apud Cathedrales Eccleſias ex decreto Concilii Tridentini, ſtatutorumq; Prouincialium præſcripto, quatenus tamen ea nõ aduerſentur decreto Concilii Tridentini, primo quoquo tempore inſtituãtur: & quæ iam antea inſtituta fuerunt, diligenter retineantur. Scholæ verò veteres apud Collegiatas & Parœchiales Eccleſias, vt præceptores idoneos, & ſubſidia ad vitam neceſſaria habeant, ii, ad quos pro locorum varietate pertinet, prouideant.

Academiæ Cracouieñ ſtipendium ſoluent Epiſcopi. CAP: XXXV.

SChola verò Cracouieñ, cùm cæterarũ Regni iſtius Scholarum ſit mater & magiſtra, in omnesq; partes Regni doctrina atq; eruditio ipſius diffundatur, Reuerendiſs: domini Archiepiſcopus & Epiſcopi, rogatu totius Cleri, ad augendum Profeſſoribus illius ſtipendium, deducendo in effectum id, quod iam antea in Synodo Petricouieñ Anno Domini M. D. XLII. erat conſtitutum, vltrò ſuſceperunt, ac etiam in alios non ad præſens ſolum, ſed etiam in poſterum omne tempus conſtituerunt: vt quotannis, pro feſto S. Martini, initio ſumpto à proximo illius feſto, dent & conferant Reuendiſſimi domini Archiepiſcopus Gneſneñ, & Epiſcopus Cracouieñ centenos aureos Hungaricos ſinguli. Cuiauienſis verò, Vilneñ, Poſnanieñ, atq; Ploceñ centenos florenos ſinguli, per triginta groſſos computandos. Culmenſis octoginta florenos, Premiſlienſis totidem, Luceorienſis & Chelmenſis ſinguli quadraginta florenos.

Vt autem iſthæc extraordinaria ſtipendiorum acceſsio iuſtè & cum fructu ſtudiorum diſtribuatur, ſacra Synodus Reuerendiſs:

uerendiſs : domino Epiſcopo Cracouienſi, ad quem tanquam Cancellarium Vniuerſitatis loci illius cura potiſsimum pertinet, adiunxit quatuor alios Reformatores, viros prudentes & graues, videlicet dominos, Staniſlaum Kraſinski Archidiaconum, Martinum Iſdbinski de Ruſiec Scholaſticum, Cracouieñ. Criſtinum Drozdovvski Archidiaconum, & Iacobum Gorski Canonicũ Ploceñ, Iuris Canonici in eadem Schola profeſsorem. Quorum munus erit, ſæpiùs ac diligentiùs Scholam ipſam viſitare, Profeſſorumq; ingenia, eruditionem, diligentiam, & fructum in docendo attentiùs conſiderare, ac inter eos pro cuiusq; merito atq; dignitate eam ipſam pecuniam quotannis iuſtè diſtribuere: ignauis & inertibus, & qui paruum vel nullum docendo faciunt fructum, ſi qui tales reperti fuerint, ab ea penitùs excluſis. Eiſdem etiam Dominis Reformatoribus ſacra Synodus dedit poteſtatem reformandi, & quantum fieri poteſt in meliorem ſtatum redigendi, tam in docendo, lectionibusq; atq; earum ordine inſtituendo atq; mutando, quàm in vita atq; moribus Scholarium ac Profeſſorũ corrigendis: præcipuè verò prouidendo, vt in dicta Schola Sacræ ſcripturæ lectio ad Catholicæ fidei defenſionem & incrementum, ſacræq; doctrinæ conſeruationem & propagationem habeatur: illudq; cauendo, vt nemo ſuæ prudentiæ innixus, in rebus fidei, & morum ad ædificationem doctrinæ Chriſtianæ pertinentium Sacram ſcripturam ad ſuos ſenſus contorquens, contra eum ſenſum quem tenuit & tenet ſancta mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu & interpretatione ſcripturarum Sacrarum, aut etiam contra vnanimem conſenſum Patrum, ipſam S. ſcripturam interpretari audeat, etiam ſi huiuſmodi interpretationes nullo vnquam tempore in lucem edendæ forent: Ac, qui contrauenerint, pœnis à iure ſtatutis puniantur, quemadmodum & decretis Concilii Tridentini eſt ſancitum.

De Doctoribus

190

DE DOCTORIBVS BVLlatis, & ordinariè in Vniuersitatibus promouendis.

PRęterea ne promotiones in qualibet facultate cuipiam cõferantur, atq; munus publicè legendi & docendi concedatur, priusquàm professionem fidei ex pręscripto Bullæ, sanctę memoriæ Pii iiij. emittat. Cuius tenor sequitur & est talis.

BVLLA S. D. N. D. PII, DIVINA PROVIDENTIA PAPAE QVARTI, super ordinatione & promotione Doctorum, & aliorum cuiuscunq; artis & facultatis professorum de cætero obseruanda.

PIVS Episcopus seruus seruorum DEI ad perpetuam rei memoriam.

IN sacrosancta beati Petri Principis Apostolorum Cathedra, meritis licèt imparibus, hisce procellosis militantis Ecclesiæ tempestatibus constitutos, plurimùm nos oportet esse solicitos, vt Domini gregem curæ nostræ commissum non solùm ab apertis rapacium luporum vndequaq; caulis obstrepentium insultibus, sed etiam à magis formidolosis pestiferarum vulpecularum domi latitantium insidiis, per prouidum Pastoralis officii ministerium, ipso Domino cooperante præseruemus, ac illis omnes nocendi occasiones, quantum cum Deo possumus, vbilibet auferamus. Cum itaq; iuxta notum sanctissimi Vatis oraculum, timor Domini, sine quo vera Religio, & Catholicæ fidei puritas nullibi reperitur, sapientiæ sit initium, & qui, vel in scientiis proficere, vel eas alios docere parant, supremum illum sapientiæ Parentem, benignumq; largitorem deuoto sanè fidei obsequio demereri,

 veraq;

veraq; ſinceræ Religionis pietate ſibi conciliare debeant. Idcirco hanc fidei puritatem ſcientiis, doctrinisq; quibuſlibet tùm tradendis, tùm addiſcendis, tanquam neceſſariam baſim, conſtituere: & ne ſimplicia nonnullorum adoleſcentium, res nouas audiendi cupidorum, ingenia in naufragos blandientium hęreſum ſcopulos imprudenter impingant, occurrere cupientes: motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, quòd deinceps nullus Doctor, Magiſter, Regens, vel alius cuiuſcunq; artis, & facultatis profeſſor, ſiue Clericus, ſiue laicus, ac ſecularis, vel cuiuſuis ordinis regularis ſit, in quibuſuis ſtudiorum generalium Vniuerſitatibus, aut Gymnaſiis publicis, aut alibi ordinariam, vel extraordinariam lectoris Cathedram aſſequi, vel iam obtentam retinere, ſeu aliâs, Theologiam, Canonicam, vel ciuilem cenſuram, medicinam, Philoſophiam, Grammaticã, vel alias liberales artes, in quibuſcunq; Ciuitatibus, Terris, Oppidis, ac locis, etiam in Eccleſiis, Monaſteriis, aut Conuentibus Regularium quorumcunq; publicè, vel priuatim quoquomodo profiteri, ſeu lectiones aliquas in facultatibus huiuſmodi habere, vel exercere: neq; Doctores ipſi, aut Vniuerſitatum, ſeu Gymnaſiorum eorundem Rectores, Cancellarii, vel alii ſuperiores, ſed nec etiam Palatini, Comites, aut alii particulares facultatem eruditos viros ad eoſdem gradus promouendi, etiam à nobis, & Apoſtolica ſede, vel aliâs vndecunq; habentes, Scholares, tam laicos quàm Clericos, & cuiuſuis ordinis regulares, vel alios quoſcunq; quantalibet eruditione prædítos, ad vllum gradum in eiſdem facultatibus ſuſcipiendum recipere, & admittere: Neq; Doctores, Magiſtri, & Scholares ad electionem alicuius in Rectorem, vel Cãcellarium Vniuerſitatis, aut Gymnaſii procedere: Nec ipſi Scholares, vel alii quantumlibet docti, & alioqui habiles, gradus huiuſmodi, vel eorum aliquem palàm, vel priuatim recipere valeant, niſi Doctores videlicet, ac Regentes, Magiſtri, & alii

& alii professores iam ad Cathedras, & lecturas recepti, in Italia infra tres, extra verò illam infra sex menses à die publicationis præsentiũ computandos, reliqui verò ad Cathedras & alias lecturas ibidem in posterum assumendi ante illorum receptionem in Rectoris, vel aliorum superiorum: Eligendi autem in Rectores, vel Cancellarios ante illorum electionem, vel saltem admissionem in Ordinariiloci, vel eius in Spiritualibus Vicarii: Ac promouendi Scholares: & alii præfati ante illorum promotionem in eiusdem Ordinarii, seu eius Vicarii, aut Doctorum, aliorumúe promouentium manibus, præuio etiam processu, vel debita informatione, quantum eis sufficere videbitur, super Religione, fideq; Catholica, Rectorum, Cancellariorum, Doctorum, lectorum, & promouendorum eorundem per ipsos Locorumordinarios, vel eorum Vicarios ritè facta præcedente, eandem Catholicam fidem verbis, iuxta formæ infrascriptæ tenorem, conceptis palàm, & solenniter profiteri teneantur: Et desuper instrumentum publicum confici, ac de processu, seu informatione, & fidei professione in Priuilegio Doctoratus, vel alterius gradus huiusmodi specialis, ac de verbo ad verbum mentio, & relatio fieri debeat, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo statuimus, & ordinamus: Ac omnibus & singulis earundem Vniuersitatum, & Gymnasiorum Rectoribus, Doctoribus, & aliis superioribus, ac aliâs facultatem doctorandi habentibus, cuiuscunq; status, gradus, ordinis, cõditionis, & præeminentiæ fuerint, etiam si Episcopali, Archiepiscopali, Patriarchali, vel maiori dignitate, etiam Cardinalatus honore, ac Ducali, vel alia etiam Regia, & Imperiali auctoritate præfulgeant, ne quem in Vniuersitatibus, Ciuitatibus, Oppidis, vel aliis locis sibi in Spiritualibus vel temporalibus subiectis, aliter Cathedras, aut alias lectiones retinere, consequi, vel ad gradus promoueri respectiuè patiantur, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interdicto ab ingressu Ecclesiæ,

quo ad antistites, quo verò ad inferiores, sub excommunicationis latæ sententiæ, necnon priuationis omnium & singulorum dignitatum, beneficiorum, officiorum, & feudorũ Ecclesiasticorum per eos quomodolibet obtentorum, & inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, eo ipso per contrafacientes incurrendis pœnis, districtiùs inhibemus: Ac quascũq; receptiones, promotiones, electiones, & admissiones absq; processu, certaq; de Religione, & fide Catholica notitia, ac dicta fidei professione sic, vt præfertur, præcedente pro tempore factas, nullas, inualidas, nulliusq; roboris, vel momenti esse, neq; cuiquam in iudicio, vel extra suffragari posse, sicq; per quoscunq; Iudices, & Commissarios quauis auctoritate fungentes, sublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & diffiniri debere, ac quicquid secus à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decernimus. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Vniuersitatum, & Gymnasiorum, ordinum, & locorum quorumcunq;, etiam iuramento confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, Priuilegiis quoq;, indultis, facultatibus, & literis Apostolicis eisdem Vniuersitatibus, & Gymnasiis, ac ordinibus & locis, eorũq; Rectoribus, Doctoribus, Superioribus, etiam in temporalibus Dominis, Comitibus, Palatinis, & aliis etiam regularibus personis præfatis sub quibuscunq; tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisq; efficacioribus, etiam vim contractus inducentibus clausulis, irritantibusq;, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam per nos, ac sedem præfatam, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, seu ad quorumuis, etiam Imperatorũ, Regum, Rerumpublicarum, Ducum, & aliorum Principum instantiam, & aliâs quomodolibet concessis, ac etiam

pluries

pluries approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumq; totius tenoribus, specialis, specifica, expressa, & indiuidua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, illorum veriores tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, specialiter, & expresse motu simili derogamus, contrariis quibuscunq; : Aut si aliquibus communiter, vel diuisim ab eadem sit sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Ne autem quispiam præsentium ignorantiam prætendere, vel excusationem allegare possit : sed ipsę ad omnium notitiam deducantur : Volumus, & mandamus, quòd eædem præsentes in Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & Cancellariæ nostræ valuis, ac acie Campi Floræ per aliquem ex Cursoribus nostris affixæ, copia illarum ibi dimissa, omnes in Italia intra tres, extra verò illam existentes intra sex Menses proximos ab ea die affixionis computandos perinde arctent, ac si illis personaliter intimatæ fuissent. Forma autem dictæ professionis fidei hæc est.

Ego N. firma fide credo, & profiteor omnia, & singula quæ continẽtur in Symbolo fidei quo Sancta Romana Ecclesia vtitur, videlicet. Credo in vnum Deum, patrem omnipotentem, factorem cœli, & terræ, visibilium omnium, & inuisibilium. Et in vnum Dominum Iesum Christum filium Dei vnigenitum. Et ex patre natum, ante omnia secula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verũ de Deo

Professio fidei.

de Deo vero. Genitum non factum, consubstantialem patri: per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines,& propter nostram salutem descendit de cœlis. Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria virgine, & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas. Et ascendit in Cœlum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare viuos & mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritũ sanctum Dñm,& viuificantẽ, qui ex Patre Filioq; procedit: qui cũ Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur: qui locutus est per Prophetas. Et vnam, Sanctam,Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor vnum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum: & vitam venturi seculi, Amen.

Apostolicas & Ecclesiasticas traditiones, reliquasq; eiusdem Ecclesiæ obseruationes & constitutiones firmissimè admitto, & amplector. Item, Sacram Scripturam, iuxta eum sensum, quem tenuit & tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu & interpretatione Sacrarũ scripturarum, admitto: nec eam vnquam, nisi iuxta vnanimem consensum Patrum, accipiam & interpretabor. Profiteor quoq; septem esse verè &

propriè

propriè Sacramenta nouę legis à Iesu Christo Domino nostro instituta, atq; ad salutem humani generis, licèt non omnia singulis necessaria, scilicet: Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem, & Matrimonium: illaq; gratiam conferre. Et ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinem sine sacrilegio reiterari nõ posse. Receptos quoq; & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solenni administratione recipio, & admitto. Omnia & singula, quæ de Peccato originali, & de Iustificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita & declarata fuerunt, amplector, & recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium, & propiciatorium sacrificium pro viuis & defunctis: atq; in sanctissimo Eucharistiæ sacramento esse verè, realiter & substantialiter corpus, & sanguinem, vnà cum anima & diuinitate Domini nostri Iesu Christi: fierique conuersionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem: quã conuersionem Catholica Ecclesia transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum atq; integrum Christum, verumq; sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasq; ibi detentas fidelium suffragiis iuuari. Similiter

ri. Similiter & Sanctos, vnà cum Christo regnãtes, venerandos, atq; inuocandos esse: eosq; orationes Deo pro nobis offerre: atq; eorum Reliquias esse venerandas. Firmiter asserro imagines Christi, ac Deiparæ semper virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas, & retinendas esse: atq; eis debitum honorem, ac venerationem impartiendam. Indulgentiarũ etiam potestatem à Christo in Ecclesia relictã fuisse, illarumq; vsum Christiano populo maximè salutarẽ esse affirmo. Sanctam Catholicam, & Apostolicam Romanã Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrem & magistrã agnosco. Romanoq; Pontifici beati Petri Apostolorum Principis successori, ac Iesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo, ac iuro. Cætera item omnia à sacris Canonibus, & Oecumenicis Conciliis, ac præcipuè à sacrosancta Tridẽtina Synodo tradita, definita & declarata indubitanter recipio, atq; profiteor: simulq; contraria omnia, atq; hæreses quascunq; ab Ecclesia damnatas, & reiectas, & anathematizatas, ego pariter damno, reiicio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo saluus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, & immaculatam vsq; ad extremum vitę spiritum constãtissimè Deo adiuuante retinere & confiteri, atq; à meis subditis,

seu illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturũ. Ego idem N. spondeo, voueo, ac iuro: sic me Deus adiuuet, & hæc S. Euangelia.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ ordinationis, inhibitionis, derogationis, voluntatis, statuti, decreti, & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum. Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, Idibus Nouembris. Pontificatus nostri anno quinto. Fœd. Card. Cæsius.

Cæ: Glorierius. H. Cumyn.

ANno à Natiuitate Dñi, Millesimo quingentesimo sexagesimo quarto. Indictione septima: die verò quarta mensis Decembr. Pontific. S S. in Christo patris, & Dñi N. D. Pii Diuina prouidentia Papæ quarti, Anno quinto. Retroscriptæ literæ Apostolicæ affixæ & publicatæ fuerunt ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, ad valuas Cancell. Apostol. & in acie Campi Floræ, dimissis in præfatis locis præsentium retroscriptarum literarũ copiis affixis, vt est moris, per nos Iulium Parinum, & Bernardinum Andreutium, præfibati S. D. N. Papæ Cursores.

Ant. Clerici, Magister Cursorũ.

IN illo tempore. Extollens vocem quædam mulier de turba, dixit ad Iesum: Beatus venter qui te portauit & vbera quæ suxisti. At ille dixit: Quinimò: Beati qui audiunt verbum DEI & custodiunt illud. Luc: xi.

Iudices, ad cognoscendas causas Commissariales Sedis Apostolicæ per Diœceses deputati. Cap: XXXVI.

SAcra Synodus Prouincialis decretum sacrosancti Concilii Tridentini, de deputandis & assignandis in singulis Diœcesibus Iudicibus, quibus postea præter Lociordinarios debent causæ à sancta sede Apostolica, vel eius Legatis, vel Nunciis committi, in exequutionem deducendo, personas infrascriptas in huiusmodi Iudices deputauit, & assignauit. Primo in Diœcesi Gnesneñ ꝛendos ac venerabiles dominos, Clementem Rudnicki Custodem, Ioannem Kokalevvski, Ioannem Rembielinski, Ioannem Sikorski, Iuris vtriusq; Doctores, Ioannem Piotrovvski, Canonicos Gnesneñ: Thomã à Drobnin Canonicum & Officialem Ecclesiæ Collegiatæ Louicieñ. In Diœcesi Cracouieñ: Stanislaum Krasinski Archidiaconum, Martinum Isdbinski de Rusiec Scholasticum, Sigismundum de Stezicza, Iuris vtriusq; Doctores, & Albertum Pruskovvski Archidiaconum Zauichosteñ, in Ecclesia Cracouiensi. In Wladislauiensi, Matthiam Wielicki, Decanum, Iosephum Konarzevvski Archidiaconum, Iuris vtriusq; Doctores: Sebastianum Koskovvski, & Lucam ab Vnieiovv Canonicos Wladislauienses. In Diœcesi Posnaniensi Ioannem Povodovvski Præpositum, Ioannem Piotrovvski Iuris vtriusq; Doctorem, Custodem, Iacobũ Brzeznicki, & Michàélem Slavvinski, Canonicos Posnanieñ. In Diœcesi Ploceñ: Paulum Glogovvski Decanum: Stanislaum Slonski Theologiæ Doctorem, Paulum Makolin Abbatem Vicariumq; in Spiritualibus ac Officialem generalem, necnon Nicolaum Konarski, Canonicos Plocenses.

In Epi-

In Episcopatu VVladislauien alienatores bonorũ Ecclesiæ ad eadem recuperanda, ad contributionemq; pro Seminario soluendam compellendi. Cap: XXXVII.

REuerendissimus D. Episcopus VVladislauiensis, ex decreto sacrosancti Concilii Tridentini, & præsentis Synodi, contra Venerabilem Georgium ab Eden Præpositum Zukouien, cui terminus comparendi authoritate Synodi VVladislauien proximè præteritæ in hac Synodo Prouinciali ea causa præfixus erat, quòd villam Conuentus sui N. quatuor millibus florenorum vendiderit, & alienauerit, tanquam Legatus Apostolicus procedere debet. Similiter contra Abbates Oliuensem, Peplinensem, Coronouiensem, ac Præpositum Zarnouiensem, qui ad Seminarium Anno Domini M. D. LXVIII. in Synodo VVladislauiensi per Reuerendiss: Dominum Episcopum institutum, vigore obligationis suæ, nihil contulerunt.

Nuncii ad S. Sedem Apostolicam, & S. Maiestatem Regiam mittendi.

NVncii ex hac Synodo designati, ad sanctiss. D. N. Gregorium PP. xiij. Rndus D. Iacobus Brzeznicki Canonicus Posnanensis. Ad Sereniss: verò Principem & Dominum. D. Stephanum Dei gratia Regem Poloniæ, &c. Reuerendi domini, Ioannes Demetrius Solikovvski Scholasticus VVladislauien & Lancicien, & Hieronymus Povodovvski Canonicus Posnanensis.

Constitutiones Synodales quando publicandæ.

DEcretum est communi consensu totius Synodi, ne Constitutiones præsentes publicentur, priusquàm sanctissi-

mæ Sedis Apostolicæ literis specialibus fuerint emendatæ, correctæ, & confirmatæ.

Breue Apostolicum Constitutiones Prouinciales confirmans.

IACOBVS VCHANSKI DEI ET APOstolicæ sedis gratia Archiepiscopus Gnesneñ, Legatus natus & Regni Polonię Primas. Reuerendiss. in Christo Patribus Dominis Leopolieñ Archiepiscopo, aliisq; Episcopis Prouinciæ nostræ, fratribus in Christo charissimis. Necnõ vniuersis & singulis, quibus interest, intererit, aut in futurum quomodolibet interesse poterit, Salutem in Domino.

Literas confirmationis suprascriptarum Constitutionum Synodi Prouincialis nostræ nuper celebratæ, mandatiq; sanctissimi in Christo Patris Domini nostri, Domini Gregorii Diuina prouidentia Papæ Tredecimi in pargameno sub forma Breuis scriptas, & Sigillo sub annulo piscatoris more Ro. Cu. obsignatas, sanas, saluas, integras, non viciatas, nec in aliqua parte suspectas noueritis nos cum ea, qua decuit, reuerentia recepisse, huiusmodi verborum sub tenore.

Venerabili fratri Iacobo Archiepiscopo Gnesneñ. Gregorius PP. XIII. Venerabilis frater Salutem & Apostolicã benedictionem. Ex literis fraternitatis tuæ communi cæterorum Episcoporũ Clericorumq; omniũ nomine conscriptis atq; ex Actis Synodi isthic confectæ apertissimè cognouimus, quanta cum laude, & status Ecclesiastici dignitate, ac Dei gloria, versati sitis in re grauissima, atq; à nobis bonisq; omnibus optatissima, in quo etiam certò scimus fuisse tuam operam præstantissimam. Legimus igitur, diligentissimeq; considerauimus eius Synodi Acta & Decreta, eaq; etiam à venerabilibus fratribus nostris Cardinalibus sacri Concilii Tridentini interpretibus considerari voluimus: Fuerunt reperta omnia sapienter pieq; constituta, & tùm Clero tùm Regno

vniuerso

vniuerso conducibilia ac salutaria. Ea igitur remittimus, paucis aliquot tùm mutatis, tùm, vt aptissimè conuenire videbatur appositis. Hortamur igitur, atq; Apostolica auctoritate, quàm à Dei benignitate accepimus, iubemus, vt eius Synodi decreta omnia quàm diligentissimè atq; inuiolatè seruentur. Illud etiam eadem auctoritate prohibemus, ne quis Episcoporum Clericorumúe vtatur Scriba, Consiliario, Secretario, aut alio Officiali hæretico. Docent enim sancti Patres, Hæreticorum hominum non modò conuictum & consuetudinem, sed etiam sermonem vitandum esse: neq; decere illos nimis honorificis verbis appellare: tam exitiosam verò pestem, tamq; Catholicis omnibus infensam nutrire atq; in honore habere, peruersissimum atq; ab omni ratione alienissimum est. Faciet igitur Fraternitas tua, vt hoc nostrum mandatum ad cæteros quoq; fratres Episcopos, quorum cõmuni nomine literas ad nos dedisti, perueniat: quibus autem non poteris has nostras literas coram legere, ad eos exemplũ mittes, hortaberisq;, vt Clericos suos moneant, nostrq; huius voluntatis certiores faciant. Nihil enim est, quod tã cupiamus, quàm Dei gloriam, atq; animarum salutem, vtriq; rei insidiari nunquam desistunt Hæretici. Cætera ex Nuncio nostro cognosces, eiq; fidem tribues. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris, Die xxix. Decemb. M. D. LXXVII. Pontificatus nostri anno sexto. Ant. Buccapadulius.

Quæ omnia & singula præmissa vobis Reuerendiss. Dominis, cæterisq; suprascripis significamus, intimamus, & ad notitiam deducimus. Hortantes easdem, vt omnia & singula tam in prędictis Constitutionibus Synodi, quàm etiam literis Apostolicis contenta & descripta, per Diœceses vestras publicari, & ab omnibus Clericis obseruari curent. Et vt huiusmodi literis Apostolicis fides adhibeatur, ad notitiamq; omnium & singulorum perueniant, exemplum illarum fideliter

de verbo

de verbo ad verbum descriptum, manu nostra propria subscriptum & Sigillo communitum, ad calcem huiusmodi Synodi Prouincialis Constitutionum adscribere & apponere iussimus & mandauimus. Datum in Arce nostra Louicien-si, Die decimanona Mensis Februarii. Anno Domini, Millesimo Quingentesimo Septuagesimo octauo. Indictione sexta. Pontificatus prælibati sanctissimi Domini nostri Papæ Anno sexto. Præsentibus ibidem Reuerendis ac venerabilibus Dominis Sebastiano Magnuszevvski Archidiacono, Ioanne Piotrovvski Custode Louicien: Francisco Lipski Archidiacono Lancicien, Ioanne Sikorski, Ioanne Rembielinski I. V. Doctoribus, & Felice Rembielinski, Gnesnensibus, Stanislao Grochovvski Vnieiouien, Ioanne Makovvski Lancicien, Ecclesiarum Canonicis, testibus.

Idem Iacobus Vchanski
Archiepiscopus qui supra szt. Locus Sigilli.

Statuta Prouincialia debitæ exequutioni demandanda. In quarta Synodo Petricouien.

QVoniam frustra est sententias ferre, & Statuta condere, nisi debitæ exequutioni demandentur: Idcirco omnibus Lociordinariis, aliisq; Iudicibus Prouinciæ Gnesnensis, districtè præcipimus, vt omnia & singula Statuta Prouincialia, noua & vetera, in hoc volumine Statutorum contenta, tam sub fœlici præsidentia ꝑmi Domini Ioannis de Lasko moderni, quàm aliorum antecessorum & successorum suorum edita, maturę debitęq; exequutioni demandare procurent: ne ridiculum sit ea statuere, quorum nullus fructus exitusue futurus esset.

Finis Libri Quinti.

REDVCTIO LITERARVM ET CONSTITVTIONVM fœl: rec: Pii PP. V. pro Mendicantibus, & aliis regularibus, contra Locorum ordinarios, ad terminos Iuris communis & Decretorum Concilii Tridentini.

GREGORIVS EPISCOPVS, Seruus seruorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.

IN tanta rerum & negociorum mole, qua Romanus Pontifex, ex omnibus mundi partibus assiduè premitur, vix euitari potest, ne aliqua interdum exiliant, quibus postea recognitis, necesse est moderationis remedium adhibere. Cùm itaq; alias fœl: recor: Pius Papa v. prædecessor noster, auditis grauaminibus, quæ fratribus ordinum Mendicantium, ab Ordinariis locorum, & Parochialium Ecclesiarum Rectoribus, multis inferri dicebantur, super sacris Canonibus, & lectionibus habendis, confessionibus audiendis, pœnitentiis iniungendis, fratribus ad ordines promouendis, celebratione Missarum, cura animarum, Sacramentorum ministratione, sepulturis, quarta funeralium, legatis, donationibus, eleçmosynis, collectionibus, aliisq; huiusmodi iuribus, necnon Decimis, & diuersis oneribus, ac etiam super statu & regimine Sanctimonialium, ipsis fratribus subiectarum, formatione processuum, censurarum publicatione, processionibus, præcedentia, locorum acquisitione, cæterisq; aliis rebus tunc expressis, multa per quasdam suas literas, pro dictis fratribus, non modo statuerit, sed & quæ iam Concilio Tridentino De-

creta fuerant, ad hæc pertinentia declarauerit, multaq; præterea Priuilegia eisdem xvii. Cal. Iunij, Pontificatus sui anno secundo: & deinde ea omnia diuersis aliis ordinibus, & congregationibus regularium non Mendicantium, etiam per modum cõmunicationis concesserit. Posteà per quandam suam constitutionem de Vicariis perpetuis in Parochialibus Ecclesiis, vnitis per Ordinarios locorum instituendis, & portione illarum Vicariis assignanda, editam, alia super constitutione fratrum eorundem, ad exercitium curæ animarum, in eis Parochialibus Ecclesiis, quæ domibus & locis suis vnita sunt, decreuerit. Demum animaduerso, quòd ea omnia multis dubitationibus inuoluta, magnisq; difficultatibus obstructa, multas magnasq; dissensiones, altercationes, & lites, inter prædictos Locorum ordinarios, & fratrum ipsorum ordines, non sine graui diuini cultus, & animarum detrimento, ac populorum scandalo concitauerant, contra ac ipse sperabat, & præter suam expectationem, vt qui interdum conquereretur, multa aliter alioq; sensu à se prolata fuisse, quàm literis expressa essent. Cupiens his mederi incommodis, primùm illa omnia, quæ regularibus aliorum ordinum, quàm Mendicantium communicauerat, & secundum præmissa concesserat, motu proprio restrinxerit. Deinde pleniùs prouidere volens prioribus literis, à se, quod ad ipsos Mendicantes, magna in parte moderatis, omnes & quascunq; alias literas, quæ de aliis ordinibus, & congregationibus, extra Mendicantium ordines, de obseruantia nuncupatos, emanauerant, omnino aboleuerit, causas omnes iam de his etiam in Romana Curia pendeñ, ad se aduocañ, lites extinguendo, ac formatos super illis processus, latasq; sententias annulando, quemadmodum aliis suis literis in Regiſtro proximè compertis, nunquam tamen publicatis, pleniùs

contine-

continetur. Postremò circa confessariorum regularium, etiam Mendicantium approbationem, iuxta Concilii prædicti decretum faciendam, etiam lectores in Theologia graduatos, & certos alios tunc expressos comprehendi debere declarauerit. Nos hac tanta varietate cognita, quæ etiam ex multiplici literarum & constitutionum editione procedit, præsentibus & futuris discriminibus occurrere volentes, de nobis attributæ potestatis plenitudine statuimus & ordinamus, de prædictis & aliis omnibus literis & constitutionibus, quæ ab eodem prædecessore eisdem de rebus, pro quorumcunq; Regularium, etiam Mendicantium ordinibus, & congregationibus, quomodolibet emanarunt, ac omnibus, & quibuscunq; in eis contentis, eam deinceps dispositionem, atq; decisionem, pro subiecta materia futuram esse, quæ siue ex iure veteri, siue ex sacris dicti Concilii decretis, siue aliâs legitimè, ante dictarum literarum, & constitutionum editionem, erat, ac si ipsæ non emanassent, futura fuisset: ad quam dispositionem & decisionem, suũq; pristinum & integrum statum ac terminum, illa omnia reducimus. Quinetiam tollimus, & abrogamus omnia irritantia, & alia decreta, necnon prohibitiones, declarationes, mandata, & quæcunq; alia ipsis literis & constitutionibus apposita, & aliâs eorum occasione, vel causa facta, his nostris, statuto, ordinationi, & reductioni aduersantia, quibuscunq; illa sint concepta formulis, ac præseruationibus, declarationibus modificantibus, restitutionibus, mentis attestationibus, derogatoriarum derogatoriis, aliisq; fortissimis, efficacissimis, & inuiolabilibus clausulis, etiam motu & potestatis plenitudine similibus, & ex certa scientia, etiam pro conseruatione status regularis, & ex quibuscunq; aliis vrgentissimis causis, quotiescunq; roborata. Decernentes illa omnia pro nullis, & infectis haberi, omnesq;

nesq; supradictos illarum vsu, commodo & effectu carere, ac omnes lites & controuersias, quæ coram quibusuis Iudicibus, siue Ordinariis, siue Commissariis, etiam causarum Palacii Apostolici auditoribus, & S. R. Ecclesiæ Cardinalibus, etiam de Latere legatis, prædictarum literarum & constitutionum occasione super præmissis iam motæ sunt, necdum decisæ aut finitæ, vel etiam quæ iam decisæ sunt, si modo tractum habeant successiuum, easq; rursus, & inter quoscunq; excitari in posterum contingat, secundum prædictam dispositionẽm, nec aliter decidendas. Futura verò dubia, & difficultates, quandocunq;, & vbicunq; orientur, ad nos & Sedem Apostolicam, vbi & cætera, quæ ad decreta dicti Concilii pertinent, quotidie declarantur, omnino referenda esse, necnon irritum & inane, quicquid secus super his, per quoscunq;, scienter, vel ignoranter cõtigerit attentari. Mandamus itaq; in virtute sanctæ obedientiæ, præsentes ab omnibus vbiq; Episcopis, & Locorum ordinariis: necnon Ecclesiarũ Prælatis, Rectoribus, fratribusq; prædictis, ac cæteris ad quos pertinet, semper inuiolata obseruari, non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis: necnon Ecclesiarum, Monasteriorum, Conuentuum, domorum, locorum, & ordinum quorumcunq; iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, Priuilegiisq;, indultis & literis Apostolicis, etiam Mare magnum, & Bulla aurea nuncupatis, dictis Ecclesiis, ordinibus, & congregationibus, quomodolibet concessis, & confirmatis. Quibus omnibus etiam si de illis, eorumq; totis tenoribus, specialis, expressa, indiuida, & ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quæuis alia expresio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores

huiusmodi,

huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus, pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permãsuris, hac vice dũtaxat specialiter & expresse derogamus: cæterisq; contrariis quibuscunq;. Vt autem præsentes omnibus plenius innotescant, volumus eorum exempla fieri, & etiam imprimi, illisq; Notarii publici manu, & Curiæ Ecclesiasticæ, vel Prælati, aut personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, sigillo obsignatis, eandem illam prorsus fidem in iudicio & extra illud vbiq; locorum adhiberi, quæ adhiberetur eisdem præsentibus, si essent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ ordinationis, statuti, reductionis, ablationis, abrogationis, decreti, mandati, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipoteutis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum. Anno Incarnationis Dominicæ, M. D. LXX secundo. Cal. Martii. Pontificatus nostri anno primo. Cæ: Gloricrius.

LITERÆ NVNCII APOSTOLICI ad Abbates & Præpositos ordinis Cistercienſis, in eadem Congregatione productæ.

IOAnnes Andreas Calligarius, Sanctissimi in Christo patris, & Domini nostri, Domini Gregorii, diuina prouidentia PP. xiii. in vtraq; signatura Referendarius, ac Prælatus domesticus, eiusq;, ac S. Sedis Apostolicæ ad

Sereniſsimum Principem Stephanum Regem Poloniæ, omniaq; alia dominia, & loca eidem Regi quomodolibet ſubiecta, cum poteſtate Legati de Latere Nuncius: Vniuerſis & ſingulis Abbatibus & Præpoſitis ordinis Ciſtercienſis, in Regno Poloniæ vbilibet exiſtentibus: Salutem in Domino, cum indubitata notitia ſubſcriptorum. Noueritis quòd præfatus Sanctiſsimus in Chriſto pater, & Dominus noſter, Dominus Gregorius, Diuina prouidentia PP. xiii. in diſceſſu noſtro à Romana Curia ad hoc nobiliſsimum Poloniæ Regnum, inter cætera expreſsè mandauit, vt literas ſuas in forma Breuis, vobis omnibus, & cuilibet veſtrum directas, perſonaliter intimaremus & præſentaremus, ſeu præſentari, & intimari faceremus, huiuſmodi ſub tenore. GREgorius PP. XIII. Dilecti filii: Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Quod vos pro veſtro officio, proq; ea cura & diligentia, qua debet vnuſquisq; veſtrum verſari in munere ſibi à Domino Ieſu Chriſto commiſſo, conari atq; efficere debetis, vt Eccleſiaſtica, & regularis diſciplina, iis in locis, in quibus incorrupta eſt, retineatur: Vbi verò deprauata aut collapſa, reſtituatur. Hoc nobis quidem vt faciatis monere, vobis verò omni ſtudio curare atq; agere, eſt perneceſſarium. Noſtis enim quantopere hoc ſtudium pertineat ad Dei gloriam, atq; animarum ſalutem, hoc eſt ad eum finem, quem vnum oportet eſſe omnibus Catholicis Paſtoribus propoſitum. Hortamur igitur, vt in hanc cauſam toto pectore incumbatis. Qua etiam de re vobiſcũ aget noſtris verbis dilectus filius Ioannes Andreas Calligarius, vtriuſq; noſtræ ſignaturæ Referendarius, vir in multis, grauiſsimisq; negociis, prudentia, integritate, pietate ſpectatiſsimus, quem fecimus in iſto Regno noſtrum, & Apoſtolicæ Sedis Nuncium ordinarium: Ei omnibus in rebus fidem tribuatis.

Datum

Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die ix. Aprilis. 1578. Pontificatus nostri anno sexto.

Nos igitur volentes mandata Apostolica, quantum in nobis est, studiosè exequi, præfatas literas, in forma Breuis, de verbo ad verbum fideliter, per Notarium nostrum infrascriptum exemplatas, vobis omnibus, & cuilibet vestrum, præsentium tenore intimamus, & notificamus: rogantes vos, & quemlibet vestrum per viscera misericordiæ Domini nostri Iesu Christi, quatenus velitis, & quilibet vestrum, eas diligenter & attentè legere, & postquàm perlectæ fuerint, sedulò ad exequutionem deducere. Ita enim fiet, vt & officii vestri memores, & mandatorum Apostolicorum inprimis obedientes, omnipotentis Dei gratiam promereamini, ad salutem animarum, & ad sanctæ Ecclesiæ Catholicæ decus, & honorem. Valete. Cracouiæ die xxx. Mensis Augusti. Anno ab Incarnatione Domini nostri Iesu Christi, Millesimo, quingentesimo, septuagesimo octauo. Prælibati Sanctissimi D. N. PP. Pontificatus, anno septimo.

Io: Andreas Calligarius Referendarius & Nuncius Apostolicus sscr.

INDEX

INDEX OMNIVM IN Constitutionibus Synodalibus contentorum locupletissimus.

A

Abbates.
- Seculares eligi non debent, nec à Lociordinario benedici, nisi Regulares & Professi 13. 14. 90.
- Ad Synodos Prouinciales venire debent, si non per se, saltem per Nuncios 20.
- Exempti, in Synodis possunt vti mitris aurifrigiatis. 20.
- Non exempti, planis duntaxat mitris & albis vtantur 20.
- In Gymnasiis Monachos aptos ad studia foueant 25.
- Aut in studijs foueant Scholares, aut ad seminaria pecuniam conferant 58. 88.
- Cæteriq; Prælati, infra terminum vnius anni, omnia bona alienata recuperent, sub pœna depositionis 69.
- Et quicunq; tandem alij, nullas venditiones, donationes, concessiones, locationes, permutationes, emphitheoses, sine consensu Lociordinarij, attentare præsumant 69.
- Et Prælati religiosi, fratres ordinis sui in studijs foueant, Cracouiæ præsertim 88.
- Et Præpositi Capellas Monasteriorum diligenter curent 90.
- Sua Monasteria reforment 137.
- Prænoniti, ad Synodum leui de causa non venientes, quomodo puniendi 144.

Abbatia vel Præpositura vacante, Episcopus de medio Capituli aliquem mittat, qui electioni interfit 89.

Abrogatio Statuti, de solis Nobilibus in Abbates eligendis 13.

Abbas Trzemesnensis, superior loco Abbate Mogilnensi in Synodis 37.

Adulteria irremissibiliter punienda 131.

Agendorum Liber, cum exhortationibus Polonicis diligenter edatur 35.

Agendorum Liber nuper editus, in omnibus Ecclesiis habeatur 172.

Alienatio bonorum Ecclesiasticorum seuerè prohibetur 68 91.

Annus gratiæ 73.

Appellatio in causis criminalibus Clericis à sententia lata appellantibus suffragari non debet, quinimo appellatione non obstante puniantur 48.

Appellatio in causis Matrimonij, iuxta commune ius obseruari debet 48.

Appellatio

Appellatio quomodo ad Iudicem deferri debeat 93.
Apostatæ ad Ecclesias regendas, vel earum vicarias nullatenus admittantur 131.
Aquam, pascua, & id genus alia Spiritualibus prohibentes, ipso facto excommunicantur 104.
Abusuum per fratres religiosos induci solitorum correctio 146.

Archiepiscopus
- Causas per appellationem ad se deuolutas delegare potest, subditis Suffraganeorum suorum 2.
- Et Episcopi, ad Archidiaconatū vacantem proponere debent Capitulo duos qualificatos, ex quibus eligat digniorem 10.
- Contra Episcopos negligentes, ex officio iure mediante procedat, & eorum defectus suppleat 15. 19.
- In corrigendis Episcopis negligens, per Capitula maiori Sedi Apostolicæ deferatur 15.
- Teneatur Synodū Prouincialem infra trienniū conuocare 20
- Viciniores Cōepiscopos, & Capitula de loco Synodi Prouincialis celebrandæ consulat 21.
- Synodum Prouincialem celebraturus, Episcopos & Capitula auiset, & simul causas Synodi celebrandæ explicet 21.
- Fungatur officio legationis natæ 22.
- Causas extra Diœcesim non commitat, excepto periculo, quod sibi imminere probauerit actor 22.
- Et Episcopi inquisitores hæreticæ prauitatis instituant 23.
- Et Episcopi Regiæ Maiestati in suis Diœcesibus existenti de Concionatore optimo prouideant 24.
- Absentes à Synodo non corrigens, Iudicio Synodi Prouincialis subiaceat 32.
- Negligens, nolens subiacere iudicio Synodi Prouincialis, ad Sedem Apostolicam deferatur. 32.
- Et Episcopi in suis bonis hospitalitatem exerceant, maximè verò erga Capitulares suos 33.
- Et Episcopi Procuratores causarum, pro defensione pauperum, in Curijs suis seruent 33.
- Et Episcopi officio suo intendant, vitæq; integritati alijs præluceant 34.
- Et Episcopi, luxum & fastum fugiant 34.
- Et Episcopi, Prælatis & Canonicis Ecclesiarum suarū debitum honorē deferant, & eos vt fratres suo fauore prosequātur 48.
- Et Episcopi in Abbatibus & Præpositis electis confirmandis, non se difficiles præbeant 88.

Archiepiſcopus
- Et Epiſcopi ad ferendum defenſionis ſubſidium nomine Cleri, non conſentiant, donec Priuilegia Eccleſiaſtica, in exequutionem reſtituantur 94.
- Et Epiſcopi Vniuerſitatẽ Cracouienſem reformare debẽt 110.
- Et Epiſcopi pecuniariam ſummam Academiæ Cracouienſi, per Synodum decretam, quotannis numerent 111.
- Epiſcopiq; , Archidiaconis , vices ſuas, quo ad correctionem, morum non committant 144.
- Et Epiſcopi contra inſordeſcentes vltra annum quomodo procedent 156

Archiepiſcopi negligentis Synodũ Prouincialem pœna, & per quem exigẽda 20.
Archiepiſcopi non modò ſuas Diœceſes, verumetiam Prouinciales viſitent 21.
Archiepiſcopi & Epiſcopi curias ſuas honeſtè inſtituant, Prædicatores, Confeſſores, & Iuriſperitos foueant
Archiepiſcopo liberum eſt, ex quacunq; Diœceſi trahere ad ſe partes reas 22.
Archiepiſcoporum & Epiſcoporum familia qualis eſſe debeat 34.

Archidiaconi.
- Quales eſſe debeant 10.
- Aſſumi non debent, niſi per electionem 10.
- Reſidere tenentur, alioqui per ſubtractionem fructuum puniendi 11.
- Per triennium viſitent Parochos 18.
- Viſitantes, nihil extorqueant 18.
- Penes Eccleſias reſideant, & eas per ſe viſitent 18.
- Legitimè electi, non tamen promoti, infra ſex Menſes promoueri curent, ſub priuatione 19.
- Nominatio, & electio, carere debet omni colluſione 19.

Archidiaconatus vigore gratiarum, expectatiuarum, & alia quauis authoritate, nulli conferri poſſunt 11.
Archidiacono Clericos examinanti, qui ſunt adiungendi 17.
Archidiaconalis viſitationis modus 18.
Archidiaconatus, ſine electione legitima adepti infra ſex Menſes reſignari cogantur. 19.
Archidiaconatus, qualificatis perſonis conferantur 58.
Arendationes bonorum Eccleſiaſticorum prohibitæ 50. 70.
Articuli Ioannis Vicleff, & Ioannis Hus, anathematiſantur 96.

B.

Baccalaurei, in minoribus Ciuitatibus præficiantur Scholis 110.
Banna ſeu denunciationes ante Matrimonia obſeruentur 56.

Baptismi requisita 100.
Beneficia Ecclesiastica, non conferantur iis, qui ad minus biennium in Gimnasio aliquo vniuersali non studuerint. 58.
Beneficia qualibus conferenda 55.
Beneficia noua non erigantur, super censibus reemptionis in bonis ad bellicam expeditionem obligatis 91.
Bibliothecæ visitentur, & Libri venales reuideantur 26.
Bona Monasteriorum, & alia Ecclesiastica, nobilitas grauare, & angariare non debet 105.

Bulla
- Cœnæ Domini sæpius promulganda 173.
- Cœnæ Domini 174.
- Apostolica super electione Archidiaconorum 11.
- Apostolica Legationis Natæ 22.
- Apostolica de non recipiendis plebeis ad Cathedrales Ecclesias vltra numerum quatuor 58.
- Apostolica de Noualibus 81.
- Exequutorialis super Noualibus 83.
- Apostolica, contra errores Martini Luteri & sequacium 117.
- Prouincialis in Concilio Lateranensi obtenta, à Synodo Prouinciali recepta 138.
- Super ordinatione & promotione Doctorum, & aliorum cuiuscunq; artis & facultatis professorum 182.

C.

Canonici absentes ad electiones Prælatorum, alienationes, seu obligationes bonorum, & quæuis ardua negotia sunt vocandi 3.
Canonicatus qualificatis personis assignati, nullis aliis personis conferri possūt 12
Canonici steriles & ociosi, ad officium compellendi 33.
Canonici Regulares quomodo se gerere debeant 86. 87.
Campanatores & Sanctuarij in Ecclesiis superpilliciati incedant 51.
Capitula Ecclesiarum Cathedralium ad Synodum Prouincialem vocentur 21.
Capitula quales recipere debeant 30.
Capitula suos Episcopos officij diligenter admonere debent 36.
Capitula semel in triennio bona Episcopalia visitent 37. 69.
Capitula, in Collegiatis Ecclesiis saltem in anno semel celebrentur 55.
Capitanei arcium Episcopalium iurare teneantur Capitulis 46.
Commissarij & Visitatores Monasteria sumptibus non grauent 90.
Censuras Ecclesiasticas tolerantes quomodo ad solutionem cogendi. 137.
Collectorum circa exigendas Contributiones informatio 95.

Concessiones etiam Apostolicæ, beneficiorum Scholæ Cracouiensi assignatorum, nemini suffragantur, nisi consensu medietatis Doctorum accedente 12.
Concionatores circa Ecclesias Ordinarij seruent 24.
Concionatores, quos libros necessario legere debeant 24. 32.
Confessarij qualitas, locus, & discretio 145.
Confessor idoneus eligendus, sed in casibus Episcopi non potest dispensare 148.
Confirmatio. Statuti de iucundo ingressu 12.
Confirmatio. De mercede Notariorum pro Inuestituris 12.
Confirmatio. De Oeconomo per Episcopos eligendo 13.
Consuetudines bonæ & rationabiles ab omnibus obseruentur 1.
Consuetudo madidandi homines in festo Paschatis penitus abroganda 2.
De censibus & exactionibus 91.
Causæ & actiones ad forum Spirituale spectantes 42.
Causæ mixti fori 43.
De Confessione fidei facienda 128. 165. 184.
Confessionem fidei, vide 165 184.
Consuetudines, quæ grauamen Ecclesiæ inducunt, inualidæ 2.
Consuetudo iurandi contra publicã veritatem reprobatur & penitus aboletur 2.
Conspirationes in negocijs Ecclesiasticis facientes excommunicantur 3.
Conspirationes, & coniurationes illicitæ inter personas Ecclesiasticas exortæ, per priuationem beneficij puniantur 45.
Contra Colones seu Cmetones, vltra annum censuras Ecclesiasticas sustinentes, quomodo procedendum 137.
Christiani cum Iudæis nullum commercium habeant, necp; cum eis conuiuari præsumant 113. & sequentia.
Census reemptionalis licìti modus & leges 70.
Concubinis & filijs suis Sacerdotes nil legare possunt 71.
Clausura Monialium, quomodo custodiri debeant 50.
Clericus extra suam Diœcesem peregrinari non præsumat, absq; licentia Diœcesani 17.
Clericus peregrinans, in locum suum, alium Sacerdotem sufficiat ibidem.
Clericus excommunicatus non ministret 136.
Clericus, alterius Decimam rapiens, quomodo puniendus 144.
Clericus sine legittima causa se absẽtans, à curato beneficio ipso facto priuetur 18
Clerici. Apti & diligenter examinati ad Sacerdotium promoueantur 17.
Clerici. Plura beneficia curata occupare non permittantur, exceptis ijs, cum quibus est dispensatum 25.
Clerici. Per Procuratores suas causas agere possunt 38.
Clerici. In Iudicijs secularibus non procurent nisi in causis suis & Ecclesiarũ suarum, miserabiliumq;, ac consanguineorum suorum 38.

Taber-

Clerici
- Tabernas frequentantes pœna arbitraria per Ordinarium puniatur 49.
- Metas ordinis sui excedentes & incõtinentes, ab Ordinarijs puniatur 53
- Decimare recusantes, vt pro voto valorem Decimæ extorqueant, puiantur 79.
- Quo cultu & habitu vti, & quo abstinere debeant 51.
- Nouiter ordinati ad nouas Missas non mendicent, & in conuiurijs primitiarum non plus vna die se occupent 98.
- Aliarum Diœcesum, sine literis commendatitijs ministrare non permittantur 99.
- Et Monachi non se immisceant secularibus negocijs, neq; negotiationes exerceant 107.
- Tam seculares, quàm regulares vltra annum Ecclesiasticas Censuras sustinentes deponantur 136.
- Habitu suo abutentes, quomodo puniendi 144.
- Contentiosi, potatores, percussores, sacrilegi, concubinarij, adulteri pro modo culpæ puniantur 144.
- Iniurijs affecti ad Iudices tam seculares, quàm Spirituales pro consequenda iustitia adibunt 158.
- Cum subditis Ecclesiarum, non à factoribus, vel Capitaneis Ordinariorum, sed à Vicarijs in Spiritualibus iudicentur 41.

Consultationes in conuentionibus generalibus diebus festis fieri non debent 24.
Clerus Priuilegia libertatum suarum non temerè demonstret 107.
Crapula & ebrietas vitanda 169. 51.
Cridæ ante institutionem premittantur 56.
Christianus homo sanctorum Patrum regulis & statutis vitam suam regat 157.
Contributionis soluendæ & ab absentibus exigendæ modus 93.
Contributio sine consensu Capituli & Cleri non instituenda 94.

D.

Decani ruralis officium 36.
Decimarum raptores ipso facto excommunicantur 77.
Decimas manipulares Clerici in pecuniariam pensionem non permutent 78.
Decimarum solutio, ex molendinis, mineris & fodinis, secundum veterem consuetudinem pendatur 80.
Decimæ à dominis fundi, ante festum Sancti Iacobi emantur 80.
Decretum Concilij Constantiensis de communione sub vna specie 96.
Denarius S. Petri, quomodo exigendus 91.
Diaconi infra annum, ad Presbyteratus gradum promoueri debent 98.
Differentiæ nobilium de locis prioribus in Ecclesiis, in foro Ecclesiastico decidantur 91.

Dispensationes moderandæ 149.
Dispensatores circa Ecclesias duo eligendi, qui singulis annis rationem faciãt 68.
Doctores in Cathedralibus Ecclesiis instituti, in suis professionibus legant, si verò negligentes fuerint, ab Ordinarijs puniantur 113.
Dominus Coloni sui profugi agrum excolens, Decimas & prouentus Ecclesiasticos de more pendat 79.

E.

Ecclesiæ
- Desolatæ visitentur 33.
- Vacanti, ex certis causis Oeconomus detur 45.
- Prophanatæ sepulturis Hæreticorum, quomodo reconcilientur 75.
- Extructæ, qualiter dos assignanda 102.

Ecclesia
- Polluta, Cimiterium etiam polluitur 95.
- Quibus excessibus polluatur 96.
- Aedificari nõ potest, nisi prius lapis primarius per Epũm ponatur 102.

Ecclesiarum & Cimiteriorum violatio 106.
Ecclesiarum violatoribus qualibuscunq; Episcopi non parcant 106.
Ecclesiis vacantibus, quot modis prouidetur 3.
Electio Episcopi quomodo fiat per Scrutinium 4.
Electio Episcopi per Compromissum qualis esse debeat 7.
Edictum Sigismundi Regis contra Hæreticos 126.
Ecclesiastica bona hæresi infectis non committantur 129.
Edictum Sigismundi Augusti Regis in negocio religionis 130.
Electio per inspirationem 9.
Electoribus liberum arbitrium conseruandum 10.
Electionem quoquo modo impedientes, aut se intrudentes, excommunicantur ipso facto 10.
Electores, contra Canones electionem celebrantes, quomodo puniendi 10.
Electus ante Confirmationem in administrationem bonorum se intromittens ius quæsitum amittit 10.
Emptor rei prædatæ tenetur ad restitutionem 69.

Episcopus.
- Quilibet Officialem suum habeat 19.
- Vnus semper in Curia Regis maneat 30.
- Varmiensis & Culmensis ad Synodum venire sint obstricti 27.

Episcopi
- Cum illegitimis in quibus dispensare possint 17.
- Negligentiã in constituendo Officiali Metropolitanus supplebit 19.
- Diebus solennioribus Missas celebrent, verbum Dei prædicent, populum benedicant 21.
- Carceres pro corrigendis excessiuis circa Ecclesias Cathedrales habeant 21.
- A seipsis reformationem incipere debent & quomodo 24. 53.

Epiſcopi
- Per ſe viſitent ſuas Diœceſes, & Curias ſuas reforment 25.
- Circa Eccleſias ſuas reſideant 27.
- Synodis interſint 27.
- Quomodo ſe gerere debeant 30. 49.
- Caſtra & Curias, & quæcunq; ædificia collapſa reſtaurent 27.
- Sacerdotum oppreſſorum cauſas ſumptu ſuo agere debent 27.
- Hæreticos in Curijs ſuis non ferant, nec libros hæreticorũ legant 28.
- Diſputationes de fide, cum ſecularibus, ad menſas ſuas fieri non permittant 28.
- Quomodo ſe circa menſam gerere debeant 28.
- Seruitores honeſtos habeant, & eos ad Sacramentum in templis terga vertere prohibeant 28.
- Theologos foueant 28.
- Religioſi à Rochetis abſtineant 29.
- Et Prælati, tàm per ſe, quàm per factores ſuos, ſubditos Eccleſiaſticos grauare non debent 29.
- Decimas in bonis ſuis quibus competunt liberas eſſe mandent 29.
- In Comitijs contra libertatem Eccleſiaſticam nihil ſtatui permittant, alioqui dilationem ad ſua Capitula petant 29.
- Studioſos literarum ſuis ſumptibus alant, qui poſtea in vinea Domini laborent 29.

Epiſcopi
- In ſingulis Collegiatis Eccleſiis duas Præbendas & Canonicatus, vnam pro Theologo, alterã ꝓ Iuriſperito, perpetuis tẽporibus aſsignent 29.
- Parochialibus Eccleſiis deſolatis prouideant 30.
- Domibus ſuis irreprehenſibiliter præſint 30.
- Hæreticorum conſuetudinem fugiant 30.
- Sæpè Eccleſias ſuas Cathedrales, & Collegiatas viſitent Ibidem. 35.
- Mutua opera, & communi conſilio hæreſes extirpare ſtudeant Ibidem.
- Non arendent Eccleſiaſtica bona Ibidem.

Epiſcopi
- Circa vſum profeſsionum ſuarum quomodo ſeſe gerere debeant 31.
- Prouentus Eccleſiarum, quoad fieri poterit, recuperent, & ex manibus Hæreticorum vindicent 34.
- Plebem ſuis templis ſpoliatam, vicinioribus Parochis Catholicis commendent Ibidem.
- Eccleſiarum prophanatarum prouentus diligenter conſcriptos in Eccleſiis Cathedralibus conſeruent Ibidem.
- Sacerdotes ſpoliatos ſuis prouentibus ad ſe recipiant 35.
- In vita & moribus Clerum reforment 35.
- Clericos non reſidentes ad reſidentiam compellant 35.
- Duas Præbendas & Canonicatus in Collegiatis Eccleſiis, vnam pro Cõcionatore, alteram pro Pœnitentiario perpetuò deſignent 35.

Epiſcopi
- Lithuaniæ & Ruſsiæ poſſunt per Nuncios in Synodis Prouincialibus negocia Eccleſiaſtica peragere 35.
- Ex religioſis creati, habitum ordinis ſui deferant 49.
- Deprauatã conſuetudinẽ bibendi, pro ſalute alicuius, vitare debẽt 15. 169
- Seculares, menſis ſuis in publico aſsideant 54.
- Sine conſenſu Capituli, etiam ad pias cauſas bona Eccleſiæ alienare non poſſunt 69.
- Pro defuncto Epiſcopo, ſemel iuſta obeant 75.
- Lithuanici diligenter apud Regem curent, vt quamplures Eccleſiæ Parochiales in Lithuania extrui poſsint 76.
- Decimas ſoluant ſub pœna tripli 80.
- Debita onera, circa ſumptus Eccleſiarum expleant 103.
- In ſuborta alicui illorum difficultate mutuã ſibi operam præſtent 104.
- Suas iuriſdictiones locare non debent 190.

Epiſcoporũ negligentiæ, circa Synodos Diœceſanas, pœna, & per quẽ exigẽda 20
Epiſcoporum Curiæ, virtutum domicilia haberi debent 34.
Epiſcopis iniuriæ illatæ à Principibus, quomodo expiandæ. 143.
Excommunicantur omnes, ſtatuta aliqua in derogationem Eccleſiaſticorum libertatum promulgantes 105.
Excommunicati inſordeſcentes, confiſcatione puniantur 150.
Excõmunicati, & aliis cenſuris innodati, non niſi citata parte abſoluendi 151.
De ſententia excommunicationis, Vide 149.
Excommunicati, ab omni conſuetudine deuitandi 155.
Excommunicationes leui de cauſa non ſunt faciendæ 157.
Excommunicati in Iudicijs locum non habeant, neq; ad teſtimonia admittantur 157.

F.

Fabricam Eccleſiæ Epiſcopus cum Capitulo ſoluat ſemper 102.
Falſarij Clerici & laici quomodo puniendi 136.
Falſitatibus Clericorum, quomodo obuiandum Ibidem.
Ferculorum modus Clericis præſcribitur 52.
Feſtorum celebrium enumeratio 44.
Forma literarum contra nobiles inſordeſcentes 151.
Fora annalia vel nundinæ diebus Feſtis prohibentur 44. 106.
Forum competens 40.
Fides non ſubiaceat rationi 1.
Fratrum mendicantium, vt ſit certus numerus, Epiſcopus Diœceſis curet 137.
Fratres Conuentuales monendi per Epiſcopum, vt in ſuis Eccleſiis habeant Prædicatores

Prædicatores & Pœnitentiarios viros doctos, quos Lociordinario singulis annis præsentent 149.
Fructus & prouentus non residentis Archidiaconi, in distributionem residentium conuertatur 12.
Funus Spiritualium quomodo sit obeundum 74.
Funera Ordinariorum intra quindecim dies sepeliantur 75.

G.

Guardiani & Priores, Prædicatores & Confessores suos, Lociordinario singulis annis præsentent 88.

H.

Habitus religiosorum qualis 86.
Hæretici omnes, & fautores, receptoresq; eorum, excommunicantur 116.
Homiliarum liber, cum Cathechismo, lingua Polonica diligenter edatur 35.
Horæ Canonicæ in Cathedralibus & Collegiatis Ecclesiis per Vicarios decantentur 98.
Horas Canonicas quilibet beneficium habens orare tenetur 100.
Hospitalia diligenter prouideantur 33.

I.

Ieiunia & Vigiliæ non violentur 102.
Illegittimus dispensatus à Papa ad curatum beneficium, duo simul beneficia non potest obtinere 17.
Immunitas Ecclesiarum, circa malefactores deprehensos, non violetur 104.
Impressores nihil ōnino imprimere audeāt priusq; à Lociordinariis reuideat 26
Indulgētię assignatę his, q circa Missā Synodi, puincialis deuoti interfuerint 21
Indulgentiæ concessæ iis, qui venerabile Sacramentum, quum ad infirmos defertur, secuti fuerint 21.
Indulgentiarum concedendarum modus 148.
Infantes expositi, in Xenodochium deferri debent 76.
Inhibitiones Mtātis Regiæ in causis Spūalib. ad Officiales valere nō debent 41
Instituendorum ad curata beneficia requisita 16.
Institui ad beneficium nemo potest, nisi priùs suo superiori obedientiam & reuerentiam iuret 57.
Institui nemo debet, nisi confessione fidei facta 57.
Institui ad Præbendas & Canonicatus quales debent 58.
Inquisitores duo iurati, visitationū Archidiaconaliū, p Epūm designandi 18.
Interdictum Ecclesiasticū soli Locorumordinarii fulminare debent 157.
Intestatorum bona, Ordinarii ad pia opera conuertant 74.
Incolæ Regni filios contra edictum publicum in Germaniam ad Vniuersitates hæresi infectas non mittant 112.
Cum Iudæis nullum commercium habendum 113.

INDEX.

Iudæi circulum panni rubei pro signo ante pectus gestent 114.
Iudæi inter Christianos permixti non habitent ibidem.
Vnicam tantum habeant Sinagogam 114.
Iudæis Christiani non seruiant 115.
Iudices Ecclesiastici in causarum decisionibus quid sequi debeant 2.
Iudices Seculares ad sua iudicia Clericos, & homines in bonis Ecclesiæ degentes, non euocent 40. & sequent.
Iudicia Ecclesiastica securitate prouideantur 27.
Iuramentū ab Ordinario in receptione ad Ecclesiam quomodo præstandum 45.
Iuramenta Sacerdotibus vitanda 46.
De Iureiurando 45.
Iuramentum etiam iudicialiter delatum Clericus in manibus Iudicis Secularis non præstet 47.
De Iurepatronatus 90.
Iuspatronatus amittit, qui spoliat Ecclesiam & domum Plebani 90.

L

Laici de fide disputare non debent 1.
Leges condere salutares, ridiculum est, si non exequantur 2.
Liber harum Constitutionum in omnibus Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis in Choro habendus 1.
Libri { Cuilibet Parocho necessario habendi 24. / Hæreseos suspecti in Scholis non legantur 111. / Hæretici inuehi, vendi, multi etiam magis legi prohibentur 25.
Limitum differentias inter Ecclesiasticas personas Ordinarii component 43.
Litigantes in foro Spirituali, à sui Iuris prosecutione nemo impediat 104.
Lociordinarij super Abbates animaduertant diligenter 14.
Lociordinarij in exequendis statutis Prouincialibus negligentes, per Capitula Archiepiscopo deferantur 15.
Lociordinariorum negligentia per Capitula quomodo suppleri debeat 15.
Locior-dinarij { In suis Diœcesibus Bibliothecas visitent, saltem semel in anno 26. / Viros doctos seruent 28. / Quales Cancellarios habere debeant 28. 34. / Ad mensam lectiones sacras audiant 34. / Circa mensas, cantilenas prophanas decãtari non permittant 34. / Circa suas Ecclesias resideant 35. / Clerum ab iniurijs & oppressionibus defendant 36. / Hospitalia procurent, ijsq; de bonis Ecclesiasticis largè prouideant 33. / Prælatis & Canonicis Ecclesiarum suarum debitum honorem exhibeant, nec asperis verbis eos afficiant 37.
Loca Synodis Prouincialibus celebrandis designata 25.

M.

Magistri in maioribus Ciuitatibus Scholis præficiantur 110. 111.

Mandatum Regis ad Capitaneos de auxilio ferendo Lociordinariis in perquirendis libris Hæreticorum 26.
De Sacramento Matrimonij Decretũ Cõcilij Tridentini, vide 158. & sequẽ.
Medicorum corporis officium 145.
Missalia ex agrorum cultura solui debent 78.
Missas plures vna die, excepta solennitate natalis Domini, Sacerdoti celebrare non licet 97.
Missas in loco ventoso seu periculoso, vel inhonesto, celebrare non licet 97.
Missas frequenter celebrare omnes Presbyteri & Sacerdotes sunt adstricti 98.
Missæ duæ simul cantari non possunt in eodem templo 97.
Missa in altari summo Ecclesiæ Cathedralis, non nisi à Canonico celebretur 98.
Missa legi debet vt ab astantibus audiatur 99.
Monachus non nisi dudum professus in Abbatem assumatur 86.
Monachi nihil accipiant inscio superiore eiusdem Monasterij 86.
Monachi
- Nouitij adulti post annum professionem facere recusantes, Monasterio pellantur 86.
- Et Moniales nihil proprij habeant 86.
- Septa Monasterij nõ egrediãtur, sine ꝓmissione sui superioris 87.
- Parochialibus Ecclesiis præesse non possunt 87.
- Apostatas inuentos puniant 86.
- Non se immisceant in administrationem Plebanorum 88.
- Et religiosi certis horis se in lectionibus sacris exerceant 89.
- Non mendicantes vagi, ad celebrationem non admittantur 59.
- Non se immisceant secularibus negotijs 107.

Moniales nihil accipiant inscia Abbatissa 86.
Monialium claustra nullus ingredi audeat 50.
Moniales in suis Monasterijs se contineant 50.
Moniales claustra sua habeant clausa: reformationem verò ad minus semel in anno habeant 137.
Monasteriorum Priuilegia Ordinarij reuideant, & eorum intermissum vsum restitui curent 89.
Munera ab examinandis, etiam vltrò offerentibus, non accipienda sub qua pœna.

N.

Negociationes Sacerdotibus omnino interdictæ 107.
Notarij publici
- Creationis suæ testimonia Lociordinario, vel eius Officiali ostendere debent 47.
- Salaria non exigant vltra taxam debitam 47.

Notarij Suffraganeorũ, quantum à literis Ordinatorũ accipere debeant 95. 108.
Notariis Curiarum à literis institutionum præscribitur salarium 108.
Notarij exactiones iniustas extorquentes pœna dupli puniantur Ibidem.
Notariorum excessus Episcopus puniat Ibidem.
Nundinæ & fora annalia, diebus festis non celebrentur 44. 106.

O.

Obligationes secularium personarum, in Actis Ecclesiasticis factæ, firmæ & legittimæ sunt 41.
Officialis sigillum Curiæ Domini sui habeat, pro citationibus, & alijs actis 19.
Onera Ecclesiis non sunt imponenda sub excommunicatione 104.
Ordinandorum requisita 16.
Ordinandi prius confiteri debent confessori ad hoc deputato, qui etiam casus reseruatos habebit potestatem dispensandi 16.
Ordinarij
- Statuta Prouincialia,& ipsi obseruent,& ab alijs obseruari faciant 2.
- Deputent viros doctos,ad examinandos eos qui sunt ordinandi 16. 17.
- In ipso initio ordinationis excommunicationem proferant, contra furtiuè ad ordines accedentes 16.
- Instituendos ad curata beneficia examinent Ibidem.
- Doctos Concionatores in suis Ecclesiis habeant, idemq; per Parochos fieri curent 28.
- Canonicos per subtractionem prouentuũ ad ordines compellant 33.
- Contributionem, extra Synodum Prouincialem generalem, non nisi cum consensu Capitulorum instituant 94.
- Quoties necessitate vrgente contributionem in Clerum statuent prius ipsi pendant. 94.

Ordinari nemo potest, nisi habeat literas dimissoriales & sufficiens suæ conuersationis testimonium 16.
Ordinari non debent, qui apud Hæreticos studuerunt 17.
Ordinarius Prælatum vel Canonicum exorbitantem Capitulo deferat 48.
Officiales foranei, in locis suis personaliter resideant 40.

P.

Pacta de sepulturis faciendis, Clericis prohibentur 74.
De Parochijs 76.
Parochi
- Vicarijs suis, eam quam ipsi habent facultatem absoluendi confitentes concedere possunt 19.
- Quos libros sibi necessariò comparare debeant 24.
- In seruitijs Principum occupati ad minus per duas septimanas per se resideant 56.
- Et omnes curata beneficia possidentes ad residendum ab Ordinarijs compellantur 56.

Parochiales Ecclesiæ in Lituania constituendæ 76.
Parochus non nisi suis Parochianis Sacramenta administret 76.
Pædagia & telonia à personis Ecclesiasticis, ratione earum rerum, quas in vsus suos comparauerunt, exigentes excommunicantur 104.
Pædagogi Nobilium & Ciuium per Archidiaconos examinentur de libris suspectis hæreseos 111. Pœna ad

Pœna ad Synodum non venientium 31.
Permutationes bonorum Ecclesiæ, sine consensu Capituli non debent fieri 71.
Patroni Ecclesiarum
- Post decessum Ecclesiæ rectorũ bona Ecclesiastica diripientes, à iure præsentandi suspendantur 90.
- Tam Spirituales quàm seculares, non nisi idoneos, Ecclesiis suis præficiant 90.

De Pignoribus, vide 71.
Plebani in anno bis Scholas reu ideant 111.
Podvodæ in villis Ecclesiarum, quibus & quando conceduntur 106.
Præbendæ & Canonicatus idoneis conferendi 58.
Prædicatores verbi Dei, non nisi per Lociordinarium missi prædicent 31.
Prædicatores diligenter examinandi, priusquàm ad prædicationẽ mittantur 31.
Pœnitentiariꝝ per Episcopos instituendi 147.
De remittendis ad Pœnitentiarios Ibidem.
Prælati & Canonici
- Horas Canonicas non orantes puniendi 25.
- Ordinariꝰs suis debitum honorem & reuerentiam exhibeant 48.
- Cuiuslibet status & conditionis ad mensas suas, sacras lectiones audiant 52.
- Ecclesiarum Cathedralium barbas nutrientes, ab ingressu Capituli & perceptione refectionum arceantur 53.
- Ecclesiarum Collegiatarum Prouinciæ Gnesnẽ, ad minus semel in anno Capitula celebrent 56.
- Se iniuria tã verbo, quã facto afficientes quomodo puniendi 142.
- Pro anima suorum Lociordinariorum, & confratrum, certas Missas celebrare debent 74.

Presbyteri
- A suscepto ordine infra sex Menses vt sacrum Missæ officium peragant 98.
- Vagi & peregrini ad celebrationẽ Missæ non admittantur 99.

Presbyter nullus ad sacrificandum vel prædicandum admittatur, sine licentia Prælati illius Ecclesiæ 100.
Prouẽtus vniuscuiusq; beneficij diligẽter descripti circa suã Ecl'am asseruẽtur 68
Pascua bonorum Ecclesiæ inter Clericos sint communia 133.
De Priuilegiꝰs & priuilegiatorum excessibus 137.
Priuilegium Ducis Masouiæ in fauorem Episcopatus Posnanensis, de libera locatione & perceptione Decimarum 83.

R.

Rationale Diuinorum, & alios libros necessarios Sacerdotes habeant 99.
Rapiens bona alicuius defuncti beneficiati, ipso facto excommunicatur 67.
Raptoribus proscriptis & profugis Clerici non faueant 132.
Raptores & inuasores bonorum Ecclesiæ excommunicantur Ibidem.
Raptus seu vis commissa in bonis Ecclesiasticis ad iudicium Ecclesiasticum pertinet 133.

Raptus seu vis illata subdito Ecclesiastico extra bona Ecclesiastica, ad forum seculare pertineat Ibidem.
Raptus fœminarum seuerè puniatur 135.
Reformatio Academiæ Cracouiẽ Archiepiscopo, Episcopo Cracouiẽ, & Præmisiensi committitur 110.
Religiosi { Cuiuscunq; nationis homines idoneos ad professionem regulæ suscipeere debent 86.
Religiosi { Ad Pontificalem dignitatem assumpti habitũ suũ ppriũ deferant 49.
Religiosi { Minus decenti vestitu vtentes, ab Ordinarijs puniantur 86.
Religiosi { Priuilegiati, fines suorum Priuilegiorum ne excedant 137.
Religiosis { Tempora designata, quibus à carnibus abstinere debeant 87.
Religiosis { Quamdiu Parochialibus Ecclesiis deseruire liceat 90.
Resignatio beneficij sine authoritate superioris non valet 14.
Resignatio qualis esse debet Ibidem.
Remedia contra Hæreticos 116.
Ritus & vestes Ecclesiasticæ non debent à quoquam in scenis & ludis in contumeliam repræsentari 52.
Rocheta quid significent 28.
Rocheta Episcopi deferant 28. 54.

S.

Sacerdotes { Incarnationis & Trinitatis mysteriũ populo diligenter explicent 1.
Sacerdotes { Suspensi ab officijs, ministrantes, quomodo puniendi 136.
Sacerdotes { Ante Quadragesimam plebem ad pœnitentiam exhortentur 145.
Sacerdotes { In confessionibus casus Episcopales ad Episcopos relegent 147.
Sacerdotes { In dubijs Episcopum vel eius vicesgerentem consulant, & sic pœnitentem absoluant Ibidem.
Sacerdotes { Officia secularia non exerceant, &c. 49. & sequẽ.
Sacerdotes { Exceptis Prælatis, &c. annulos non deferant 50.
Sacerdotes { Suis superioribus debitum honorem exhibeant 37.
Sacerdotes { Missas sonora & eleuata voce legant, nec faciem sacculo in quo calix asseruatur, abstergant 99.
Sacerdotes { Conferentes Sacramenta, à populo nihil exigant 109.
Sacerdotes { In Ecclesia quomodo se gerere debeant, &c. 50.
Sacerdos { Confessionem reuelans, in Monasterium detrusus, perpetuis temporibus pœnitentiam agat 145.
Sacerdos { In obscuris locis confessionem non audiat Ibidem.
Sacerdos { Propter incontinentiam suspensus, si præsumpserit celebrare Diuina, deponatur, & beneficijs priuetur 49.
Sacerdotum nullus audeat duas Missas vna die celebrare 97.
Sacerdoti circa confessionem obseruanda 145.
Sacramenta in templis diligenter & honorificè seruentur 101.

INDEX.

Salaria Vicarijs à Rectoribus Ecclesiæ, ex antiqua consuetudine pendantur 94.
Seculares personæ in Abbatias titulo coadiutoris non permittantur intrudi 89.
Secularis si à conuentu liberè electus fuerit, ante omnia professionem in manibus Ordinarij faciat, suscepto regulari habitu & tonsura Ibidem.
Seminaria Ordinarij instituant 113.
De sepulturis 74.
Sepulturis Episcoporum certus dierum numerus præscriptus 75.
Sepelire aliquem in aliena Parochia sine legittima causa non licet 74.
Scholares apud Hæreticos studia prosequentes, beneficijs priuentur 27.
Scholarium ac studiosorum, maximè verò Academiæ Cracouiensis, Regiæ Maiestati, summa est habenda ratio 112.
Scholares vagi ex Ciuitatibus, & Oppidis propellendi 111.
Securitas Citationum conseruetur 39.
Sede vacante, quomodo Capitula circa administrationem bonorum se gerere debeant 61.
Scultetorum pluralitate bona Ecclesiæ desertantur 70.
Scultetus villæ sit vnicus 70.
Scultetí in solutione Decimarum, villanis æquales sint 78.
Silentium in claustris obseruandum 86.
Simonia grauiter punienda 108. & sequen.
Sortilegi excommunicantur 136.
Statuta { Quæ mandantur nuncianda, populo sæpiùs publicentur 1.
Statuta { Sinodalia, tam noua, quàm vetera, per Dominum Aloisium Lippomanum autoritate Sedis Apostolicæ in Synodo Louicien approbata in publicum edantur 32.
Statuta { Conciliorum contra vsurarios 134.
Statuta { Omnia Prouincialia debitæ exequutioni demandentur 188.
Stationes in bonis Spiritualium prohibentur 104.
Studiosi quo habitu vti debeant 53.
Subdiaconi infra annum Diaconatus gradum suscipiant 98.
Suffraganei { Ab ordinatione nihil accipiant 95.
Suffraganei { A Rochetis abstineant, sub pœna centum marcarum 54.
Suffraganei { AEdes & vasa sacra gratis consecrare debent 109.
Suffraganei { Lapidem primarium in ædificatione Ecclesiæ ponere non debent sine licentia sui Diœcesani 102.
Suffraganeis à suis Episcopis honestè prouideatur 109.
Supellex { Ecclesiastica, in singulis annis diligenter reuideatur 68.
Supellex { Ecclesiastica nemini priuato ad obligandum concedatur Ibidem.
Supellex { Domestica non debet in Ecclesiis asseruari 101.
Suplicio vltimo damnatis, Sacramentum pœnitentiæ non denegandum 148.

Superpi-

Superpilicia serica Clericis prohibentur 50.
Synodus inchoari debet, cum decantatione Missæ solennis 20.

T.

Taxa Processuum iuris Consistorij Spiritualis 92.
Tempora Synodis celebrandis deputata 21.
Testamenta Ordinariorum valent in relictis prouentibus, secundum tempora obitus 64.
Testamenta & vltimæ voluntates 71. & sequeñ.

V.

Vigilantia Pastoris, grex conseruatur 25.
Vestitus indecens Clericis prohibetur 49. 51. 53.
Vsuræ prohibentur 71. 134. & sequeñ.
Vsurarij per confessores ad restitutionem compellantur 134.
Vsurarij peccatum vsuræ defendentes, Hæretici reputantur 134.
Verborum significatio attendenda 157.
Vestes & vasa sacra mundissimè seruentur 101.
Vicarij VVladislauieñ, à solutione Contributionum sint immunes & liberi 95.
Visitationes Diœcesum semel in anno fiant 34.
Vigilia Sancti Matthiæ Apostoli, etiam diebus Carnispriuij ieiunetur 102.
Vitrici { Singulis annis per Plebanum & patronum Ecclesiæ eligantur 103.
Singulis annis rationem facere tenentur 103.
Vitricorum officium 102. 103.

FINIS INDICIS.

Sit nomen Domini benedictum in secula. Amen.

Bibl. Jag.

Bibl. Jag.



Biblioteka Jagiellońska
stdr0041967

Collectio
Karkowsciana